
Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-230064361-11/fragment/page=1

John Prideaux. (1578–1650). bishop of Worcester.

ST. NINIANS
CHAPTER LIBRARY

First ed.

Theorus
323 pp
Index 8 leaves
the index.

15.10.1992 Ma



Hunc librum Musis
suis inservientem
iure possidet
Theodor Mahlmann

TM 1089

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-230064361-11/fragment/page=2

FASCICULUS, CONTROVERSIARVM THEOLOGICARVM, AD JUNIORUM,

Aut occupatorum Captum sic colligatu[m], ut in præcipuis Fidei Apicibus Compendiosè Informentur, aut sparsim aliàs Lecta vel audita, faciliùs recolant & expendant.

Per JOHANNEM PRIDEAUX, haud ita pridèm apud OXONIENSES S. T. Professorem Regium, & posteà *Episcopum Wigornienſem.*

Συναγάγετε τὰ περισσεύσαντα κλάσματα ἵνα μὴ τι ἀπόληται, Jo. 6. 12.

OXONIÆ,
Excudebat Impensis suis LEONARDUS LICHFIELD, *Academiæ Typographus*. Vænguntur apud *Hen. Curteyne*, & *Tho. Robinson* Anno Dom. 1649.

Held the Professorship
27 years. See Prov. II p. 277
opposed to the peculiarities
of Laud — Died in 1650

See Life of Heylin in Works
Biog. Dictz — a man of high
& deserved reputation for piety
& theological learning & preceding
respected in the University for
his benevolent & courteous
character — but with
Puritanical, or low Church
sympathies

a Our learned Prideaux : Pr. Bull. 1. p. 151. Succeeded Abbot as Divinity Professor, & was succeeded by Sanderson — became Bp. of Worcester (see this Epist. Dedit.) in 1642. Ecc. Brig. IV. p. 407 see Perry's Hist. II. 227



PIIS, DOCTIS, ET CORDATIS EVANGELII MINISTRIS,

Do. GUILIELMO HODGES, HENRICO SUTTON, ROLANDO CROSBY, EDWARDO BEST, ELIAZARO JACKSON, EMANUELI SMITH, GUILIELMO LOLE, Cæterisq; Diocœseos WIGORNIENSIS Filiis, Fratribus, & in Vinea Domini Cooperariis.

NON *intempestivum* videatur (*Fratres & Filii*) hoc præsertim seculo, illud *Ecclesiastis* commonitorium, *faciendi libros nullum esse finem*, quia sufficiant *verba sapientum*, per *Magistros collectionum*, ab uno (Christo) *Pastore* tradita, ut hisce *ampliora* non requirantur, *Ecclesiæ* interim alia sub *cruce*, alia in *luce* positæ, expendenda est conditio. Nam, Eccles. 22. דברי חכמים בעלי אספות

Qui color albus erat, mox fit contrarius albo; & ex *una*, cum plurimis *herbis* salutaribus, injectâ *colocynthida*, *Mors in olla* esse deprehendatur. Rapaces *lu-* 2. Reg. 4.

pi non tantùm irruant ex vicinis *spelæis*, sed ebulliant ex *nobis ipsis* Ἀνδρες ἐξ ὑμῶν αὐτῶν ἀναστήσονται λαλοῦντες διεστραμμένα τοῦ ἀποσπᾶν τοὺς μαθητὰς ὀπίσω αὐτῶν. Act. 20. Nostis quis *prædixit*, & quid nos *sentimus*. Sub *patulæ* cujusdam *Quercus* tegmine, *arbusta* nonnulla olim latitantia, putabant se fuisse *impedita*, per adumbrantium ramorum *stillicidia*, ne in altum (quod ambiebant) crescerent, *Iovem* igitur implorant ut *quercus* averuncetur. *Dictum, Factum*, quid sequitur? Ingruunt procellæ *brumales*, solo penitùs æquantur, succedit *æstivale* incendium, & stirpitùs exarescunt. *Intelligentibus* non opus est. *Oedipo. Simia* in *tecto* prætereuntibus tam diu *capita* diminuat, donec *ipsa* ab irritatis tandem detur betur. *Canis* umbræ inhians *extensiori*, amittit quam in faucibus possidebat offam, & notum est quomodo *frustulæ* sacrificii ab *altari* direptæ, adhæsit *pruna*, in nidi *aquilini* & *pullitiei* vivicomburium. Heb. 12. Deus noster *ignis consumens* est, non impune ferret *Baltassar* temerata *templi* vasa, & *lingua* aurea e consecratis per *Achan* subducta, sacrilegium in *Anathemate maran-atha* eloquetur. Dan. 5. Atq; hic inter cætera mirari subit, cur *Episcopi* titulus (quo tamen *salvatorem* nostrum insignitum esse legimus) adeò recentioris cusuræ *Smectymniis* sudes esset in oculis, ut necessariò *characterem* Bestiæ fronti inustum manifestaret. Num *Cranmeri, Latimeri, Ridlei*, & ejusdem classis symistæ, *Antichristiani* tandem audiant *proxenetæ*? Et *Iuelli, Whitgifti*, aliorumve ejusdem Hierarchiæ, *scripta* aut *facta*, *Antichristianismum* redolent? Quin de vivis (utcunq; conculcatis) illud spondeam. Delectum inter se habeant hi

לשון הזהב fol. 7. *. Pet. 2. 25.

nostri

nostri *Demagogi*, & proferant primipilos suos in aciem; *accinctiores*, *valentiores*, aut *constantiores*, contra quoslibet orthodoxorum hostes, quam ex eversis *Episcoporum* & *Decanorum* pharis, *Duces* aut *Triarios* profectò vix inveniant. Norunt hoc qui turmis *protestantium* turbatis, se latenter immiscent versutissimi *synones loiolitici*, ideoq; nil punctius urgent, quàm ut per *flammas* erumpentes ab hujusmodi Rhamnis seu *cynosbatis Cedri Libani* absumantur, quo facilius in Britanniam *Roma* redeat. Memini me olim *puero*, in depicta quadam *tabula*, ad nomen [P A P A] hunc *Acrosticum* legisse (P) *Pastorum* (A) *ambitio* (P) *peperit* (A) *Antichristum*. Quis autem esset major, *lis* erat jamdudum inter *Apostolos* inchoata, sed determinante *Salvatore*, nunquam acquieverunt *posteri*. Dominari volunt omnes, nemo (ut oportet) obtemperare, sic ut tandem fiat hoc non *gladio oris*, sed *ore gladii* decidendum *problema*, An *suprematus papalis*, habeatur potius *Antichristianus* quam *Præsbyteralis*, aut *Enthysiasticus*? En quam modicum *Ambitionis* fermentum totius Christianæ humilitatis corrumpat massam: ἐυκαίρως igitur & ἀκαίρως, apostolica ista sunt *nobis*, & a *nobis* fratribus inculcanda. μὴ γινώμεθα κενόδοξοι ἀλλήλοις προσκαλούμενοι, ἀλλήλοις φθονοῦντες, Gal. 5. Cavete canes, Cavete malos operarios, Cavete concisionem. Phil. 3. siquidem qui *seipsos segregant* sub cujuscunq; afflatus protextu, *inflati* tandem *animales*, & spiritum sanctum non habentes invenientur, *Judæ* ver. 19. Gustus etiam distinguet inter *vinum vetus* & *novum* (quod jamdudum indicavit *Salvator*) & certò pronunciabit *vetus esse utilius*, Luc. 5. ἀποδιορίζοντες ἑαυτούς.

ὁ παλαιὸς χρηστότερος ὄντιν.

us, Luc. 5. De opella autem hac vobis dicata sic habete. *Doctrina*, *Cultus*, & *Disciplina*, in qualibet recte instituta *Ecclesia*, ab omnibus suis symmistis religiosissime semper sunt respicienda. Doctrinæ *syntaxin* in 39. *Articulis*, *Cultum* in *Liturgicis*, *Disciplinam* in *Canonibus*, a limpidissimis antiquitatis fontibus, pie, provide, & prudenter, præcipue per *Episcopos* Reformatos consignatam accepimus. Ista *premunt*, *expendunt*, *defendunt*, Insequentia ἴχνη. In *his* ipse fui initiatus, *his* subscripsi, & *ab his* cur vel latum unguem decederem, profiteor me nullatenùs adhuc inveniſſe. In *minutioribus* verò aliquibus, si a *calcata* nonnunquam declinem *semita*; *adiaphora* deprehendantur, aut non satis *explorata*, in quibus inter ingenuos *liberum* semper fuit *opinari*. Nollem autem ipse ut quispiam meum sequatur *ductum*, nisi quatenus *scripturæ*, *Rationi*, & maturo consilio & consensu stabilitis *Ecclesiæ Anglicanæ placitis*, animadvertat esse conformem. Et qui secundum *istum* incedunt *Canonem*, Pax sit super *eos* & misericordia (denuntiante Apostolo) & supra *Israelem* Dei *Gal. 6* In quo si quis ulterius *molestias* mihi exhiberet, non dubito quin *inter vos* experirer promptissimos *sympathos* & *Auxiliarios*. O *Timothei* igitur mei *depositum* custodite, & averſamini *profanos* istos de rebus *inanibus* clamores, & *oppositiones* falsæ nominatæ *scientiæ*, quam nonnulli præ se ferentes, non solum circa *fidem* aberrarunt a scopo, sed *Bethel* in *Bethaven*, vallem *Benedictionis Berachah*, in *Beeroth*, *Beeroth*, *puteos*, *puteos* Bituminis, & ipsam *Ieruſalem* in *Acheldamah*, prodigiosa *metamorphosi* transformarunt

τῷ κανόνι τούτῳ στοιχήσουσιν.

Gen. 14. 10.

marunt. Deus autem *Pacis*, qui magnum illum ovium *pastorem* Dominum nostrum *Iesum Christum* per sanguinem *pacti æterni* a mortuis reduxit, ita *compingat* vos ad omne *opus* bonum, ad præstandam ipsius *voluntatem*, ut efficiat in vobis, quod gratum est in *conspectu* suo per *Iesum Christum*. Cui sit gloria in secula seculorum *Amen*. Sic concludit cum *Apostolo*. Heb. 13. 21. *Affectu* saltem fixo & *paterna* solicitudine a vobis nunquam separandus.

Episcopus Vester

& Sympresbyter,

JO: WIGORNIENSIS.

Ad Lectorem.

NON multis te morabor (*Lector Benevole*) *Tria* tantùm præmitto, & desino. *Primum* est de *Methodo* inusitata; *Mirabere* forsan cur per *Heptades* singula sic dispono, ac si in tali numero lateret aliquod *Mysterium*. Sanè quàm frequenter in Sacris *Septenarium* præ Cæteris occurrere numerum, observent omnes qui *Genesin* cum *Apocalypsi* conferunt, & *Sapientiæ* Cœlestis Domum *Septem* tantùm *Columnis* suffultam animadvertant, unde *numerus universi* hic ab *Augustino* dicitur, eumq; *Perfectionem* Dei in *operibus*, operumq;, denotare *plenitudinem Recentiores* consentiunt. Sed mihi *talis* non incidit (multò minùs abripuit) *speculatio*. Ipse potiùs selegi hunc *procedendi* modum, ut à Digressionibus *peripateticis*, & à Tricis Recentiorum *dichotomisticis*, studiosos & sedulos, quantum in me erat, liberarem. *Secundo*, ut illis etiam satisfaciam, qui Cujuslibet *quæstionis* (ut loquuntur) *Statum* seorsùm præfixum expetunt; intelligant velim, *fusioris* illud esse negotii, quàm *Compendii* patiatur *angustia*. Quin nec admodum videtur *necessarium*, cùm ex *solutionibus* cuilibet *objectioni* suo loco adaptatis, emergit iste *status*, quem præfixisse, & *repetiisse*, esset supervacaneum. *Tertium* superest de *Usu*, ut hoc adjiciatur. Tàm *Provectioribus*, quàm *Incipientibus*, inserviat hic *Fasciculus*. *his*, ut Compendiosiùs in

Proverb. 9. 1. *Exposit. in Galat. Iunius. Pareus.*

Polemicis initientur, *illis*, ut quæ forsitan *exciderunt*, faciliùs recolant. Vel *His* vel *illis* quicquid accedit Compendji, non minima debetur ex parte, spectatæ *Fidei*, *eruditionis*, & *Industriæ* viro; D. HENRICO TOZER, S. T. *Baccalaureo* meritissimo, Filio mihi semper percharo. Is exulanti mihi à *propriis*, ex selecta sua *Bibliotheca*, suppeditavit libros, *Indices* his *opusculis* expeditè concinnavit & ἐρροδιώκτης erat assiduus, ut hic cum cæteris qualiscunq; *Fœtus*, lucem aspiceret.

Nec tacenda sunt hìc etiam in me præstita D. *Guilielmi* CROOTE Medici *periti*, *parati*, & , *hospitalis* pro innata sua humanitate subsidiaria officia, quibus torpidum sæpiùs excitavit, languentem refecit, & infirmitatibus aliquoties laborantem in integrum restituit. Non vitio mihi vertat *supercilioſus* quispiam, quia minutiora (forsan) hæc interfero. *Gaii hospitis*, & *Rhodes* Ancillæ indicantis tantum suspectam *Petri* à carcere *liberationem*, non omittuntur in Scripturis nomina. Mallem autem ego, ut nimiæ *facilitatis* quam *ingratitudinis* à quopiam quovismodo postularer. In rem tuam si cedat (*Lector Candide*) quicquid habes hìc *tumultuariò* coacervatum, laus sit *Patri* cœlesti per filium suum unigenitum, *Donorum* omnium Largitori, quia scopum attigit is qui *Benedictionem* Divinam, piis omnibus tuis impertit *studiis*, à propriis *separatus*, & hoc tempore plusquam *septuagenarius*.

Rom. 16.
Act. 12.

Iohannes Wigornienſis.

INDEX CAPITUM.

De
1. SCRIPTVRA. p.6.
2. COGNITIONE DEI. p.52.
3. PECCATO. p.100.
4. ECCLESIA. p.134.
5. REDEMPTIONE. p.251.
6. SACRAMENTIS. p.272.
7. NOVISSIMIS. p.302.

Syllabus Quæstionum.

Quæstio Proœmialis

De Dei Existentia.

An constare possit ex rationis ductu, in iis qui sunt adultæ & non emotæ mentis, aliquem esse Deum? Aff. p.1.

Cap. 1. De Scriptura.

An
1. *Scriptura sit verbum Dei?* Aff. p.8.
2. *Scripturæ Canon integer & illibatus à nostris retineatur?* Aff. p.13.
3. *Textus Hebræus, veteris Testamenti, & Græcus Novi, incorruptus sit, & authenticus?* Aff. p.18.
4. *Versio vulgaris Latina sit Fontibus æquanda, & cæteris omnibus translationibus præferenda?* Neg. p.26.
5. *Vulgari debeat Scriptura in ea lingua, quam Populus intelligat?* Aff. p.32.
6. *Ultima Fidei Resolutio sit in Scripturas Canonicas, non in determinationem alicujus Interpretis infallibilis?* Aff. p.37.
7. *Traditiones non scriptæ admittantur in Scripturæ supplementum?* Neg. p.45.

Cap, 2. De Cognitione Dei.

An
1. *Deus sit actus purus, cui omnia propria attributa sunt essentialia?* Aff. p.54
2. *Sit Trinitas personarum in una Deitatis natura individua?* Aff. p.60.
3. *Filius sit à Patre ab æterno genitus?* Aff. p.69.
4. *Filius sit ejusdem cum Patre, Naturæ, potentiæ, & æternitatis?* Aff. p.72.
5. *Spiritus Sanctus à Patre & Filio ab æterno procedat?* Aff. p.82.
6. *Spiritus Sanctus sit persona invocanda?* Aff. p.87.
7. *Dogma de tribus distinctis personis in una Dei essentia, sit Fundamentale, & ad salutem necessarium?* Aff. p.93.

Cap. 3. De Peccato.

1. *Dæmones ante Hominis creationem, propter superbiam, è cœlo erant deturbati?* Aff. p.102.
2. *Justitia originalis ante lapsum Adamo erat Naturalis?* Aff. p.107.
3. *Detur originale peccatum ab Adamo in omnes ipsius posteros propagatum?* Aff. p.112.
An
4. *Liberum arbitrium ad bonum salutare, per lapsum erat prorsus sublatum?* Aff. p.119.
5. *Concupiscentia in renatis maneat peccatum?* Aff. p.123.
6. *Omne peccatum sit suâ naturâ mortale, & à Deo tantùm remissibile?* Aff. p.127.
7. *Peccatum in S. Stum nunquam veniam consequatur?* Aff. p.131.

Cap. 4. De Ecclesia.

1. *Ecclesia sit certus prædestinatorum numerus, ex mero Dei beneplacito, finaliter aut totaliter à gratia nunquam excidens?* Aff. p.136.
2. *Ecclesia electorum in militantem & triumphantem rectè dividatur?* Aff. *contra Socinianos.* p.140.

An 3. Ecclesia militans semper sit gloriosè visibilis? Neg. p.144.
4. Ecclesiæ visibilis determinatio, sive in concilio, sive aliàs, sit errori, & examini subjecta? Aff. p.149.
5. Penes concilium generale sit suprema in terris litium Ecclesiasticarum decisio? Aff. p.154.
6. Ordinata Evangelii promulgatio & solennis sacramentorum administratio, in publicis conventibus, characteres sunt præcipui visibilis alicujus Ecclesiæ? Aff. p.158.
7. Extra Ecclesiam salus unicuiq; in sua religione sit expectanda? Neg. p.163.

De Membris Ecclesiæ.

1. Sancti in cœlis vel Angeli sint invocandi? Neg. p.169.
2. Reprobi, Athei, & apertè impii sunt membra militantis Ecclesiæ? Neg. p.172.
3. Clerici sint exempti à Regimine secularis potestatis? Neg. p.177.
An 4. Liceat Clericis matrimonium contrahere? Aff. p.181.
5. Monachatus sit religiosus vitæ status, in quo quis supereroget? Neg. p.185.
6. Juramentum Fidelitatis Magistratibus Laicis, à clericis æquè ac à Laicis sit præstandum? Aff. p.190.
7. Aliqua sint membra Ecclesiæ laborantia in Purgatorio? Neg. p.193.

De Disciplina Ecclesia.

1. Regimen Ecclesiæ Catholicæ per Papam, tanquam Christi Vicarium, debet esse monarchicum? Neg. p.199.
2. Ex institutione Christi, aut Apostolorum, Episcopatus sit ordo, sive gradus, à Presbyteratu distinctus, eoq; superior? Aff. p.204.
An 3. Clerici iure Divino exerceant jurisdictionem temporalem, aut Laici spiritualem? Aff. p.217.
4. Liceat subditis contra legitimum suum Magistratum sub prætextu quovis religionis arma movere? Neg. p.221.

5. *Statæ Liturgiæ, in diversis Ecclesiis diversæ, modò sacris literis non repugnant, sint probandæ?* Aff. p. 230.
6. *Liturgia Anglicana sit sacris literis conformis?* Aff. p. 235.
7. *Vocatio Cleri Anglicani ad sacros ordines post Reformationem sit legitima?* p. 244.

Cap. 5. De Redemptione.

1. *Christi incarnatio fuit possibilis, necessaria, aut conveniens?* Aff. p. 252.
2. *In hypostatica naturarum unione inconfusæ maneant naturæ cum idiomatibus?* Aff. p. 255.
3. *Christus sit mediator secundum utramq; naturam?* Aff. p. 258.
An 4. *Christus pro peccatis omnium credentium plenè & integrè satisfecerit?* Aff. p. 262.
5. *Sola fides ex parte hominis justificet?* Aff. p. 265.
6. *Aliquis possit esse certus de sua salute?* Aff. p. 269.
7. *Gratia sufficiens ad salutem concedatur omnibus?* Neg. p. 273.

Cap. 6. De Sacramentis.

1. *Sacramenta conferant gratiam ex opere operato?* Neg. p. 278.
2. *Duo tantum sint N. T. Sacramenta?* Aff. p. 282.
3. *Baptismus ad salutem sit absolutè necessarius?* Aff. p. 285.
An 4. *Pædobaptismus si probandus?* Aff. p. 289.
5. *Detur Transubstantiatio?* Neg. p. 292.
6. *Missæ Sacrificium sit Idololatricum?* Aff. p. 295.
7. *Matrimonium legitimum sit dissolubile quoad vinculum?* Neg. p. 299.

Cap. 7. De Novissimis.

1. *Bona Renatorum opera sint salutis æternæ meritoria?* Neg. p. 303.
2. *An præter Papam ante ultimum Christi adventum, expectandus Antichristus?* Neg, p. 296.
3. *An*

INDEX CAPITVM.

An {
3. *Futura sit Nationalis Judæorum ante finem Mundi vocatio?* Aff. p.309.
4. *Christus hìc in terris ante ultimum Judicium, sit cum Martyribus excitatis per mille annos regnaturus?* Neg. p.312
5. *Animæ mortuorum annihilentur, aut dormiant usq; ad ultimam Resurrectionem?* Neg. p.315.
6. *Possibilis sit ejusdem numero corporis post mortem Resurrectio?* Aff. p.318.
7. *Mundus hic visibilis per ultimam conflagrationem sit annihilandus?* Aff. p.321.

QUEST.



QUÆSTIO PROOEMIALIS.

DE DEI EXISTENTIA.

An constare possit ex rationis ductu, in iis qui sunt adultæ & non emotæ mentis, aliquem esse Deum?

ACCEDENTEM ad *Deum* oportet credere *quod Deus sit*, & *remunerator* se *inquirentibus* Heb. 11.6. Dixit nihilominus *Insipiens* in corde suo *Non est Deus* Ps. 14.1. & 53.1. & ore eructat *Pharao*, *Quis est Dominus* ut *audiam vocem* ejus? Exod. 5.2. & *Nabuchodonosor*, Quis est *Deus* qui eripiet vos de *manu mea? Dan.* 3.15. Non immeritò igitur toti futuræ *structuræ*, substernitur hoc καθολικώτατον *fundamentum Deum esse*, quod his præcipuè stabilitur rationibus.

1. *Primo*, In omni *motu* perveniendum est ad *primum Motorem*. 2. In *efficientibus* subordinatis, ad *primam causam*. 3. In *possibilibus* & *contingentibus*, ad unum *actum purum* & *necessarium*. 4. In gradibus *excellentiæ*, ad unum præstantissimum. 5. In *gubernatione* ordinata, ad unum *summum Monarcham*. 6. In *Bonis*, ad illud quod est *optimum*. 7. In *magnis*, ad id quod est *maximum*, aliter in *infinitum* esset progressus, quod *Natura* abhorret, & aversatur *ratio:* sed iste *primus motor* non *motus*, prima *causa* efficiens, *Necessarium* primum, & *præstantissimum*, summus *Monarcha*, *Optimus*, *Maximus*, necesse est ut sit *Deus:* Ergo constat *Deum esse* ex rationis discursu.

2. *Secundò*, Idem evincitur ex *terroribus conscientiæ*, trepidantis ad *atrociora* facinora, & tormenta ab *irresistibili* aliquo *judice* & *vindice* exigenda; qui non alius esse potest nisi *omnipotens Deus*, quibus addatur *Juramenti Religio*, ipsis *Barbaris* sacrosancta.

3. *Tertiò* hoc confirmat *Appetitus* animæ *insatiabilis*, quem *delitiæ*, *divitiæ*, *honores*, hic in terris multiplicati nulli terminant; cum autem nil *frustra* facit, aut fovet *natura*, necesse est ut detur aliquod *Infinitum*, in quo tandem acquiescat *irrequietum* istud dissiderium, quod nil *aliud* potest esse præter *Deum*.

4. *Quarta ratio* petatur à stupenda Mundi *fabrica*, ubi in summa rerum *varietate* constans semper manet *dispositio*, *præsentemq; refert quælibet herba Deum*. quod fortuitis *atomis*, & non *infinitæ* sapientiæ ascribere, perinde esset ac si quis *Ligna* & *Lapides* ad Civitatis *structuram*, assereret sponte convenisse, & se domatim & plateatim ordinasse.

5. *Quintò*, *Miracula* naturæ *sphæram* excedentia, & ipsius *cursum* prorsus intervertentia, quæ vel oculis occurrunt; vel in historiis; extorquent vel à perversissimis, illam *Maleficorum* confessionem *Digitus Dei est hic*. Exod. 8.19.

6. *Sexto*, *Oracula* & de *futuris* aliàs *contingentibus*, certa *prænuntiata*, quid aliud arguunt quam esse *omnipotentem*, & supremum *Demiurgum*, qui certò prædicit quid sit *eventurum*, quia ipse *præstituit* ut sic eveniret.

7.

7. Agmen claudit *Gentium* omnium *Confessio*. unde *Orator* nulla *gens* tam *immansueta* & *fera* est, quæ non (etiamsi *ignoret qualem Deum* habere deceat) *habendum* tamen sciat. Lactant: Institut. l. 3. c. 10. Ex *Cicerone* de Legibus l. 7. unde *Americani* stupidissimi, suos habent *Zemos*, & *Deastros*, à quibus petunt, *ciborum copiam*, *bonam valetudinem*, & de *hostibus victoriam*, & habet *Lerius* Hist. Navigat. in Brasil. c. 16.

Objiciunt Rationalistæ, derisores, ventricolæ, & reliqui ex Diagoræ Luciani, & Epicuri haris.

Ob. 1. Illud non potest esse *rationi certum*, quod *sensui* nunquam patuit, quia nihil est in *intellectu*, quod non *prius fuit* sub *sensu*. Sed *Deum nemo vidit* unquam *Jo.* 1. 18. & 1. *Jo.* 4. 12. nec aliis *sensibus* percipitur *Job.* 9. 11. & 23. 8. Ergo incertum est quod de eo asseritur.

Sol. Deus non patet *sensibus comprehensivè*, ut est in se, sed *apprehensivè*, ut elucet in *operibus*. Ita *videtur* in *signis*, auditur in *verbo*, manifestatur in totius *universi* fabrica, Ps. 19. *Oculus* non *vidit futura*, nec *audivit* auris, 1. Cor. 2. 9. Ergo *futura* nulla sunt? Animam tuam non vides, Ergo non es Animal? quàm hoc ridiculum?

Ob. 2. Ratio reddi non potest, cur *Deus* existens ab *æterno*, citius seipsum non manifestasset, Mundum creasset, vel aliquid aliud egisset. Actus enim *purus* non potuit esse ἀεργὸς *nihil agens*, Ergò videtur non fuisse.

Sol. Hoc non probat *Deum* ab *æterno* non *fuisse*, sed ipsius consilia *finito* intellectui esse inscrutabilia, quærenti igitur de Dei factis ante Mundi fabricam, reponit S. *Augustinus*, parasse illum *Infernum* tam effrontibus *scepticis*, quid autem

אני־אל שדי Gen. 17. 1.

tem ipſi deeſſe potuit, qui eſt *El Schaddai*, ſibi ipſi *ſufficiens*? *Eſt, Erit* & *æternùm fuit*. Noſtræ veræ *cæcitatis* in *talibus* debet eſſe, ſubmiſſiſſima *Pſalmiſtæ* confeſſio, *Mirabilis eſt tua ſapientia præ me*, excelſa eſt non poſſum *illam conſequi* Pſ. 139. 6.

Ob. 3. Si ſit *Deus*, tum vel ab *alio* eſt, vel à *ſeipſo*; ab *alio* ſi ſit, non poteſt eſſe *Deus*, quia non *ſupremus*. ut autem *aliquid* ſit *à ſeipſo*, rationi repugnat, ſic enim eſſet *ſeipſo prius* (*naturâ* ſaltèm) & *poſterius*, quod *contradictionem* implicat.

Sol. Rationi quidem *adverſatur* ut aliquid *finitum*, *factum*, aut *creatum* eſſet à *ſeipſo*, aut ſuiipſius *cauſa*, ſed ut *principium* aliquod *infinitum* agnoſcatur, quod *in ſe*, &, *per ſe*, ſit tale, *à quo*, & *per quod*, cætera omnia *ſunt*, quod ſunt, *rationi* maximè eſt conſentaneum.

Ob. 4. *Bonum infinitum* prorſus abſorbet & diſtruit *malum oppoſitum*, tale igitur ſi detur, *Mali* aliquid non ſupereſſet; unde poſito *Deo*, tollerentur omnes *maligni ſpiritus* & *homines*.

Sol. Infinitum aliquod concipiatur ut *Agens*, vel *Neceſſariò*, vel *Liberè*. Neceſſariò ſi ageret *Deus*, tolleretur penitùs quodvis *oppoſitum*, ſed cum ipſe *ſolus Agens* ſit *liberrimus* permittit *Malum* ad *beneplacitum*, quia noverit pro infinita ſua *ſapientia*, ex *peſſimis* Bonum elicere.

Ob. 5. *Primus* in orbe *Deos* fecit *timor*, juxta decantatum illud *Poeticum*. Ergo *Commentum* potiùs videtur *politicorum*, hæc de Deo ſententia, ad *ſimpliciores* in officio *continendos*, quàm à *naſutioribus* amplectendum *Dogma*.

Sol. Increpet te Deus *Satana*, cum omnibus *politicis* tuis *profunditatibus*. *Timor* iſte arguit, *tremendum* eſſe aliquod *tribunal*, & *Judicem*, qui ſontes non dimittet impunitos, in alio ſeculo, quibus parcit hic pro ſumma ſua *longanimitate*, ut *reſipiſcant*, ne in *æternum* pereant.

Ob. 6. *Piorum*, *Aſpera* in hoc mundo, & *Impiorum*, proſpera, uſq; ad mortem aliquoties continuata, (de quibus conqueruntur *Pſalmiſta* Pſ. 73. & *Jeremias* c. 12.) oſtendunt nullum *talem* dari *Judicem*.

Sol. Immò *tranſmittunt* potius ad ſupremum *judicium*

poſt

post hanc *vitam* habendum, ubi unusquisq; recipiet, fidei & factis consentanea, & *Dives* luet, quando *Lazarus* exaltabitur, quod tam *Jeremiæ* quam *Davidi* erat significatum.

Ob. 7. Quod *speciei* est *innatum*: omnibus competit *Individuis*, sed *Diagoras*, *Lucianus*, *Leo* 10. & innumeri alii, ex professo fuerunt merè *Atheoi*, Ergo *naturæ* insitum non est, ut quis *Deum esse* agnoscat, & cognitio talis (ut contendunt *Sociniani*) dici non potest esse *Naturalis*.

Sol. Competat aliquid *innatum* alicui, vel quoad *principium*, & *radicaliter*, vel quoad *exercitium* & *exequtivè*. non autem ex defectu *exercitii*, concludatur *principii* aut facultatis *privatio*, sed potius *depravatio*, ex injectis vinculis aut contractis sordibus. unde *Caligula* Bepedum amentissimus, ad *tonitrui* fragorem, caput occuleret; nec dubitandum quin *Cyclopes* hujusmodi, cœlo sereno turgescentes, ad procellam incumbentem reciperunt se cum *nautis apud Prophetam*, Jonæ 1. 5. ad *Deum suum*. 2. Aliud est etiàm Dei *providentiam* & de rebus humanis *curam*, aliud negare *existentiam*, & omnino asserere *quod non sit Deus*. 3. *Socini* autem de stupido quorundam *Brasilientium Atheismo* instantiam, retundit *Lerius* Hist. Bras. c. 16. 4. Qnin ut constat ulterius ex *Magicis*, *Dæmones* ipsos supremum numen agnoscere, & horrescere: Ita (innuunt nonnulli) *Bestias* aliquas & *volucres*, *Dietatis* & *Religionis* cujusdam habere *sensum*. Ex quibus *omnibus* cum satis superq; constet *Deum esse*, non *oris* erit vel *distortissimi* negare *Theologiam*. Cujus *implicatiores nodos* methodo memoriæ accommodatâ, *punctim* & *contractim* expedire σὺν θεῷ aggredior. *Sueton.*

CAPITA THEOLOGIAE.

CAP. I.

De Scriptura.

1. THEOLOGIA, est *Sapientia* Religiosa, à DEO in sacris *Scripturis* revelata, ad *Salutem* perveniendi *Deut.* 4.6. 2. *Tim.* 3. 16. 2. *Pet.* 1.21. *Rom.* 1. 16.

2. Hujus *Septem* statuantur Capita
1. SCRIPTURA.
2. DEI COGNITIO.
3. PECCATUM.
4. ECCLESIA.
5. REDEMPTIO.
6. SACRAMENTA.
7. NOVISSIMA.

3. Quæ (ut *facilius* memoriæ imprimantur) sic connectantur. 1. *Scriptura* nos manuducit ad *Supernaturalem* Dei *cognitionem*. 2. A *Deo* cognito defecimus per *Peccatum*.

3.

3. E *Peccati* massa, pro misericordi *Dei beneplacito*, evocata est *Ecclesia*. 4. *Hæc expiatur* & *justificatur*, per *Redemptoriam* Christi *satisfactionem*. 5. *Redemptionem* obsignant *Sacramenta*. 6. *Quæ* excipiunt. 7. *Novissima*, ut *illa* tandem per debitam *Mandatorum* observantiam, ad *Gloriæ* portum nos perducant.

De Scriptura autem Catholica hæc esto Thesis.

4. SCriptura est *Dei verbum*, indubitatò è cœlo *revelatum*, & 2. In *Libris* quos habet *Ecclesia* nostra *Anglicana* pro *Canonicis* integrè comprehensum. 3. Hujus Editionem *Hebraicam* in *Veteri Testamento*, & *Græcam* in *Novo*, amplectimur ut authenticas. 4. *Translationem* verò *vulgarem* Latinam, cum cæteris omnibus *versionibus*, ad textus istos *Originales* expendi, & corrigi submittimus. 5. Hasq; Lingua *vernacula*, singulis *Christi fidelibus*, vulgari debere contendimus, quia 6. Ultima fidei *resolutio* in *Scripturis* hisce est terminanda. Quæ 7. continent *omnia* ad *Salutem necessaria* absq; *Traditionis* non *Scriptæ* quovis supplemento.

Unde *QUÆSTIONES.*

An
1. *Scriptura sit Dei verbum Cælitùs revelatum?*
2. *Ejus Canon integer & illibatus à nostris retineatur?*
3. *Textus Hebraicus veteris Testamenti, & Græcus Novi, sit incorruptus, & Authenticus?*
4. *Versio Vulgaris Latina, sit Fontibus æquanda, & cæteris omnibus Translationibus præferenda?*
5. *Vulgari debeat Scriptura in ea Lingua quam Populus intelligat?*
6. *Ultima fidei Resolutio sit in Scripturas Canonicas?*
7. *Traditiones non Scriptæ admittantur, in Scripturæ supplementum?*

QUÆST.

QUÆST. I.

An Scriptura sit verbum Dei? Aff.

QUIA,

1. AUT à *Deo* est (ut argumentatur *Salvator* de *Johannis* Baptismo *Matth.* 21. 25.) aut ex *Hominibus*; ab *Hominibus* non potuit esse, nam à quibus esset? cum nulla extiterunt scripta *Mosaicis antiquiora*, aut coæva, præter *Pseudoepigrapha* quædã explosa *Sethianorum*, *Abrahami*, aut aliorum *fragmenta*. *Moses* verò agnoscit se sua omnia à *Deo* accepisse, nec constat *Alphabetum* aliquod illud antecessisse (quicquid hariolantur nonnulli) quod ipse in *duabus tabulis* recepit *Dei digito* exaratum. Ejusdem autem cum *Mosaicis* cussuræ, & certitudinis, inveniuntur *scripta* insequentia *Canonica*, Ergo patet illa esse *ex Deo*, quod confirmatur.

2. A *Scriptorum* diversorum *temporum*, *locorum*, & *conditionum*, admirando *consensu*, qualem inter Philosophos, scriptoresvè alios non divinitùs inspiratos, incassùm expectaveris, ut patet apud *Ciceronem*, *Senecam*, *Plutarchum*, præcipuè *Eusebium* in libris 15. de *Præparatione Evang.* studiosè expendendis, de infinitis Philosophantium jurgiis. Idipsum evincit.

3. *Materiæ* substratæ illimis quædam *sublimitas*, & *majestas*, Cœlum tantum *spirans*, & absq; vel minimæ *levitatis*, vel humanæ *ostentationis aspergine*, omnia ad *Deum* referens; sic ut *conscientiam* potius *exenteret*, quàm aures titillet, & quo penitiùs eventilatur eô vehementius afficit *cordatos*, & *recalcitrantes* confundit. Juxta illud *Psalmistæ*, *Verbum* tuum est *perpurgatum septies* (quasi in *clibano* sive *catino*) & *servus tuus dilexit illud*. Ps. 12. 6. & 119. 140.

4.

4. *Prophetiæ* de *Josia*, *Cyro*, quatuor *Monarchiis*, (præ cæteris) de *Adventu Messiæ*, tam *exactè* suo tempore *impletæ*; argumento sunt firmissimo, *hujusmodi* nisi ab *ipso Deo* (qui ista prædefiniviſſet omnia) non potuisse provenire.

5. Accedunt *Miracula* hanc *doctrinam* obsignantia, tam *expressa*, & *testata*, ut à perversissimè *adversantibus* agnoscuntur. Hoc autèm *Philosophicis* Inventis, aut *aliis* aliorum *commentis* nunquam contigit. Extant apud *Josephum* Antiquit. l. 12. Et *Eusebium Præparat: Evangel. l.* 8. 1. de *Theopompo*, quodam *Oratore* & *Theodicto Tragædo* historiæ; è quibus hic *capitis* (ut videtur) *vertigine*, Iste *glaucomate* erat percussus, eò quod cælestem hunc *Chirographum*, ad *vertigines* suas *occæcatas*, aggressi sunt accommodare. Nec minùs hoc evincit

6. *Recipientium Sagacitas*. Non enim hæc *gesta* fuerant *in angulo* (ut loquitur *Apostolus* Act. 26. 26.) sed in publico Mundi *Theatro*. ubi non seducti quidam è *triviis Bubsequæ*, sed, *Monarchæ*, *Politici*, *Doctores* selectissimi & *perspicacissimi*, (quibus non defuit *facultas*, aut *potestas* singula expendendi) *sceptra*, *edicta* & *placita*, verbo huic submiserunt, quod *nunquam* proculdubio feciſſent, nisi illud à summo *legislatore* cælitùs profluxisse pro comperto habuissent.

7. *Postremò* in confesso est apud *Ethnicos* fere omnes celebriores (quibus hoc *verbum* innotuit) illud à *Deo* esse. utcunq; de genuino ipsius *sensu*, in *locis* quibusdam *obscurioribus* tot oriuntur rixæ. Nec dubitandum est *Platonem*, *Aristotelem* alioſq; *Philosophiæ* primipilos, plurima quæ habent. *de Deo singularia*, ex hoc fonte hausisse. cujus *versionem* in linguam *Græcam*, non tot impensis redimisset *Ptolomeus Philodelphus*, nisi θεῖόν τι aliquid *divinum* in illo latuisse existimasset.

Objiciunt, Celsus Epicureus, apud Originem, Iulianus, apud Cyrillum Alexandrinum, Faustus Manichæus apud Augustinum, &c.

Ob. 1. VErbum Domini *purum, pium*, & *perfectum* est, cui nihil *addendum* vel *detrahendum*, Ps. 12. & 19. Prov. 30. 5. Deut. 12. 32. At *Scriptura* non est hujusmodi, quæ *Ludicra* proponit inter *legalia* de *Bestiarum* adipe, & *excrementis*, 2. *Inutilia* de *Genealogiis*, *Chronologiis*, & *Topographicis*, 3. *Tautologica*, absq; ulla methodo (ut *Crambe*) recocta & repetita, Ergo *verbum Dei* esse non potest.

Sol. Quod *stultum* est *Dei*, *sapientius* est *hominibus*, 1. Cor. 1. 25. quæ *ludicra* igitur videntur in *lege*, momenti inveniuntur esse maximi à *cordatis* ad *exercendam* obedientiam. 2. *Aversandam* Idolalatriam. 3. *Informandos* mores, & ad *Messiam* indigitandum, si dextrè (ut oportet) percipiantur. vid. Euseb. de præpar. l. 8. Aq. 1. 2. q. 102. *art.* 3. & sq. de *Allegoricâ* legis *accommodatione*, & alios. 2. *Genealogiæ* & cætera quæ videntur *superflua*, Testimonia sunt *Ortûs*, *propagationis* & *conservationis Ecclesiæ*, & impletæ *Promissionis* de Messia, è semine *Abrahami* & *Davidis* deducendo Matth. 1. 3. Nec repetitiones in *credendis* & *agendis* sunt supervacaneæ, ubi *utilitas* potius quæritur, quam *subtilitas*. Isaiæ 48. 17.

genealogiæ usus in Script. S:

Ob. 2. Occurrunt *in Scripturis* portentosa quædam de *Solis Statione*, & umbræ *retrogradatione*, de *Asino* Dominum *reprehendente*, & *Metamorphosi* fœminæ in *statuam salis* & similia, *Ios.* 10. 13. 2. *Reg.* 20. 11. *Num.* 22. 28. *Gen.* 19. 26 quæ non *rationem* tantum, sed *fidem* omnem superant.. *Ergo.*

Sol. *Fidem* talem talia excedant, quæ *Naturæ* tantum intuetur *molimina*, non Dei *Omnipotentiam*, qui quicquid vult

potest,

poteſt, & facit *ſigna* & *mirabilia* in *Cælo* & in *Terra*, quod in *Decretis* ſuis profitentur *Ethnicæ Monarchæ Nabuchodonoſor* & *Darius*. *Dan.*3. 29.& 6.26.

Ob. 3. Injunguntur in *Scripturis*, *abominanda* quædam, & *Naturæ* prorſus *repugnantia*, ut *pater* propriis manibus *filium* immolaret. Gen.22.2. *Propheta* uxorem duceret *fornicariam* Hoſeæ 1.2. Frater ex *Germani* Relicta *ſterili*, ſuſciperet liberos Deut.25.5. quæ à *cælo* manâſſe, *Blaſphemum* eſt aſſerere.

Sol. Injuſta non poſſunt eſſe quæ *Deus præcipit*, cujus *voluntas regula* eſt *juſtitiæ*. Qui patris *fidem* ſic *explorare* & *illuſtrare* voluit Gen. 22.1. non *filium* innocentem à patre trucidari. 2. *Prophetæ* verò non injungitur ut *meretricem* conſtupret, ſed ut *Iſraeli ſpurcam* ſuam *Idololatriam*, ſub tali *Allegoriâ* repreſentaret. 3. Nec præcipitur *leviro*, ut *Germani* fratris ſine prole demortui *glorem* ducat ſterilem, ſed *conſanguineo* ejuſdem familiæ (qui ſub nomine יבם venit) ut conſervaretur *tribuum* diſtinctio, ad manifeſtationem *Meſſiæ* è Tribu *Judæ* oriundi. confer *Joſephum Antiq.* l. 4. c. 8.

Ob. 4. Indigna de Deo paſsìm in iſtis ſcriptis inculcantur, nempè ipſum *oculos* habere & *aures*, Pſal. 34. 16. præcepta dediſſe ſuis non bona, Ezech. 20. 25. Subjicere ſeipſum colentium *mandatis*, Iſaiæ 45. 11. *pœnituiſſe* ſe hominem feciſſe, Gen. 6.6. *decreta* ſua mutare, Iſai. 38. Quæ *cæleſtem doctrinam* non ſapiunt.

Sol. Quæ ſic proponantur, ἀνθρωποπαθῶς, concipienda ſunt à nobis τροπικῶς, *Metaphorâ* ſacris familiari, quâ pro captus noſtri imbecillitate, per *obvia* ad ſublimiora *elevamur*. Unde dicitur Deus *oculos* habere & *aures*, cum efficit talia (ſed modo ineffabili ſublimiori) quæ *oculati* & *auriti* faciant. 2. Dediſſe *præcepta* non *bona*, cum dimittit obſtinatos ad propria *deſideria*, & *ad inventiones*, quibus ſeipſos præcipitant, Pſ. 8.13. Ezech.20.29. 3. *Pœnitere* vero & *dolere*, quando ceſſat facere, quod fecit, ut *pœnitentes* & *dolentes* ſolent; manente interim æterni decreti *immutabilitate*;

ubi non ſubmittit ſe hominum *mandatis*, ſed vel oſtendit ſuam ad auxiliandum *promptitudinem*, ut *Domini* ſolent *ſervis* obſequentibus, ſi ipſorum præceptis ſint morigeri, vel *legendus* potius eſt iſte *textus interrogativè*, q. d. inſtitui vos de *faciendis* à *vobis*, nunquid autem vos *præſcribetis* mihi de *futuris*, quid *à me* ſit faciendum? De *his* vero & *objectis antecedentibus* conſulatur *Sixtus Senenſis*. *Biblioth.l.7. &* 8. Bell. De verbo Dei *l.* 1.c.5.

Ob. 5. *Novum* Teſtamentum *exauctorat*, & quaſi *ſupplantat vetus*, ut patet ex *locis* plurimis inde *citatis*, & ex *Apoſtolo*, qui appellat *legalia* ἀσθενῆ καὶ πτωχὰ στοιχεῖα *infirma* et *egena Elementa*. Gal. 4.9. Ergo utrumq; non poteſt eſſe à Deo.

Sol. Citentur *loca* vel κατὰ τὸ ῥῆτον, quoad verba præcipuè, vel κατὰ τὸν διάνοιαν, ſecundum *ſenſum* et *ſcopum*. Verba ſi non ſemper reddunt *Apoſtoli*, ſenſum tamen et ſcopum fideliter exhibent, ut oſtendit *Junius* in *Parallelis*, qui conſulendus hac de re cum aliis. 2. *Impotentia* verò et *egena* ſunt *Apoſtolo* legis Elementa, non *moralia*, ſed *ritualia* ſeorsim in ſe *conſiderata*, non ut ad *Chriſtum* ſunt *pædagogica*, ad quem ſunt referenda.

Ob. 6. Occurrunt *quamplurima* in T.V. quæ ſunt prorſus *Aſyſtata* et *Repugnantia*. Ergo non poteſt illud eſſe à *Deo*.

Sol. Quæ urgentur hic ut ἐναντιότητα, vel penitùs *contradictoria*, oſtenduntur eſſe tantum ἐναντιοφανῆ, quæ videntur talia, et facile à multis conciliantur. ut à *Scharpio*, in Symphonia, *Tirino* in calce Annot: ad *Vetus* et *Novum* Teſtamentum *&c.* Idem

*Ob.*7. Objicitur de *Novi Teſtamenti contradictionibus*, è quibus authoritas divina illi detrahitur, præſertim in *Evangeliſtarum* et *Genealogiæ* Salvatoris diſſenſu.

Sol. Recurrendum eſt hic etiam ad *authores* prædictos alioſq; qui deditâ operâ *diſtinctìm* iſta diſcutiunt, quæ compendiò (quod nos inſtituimus) non poſſunt abſolvi. Sat ſit igitur hic (*ſolutionis* vice) monuiſſe quàm neceſſarium ſit, ut ad manum habeat *Theologiæ* ſtudioſus, tales *Conciliationes*,

liationes, ut *punctim* inde petat, quod satisfaciat, prout res tulerit.

QUÆST. II.

An Scripturæ Canon integer & illibatus à nostris retineatur? Affe.

QUIA,

1. *Judæis* primùm fuerunt *credita Dei Eloquia*, Rom. 3. 2. At noster *Canon* exactè cum eorum convenit, nec de *Libris* novi *Testamenti* intervenit hodiè ulla inter *doctos Controversia*. Ergo *Canon* rectè est à nostris consignatur.

2. Canon *Hebræorum* communicari illis debuit, ea linguâ quam intelligerent, aliter *tuba* daret *incertum sonum*, 1. Cor. 14. 8. ad nullius ædificationem, sed isti *Libri cum Integri*, nempè 1. *Solomonis Sapientia*. 2. *Ecclesiasticus Syracidis*, *Libri*, 3. *Esdræ*, 4. *Tobiæ*, 5. *Judith*, 6. *Macchabeorum* primus, & 7. *Macchabeorum* secundus: tùm Librorum *Fragmenta*, scilicet 1. Oratio *Manassis*, 2. Trium *puerorum Canticum*, 3. Historia *Susannæ*, 4. Narratio de *Belo* & *Dracone*, 5. Sex *Capita* cum dimidio *Libro Esther* assuta, 6. *Baruch*, 7. Epistola *Jeremiæ*, nunquam extabant *Hebraicè*, Ergo *Judæis* nunquam fuerant *Canonici*.

3. Post *Malachiam* desiit *Prophetarum* διαδοχὴ nempe *Deductio* sermonis *Prophetici*, cui *fides* certò niteretur, ut ostendunt *Josephus* & *Eusebius*, Atqui *Apocryphorum* isti Authores *Malachiâ*, inveniuntur esse *posteriores*, Ergo *Canonica* Scripta non erant ab illis expectanda. *Cont. Apionem.*

4. *Salvator* Canonem distribuit in *Legem Prophetas* & *Psalmos*

Psalmos. sed cùm à Prophetarum *Classe* Apocryphi isti excludantur; Inter *Legalia* & *Psalmos* multò minùs locum inveniant. In *Canone* igitur non sunt reponendi.

5. *Canonici* Veteris *Testamenti* corroborantur ex *Novo*, quatenùs à *Salvatore*, & *Apostolis* citantur, sed *Apocryphi* à nobis rejecti, distituuntur tali *testimonio*. Ergo pro *Canonicis* non sunt habendi.

6. Quin *Frivola* & *falsa* in illis deprehendantur, quæ *fidem* detrahunt *Canonicam*. Ita 1. *Sapientia Solomonis*, (quam *Philoni Judæo* adjudicat *Hieronymus*) *Pythagoricam* astruit μετεμψύχωσιν c.8.v.19.20. 2. *Ecclesiasticus* adducit *Samuelem* post *Mortem Prophetantem*. c. 46. 20. 3. *Esdras* de *Henoch* & *Leviathan* quinto die creatis, *Rabbinica* narrat deliria, 2. Esdræ 6.40. 4. *Tobias* inducit *Angelum* mentientem, saltèm *Jesuiticè* æquivocantem c.5. 12. & Magica ex *jecinore*, & corde piscis præcipientem, c.6.8. 5. *Judith* celebrat factum *Simeonis* c. 9. 2. quod *Jacobus* ferit *Anathemate* Gen.49.7. 6. *Macchabæi* inter se dissentiunt. In lib. 2. Laudatur *Rasis* αὐτοχειρία, c.14.42. & *Author* se excusat, si rectè & congruentèr quinque libros historicos *Jasonis Cyrenei* in Epitomen non redigerit cap. 16. 39. Collat. cum Cap.2.v.24. 7. Fragmenta *Estheris* & *Danielis*, non purioris sunt *metalli*.

7. Canonem (ut à nostris figitur confirmant. 1. *Epiphanius* in Libro de *mensuris* et *ponderibus*. 2. *Hieronymus* in *Prologo* Galeato. 3. *Origenes*. 4. *Athanasius*. 5. *Cyprianus*. 6. *Nazianzenus* vid. *Euseb*. Hist. l. 4. c. 25. et 6. c. 28. 7. Una cum *Concilio Laodiceno* Can. 59. qui omnes Ferè *Innocentio* 1. (à quo *Canonis Tridentini* ducitur *prosapia*) fuerunt *antiquiores*, Recentiores verò *Hugo* et *Cajetanus Cardinales* *Hieronymum*, hâc in re sequendum esse contendunt.

Objectiones

Objectiones Adversantium præcipuè Tridentinorum, qui Anathema illis denuntiant, qui hos Apocryphos integros, cum omnibus suis partibus, prout in vulgatâ prostant Editione Latinâ, pro Sacris & Canonicis non suscipiunt. Concil. Trid. §. 4ta *quod hisce suffulciunt argumentis.*

Ob. 1. CItantur in *Novo Testamento*, ut illud *Sapientiæ* c. 7.26. de splendore gloriæ Christi Heb. 1.3. Item de *imperveſtigabili* Dei *Consilio*, c.9.14. in *Epistola* ad Rom. c.11.34. sic *Christi irrisio* quæ describitur Math. 27. 43. deducitur è *Sapientiæ* 2. 18. Ergo pro Canonicis meritò sunt habendi.

Sol. Citatio talis non probat librum esse Canonicum, nam ita, *Aratus*, *Menander*, & *Epimenides* Poetæ essent Canonizandi quia à *Paulo* citantur Act.17.28. 1.Cor.15.33. Tit.1.12. 2. Nec concludendum loca alicujus authoris citari cùm adducuntur *similia*, sic enim dicamus *Salvatorem* citasse *Terentium*, *Durum est contra stimulos calcitrare* Act. 9.5.cum eadem *verba* habentur in *Phormione* Act.1.Scœn.1. 3. Citantur potius adducta ex Jo. 1.14. Col. 1. 15. Isa. 40.13.*Matthæus* autem factum narrat, non citat quid prædictum.

Ob. 2. Appellantur *Scriptura*, & *Canonici* à *Patribus*, quorum *judicium* non insuper est habendum.

Ob. 3.

Sol. Canon apud Patres duplex est, *Morum*, & *Fidei*, *Canonici* nonnunqnam dicuntur hi *Libri*, *primo* sensu non *secundo*, unde non *proto*-sed *deutero-canonici* aliquoties audiunt. *Hieronymus* verò & *Patres* alii cum *accuratè* loquuntur, *discrimen* statuunt inter *Apocryphos* hosce, & *Canonicos*, quod *nos* amplectimur.

Ob. 3. Legebantur publicè in *Ecclesiis*, quod *Canonicorum* tantum est privilegium.

Sol. Legebantur quidem propter *conformitatem* (maximâ ex parte cum *Canonicis*, ut *Homiliæ antiquæ* & *sacræ* ad *informandos mores*, non ad confirmandam *doctrinam*.

Ob. 4. Continuant Ecclesiæ *Historiam*, quæ aliàs à *Captivitate* maneret interrupta, Ergo non sunt à *Canone* excludendi.

Sol. Ex *Historicis Apocryphis*, incertum est an *Tobias* & *Judith* cum fragmentis de *Susanna*, *Bel*, & *Dracone* habeantur pro *Dramaticis* potiùs quàm veris *narrationibus*; quia mentio illarum apud istorum temporum *Scriptores*, (ut de rebus minutioribus) non occurrit; præsertim apud *Josephum Antiquitatum* Judaicarum sedulum *exploratorem*. 2. *Machabei* aliquid conferunt, sed quod ex aliis *Historicis* pleniùs colligatur. 3. E quibus *Primus* qui *Pastor* est *Hieronymo*, (ut putat *Junius*) vulgo omittitur, non sic dictus à *Pastore* gregis alicujus, sed ἀπὸ τῆς παστάδος, seu παστάδος ab *Atrio*, unde de tyrannide, *Ptolomei Philopatoris* inchoat insignem *Historiam*; quam secundi *Machabeorum Rapsodiis*, à *Jasone Cyreneo* corrasis meritò præferas.

In præf. ad Apocryp.

Ob. 5. Confirmantur hi libri à *Conciliis*, Carthaginensi. 3. *Can.* 47. Cui interfuit *Augustinus*. Item à *Florentino*, & *Tridentino*, ergo non sunt reijciendi. Bell: de verb. Dei, lib. 1. c. 4.

Sol. *Tridentinum* Concilium adversus nos à *Bellarmino* adduci, mirum videtur. Cum ipsius *decretum* sit *res controversa*, nec valet apud A. *Montanum*, *Sixtum senensem* & alios. 2. Quod urgetur è Concilio *Florentino*, *Concilij* non erat *Constitutio*, sed Papæ *Eugenii* 4ti post *finitum* Concilium,

ad

ad *Armenos* peculiaris *Institutio* 3. *Carthaginense* Concilium cum *Augustino*, non decernit quinam libri pro *Canonicis* sunt habendi; sed quinam publicè in *Ecclesia* sunt legendi, ut patet ex *circumstantiis*. Ubi & passiones *Martyrum* legi permittuntur in ipsorum *Anniversariis*; *Canon* igitur morum & *Canon* fidei, hic promiscuè usurpantur, cùm de *Canone* tantum fidei sit *præsens controversia*.

Ob. 6. Seponuntur capita quædam *Canonica* in *Leiturgia Anglicana*, substitutis quibusdam ex hisce *Apocryphis*, ut *publicè* legantur in *Ecclesia*, ergo videntur *æqualis* saltem *nobis*, si non *majoris*, esse cum *Canonicis* authoritatis.

Sol. In *Lectione* publica non semper illud proponitur quod in se est præstantius, sed quod auditorum *ædificationi* magis inserviat. 1. Cor. 14. 26. 2. Non æquantur igitur *Apocrypha* Canonicis dum sic leguntur, sed ut *instituta* quædam facilia interponuntur, quæ ad *Canonica* amplectenda, (ut *Homiliæ* & *Conciones*) tardiores excitent. 3. Sic *Geneseos* quædam *Capita*, & *Solomonis* Canticum, *Judæi* non legunt in *Synagogis*, ut captui populari minus accommodata. Sic etiam nec ex lectis *Chronicorum Genealogiis*, *Ezechielis* Templi *Architectonicis*, aut *Iohannis Apocalypsi*, Rudiores multum proficerent.

Ob. 7. Compinguntur etiam cum *Bibliis* a nostris, ut partes integrantes, ergo videntur esse ejusdem momenti.

Sol. Non urgenda sunt hæc ab *illis* tam ferocitèr in *Apocrypha*, qui *Marginalia* sua *annotamenta* textui tam liberè adijciunt. Ne *Conciones* ipsorum nonnullæ, inveniantur esse, non *Canonicæ*. 2. Sat sit *Cordatis*, *titulis* ista distingui, quæ eodem cohærent *volumine*, ut non pro *Canonicis* illi habeantur libri, qui leguntur sub *Titulo Apocryphorum*.

QVÆSTIO III.

An Textus Hebræus, veteris Testamenti, & Græcus Novi, incorruptus sit, & authenticus? Aff.

QVIA.

1. NON incidit suspicio cur *Hereticí, Hebraica* corrumperent, nec erat causa cur *Judæi* hoc facerent. Sic enim propria distruerent κειμήλια & sibi ipsis fidem derogarent. Quinnimò constat ex ipso cùm *Masora* tùm supputatis literis, & singulis punctorum *minutijs*, illos de Textu conservando ad *superstitionem* usq; fuisse solicitos.

2. Non potuerunt (si vel maximè voluissent) tam *subleſtâ* fide agere. vel enim hoc fecissent ante *salvatoris* adventum, vel postea; ante si quid tale patrassent, quomodo Christi & Apostolorum Reprehensionem effugissent? postcà verò, *examplaria* inter *Christianos* distracta Conatus hujusmodi nefarios reddidissent prorsus irritos.

3. Nec fecisse patet ex *Apostolo* qui λόγια τῦ Θεῦ eloquia sive *Dei Oracula*, illis fert accepta. Rom. 3. 2. unde fidissimi Christianorum *scriniarij* aut *capsarij* habentur ab *Augustino*, *studentibus nobis codices portantes*, & in ijs quæ contra illos faciunt ne *apicem* quidem mutârunt, ut ex librorum *Collatione* satis est manifestum. In Ps. 40.

4. Eâdem providentiâ non minus *Christianis* prospexit *Christus*, de certa fidei *regula*, ut ex indubitatis fundamentis *Evangelium* deduceretur; Quod fieri non potuit si textus

Hebraicus

Hebraicus esset corruptus. Ejus verò cùm quodlibet *Iota* & *apicem* fixiùs *Cælo* & *terrâ* Salvator esse voluit. Math. 5. 18. ad quod fluctuantes remittit, ut plenè instituerentur Luc. 10. 26. Io. 5. 39. *incorruptum* proculdubio & *authenticum* fuisse concluſit.

5. *Vigilantia Patrum* quovis seculo, his armis usa est adversus *Ethnicos*, *Hæreticos*, & *Profanos*, sic ut depravatio aliqua notabilis non potuit irrepere, sine publico *clamore* & *scandalo*. Quin & infami *Hæreseos stigmate* notati fuerunt qui *biblia* tradiderunt *Ethnicis* dehonestanda. Tanta manſit semper inter *Religiosos* textus reverentia.

6. Variæ *Translationes* institutæ, a variis in tot linguas discrepantes, *Masoræ* instar sive *sepimenti* esse potuerunt, unde quod quovis modo mutatum esset in *Originali*, ex collatione restitueretur.

7. *Postremo* exhibuit quodvis ferè seculum illustres *Criticos*, quales *Origines*, & *Hieronymus*, apud antiquos, *Erasmus* & *Beza*, cum infinitis aliis *sequioris* successionis, qui heroicâ *industriâ* & solertiâ, omnes textus apices expenderunt, & in integrum restituerunt, sic ut in rebus alicujus momenti nil desideraretur.

Contra Textus Hebraici puritatem objiciunt Stapletonus, Bellarm. Gordonius, &c.

Ob. 1. VBi mutantur *Literæ primævæ*, præsertim à *Deo ipso* consignatæ, ascitis in eorum locum *profanorum* inventis; ibi necesse est ut interveniat multiplex *corruptio*. At hoc factum fuisse à *Judæis* post reditum à Captivitate, asserit *Hieronymus*, quem sequuntur plurimi in *Hebraicis* versatissimi, Ergo.

Certum est Ezram *alias literas reperisse quibus nunc utimur.* Prol Gal. *Sol.*

Sol. Characterum *mutatio* non concludit textus *corruptionem*; ut *Biblia Anglicana Italicis* expressa characteribus, esse ideò corrupta', nullus dixerit. 2. Traditio ista *judaica*, (quam probat *Hieronymus* de *novis literis* per *Esram* introductis, ablegatis *priscis* ad *Samaritanos*) refutatur in סמרבה *Isai* 9. 7. ubi in *Mem* clauso agnoscitur fidei *mysterium*, quod in *Alphabeto Samaritano* frustra quæras. 3. Quis crederet, ita odio occæcatos fuisse *Iudæos*, ut χρύσεα χαλκείων *hostibus*, præcipuos suos *thesauros* relinquerent; ut non haberent cum illis aliquid commercii? adde quòd nec *Philo* aut *Josephus*, vel alius alicujus notæ, tam insipidæ commutationis meminerit.

Ob. 2. *Keri* & *Cetib*, *Chasir* & *Iother*, indicant aliud *legi*, aliud *scribi*, hic aliquid *deficere*, alibi illud *redundare*. Quæ manifesta sunt *corruptionis* indicia, Ergo.

Sol. Tantum abest ut *Keri* & *Chetib* (quæ 848. vulgò enumerantur) *corrumpunt* textum, ut varias potius ostendunt *lectiones* variorum exemplarium, per quas excludatur omnis *novatorum corruptio*; Quò spectant etiam *Chasir* & *Iother*, quæ *defectus* aut *redundantias* Grammaticales indicant. Ex quibus omnibus, *Masoretharum* pateat superstitiosum quasi textus *conservandi*, non minimum *depravandi* studium.

Vid. A. Montanum de var. lect. Heb. ad Bib. Regia.

Ob. 3. *Tikun Sopherim* correctiones sapientûm, supponunt aliquid fuisse corrigendum, quod cum factum sit à *Christianorum* Hostibus, probabile est partium studio in rem suam illos multa depravâsse.

Sol. Sopherim isti fuerunt, vel viri *Magnæ* Synagogæ (quorum *Antesignanus* erat *Ezra* à Deo inspiratus) qui unà cum *Sociis* post reditum à captivitate *Babilonica*, exemplaria librorum sacrarum *dissipata* aut *vitiata*, in integrum restituit, & eo quo habemus ordine digessit; vel ut alii volunt, fuerunt ipsi sacri. 2. *Authores*, qui correctiones istas ut *Epinorthoses* adhibent, quibus Rhetorum more id quod in textu dixerunt, corrigunt. 3. Alii verò *correctiones* istas ad *Thalmudica* commenta rejiciunt.

Buxtorf. ad Glassium. Bell. de V. D. l. 2. c. 8.

Ob. 4. Additio *punctorum* per *Masorethas*, observatur in plurimis

plurimis locis sensum mutare, Ergo *Biblia* saltèm *punctata* (quæ pluris cæteris æstimantur) habenda sunt pro depravatis.

Sol. Puncta, nonnulli statuunt cum *Alphabeto coæva*. 2. Alii *introducta* fuisse contendunt à viris *magnæ Synagogæ*. 3. Textui verò addita à *Tiberiensibus* inter se dissentientibus, sed cujuscunq; fuerint *additamenta*, tantùm abest ut textum corrumpunt, ut potius muniunt ne *corrumpatur*, & ad ipsius faciliorem lectionem & intellectum manuducant. 2. Sive igitur *punctatum*, sive *punctis* destitutum habeas *textum*, à *Judæis* (ut fatetur *Bellarminus*) in re alicujus momenti *depravatum* non accipies.

Ob. 5. Non dubitandum est 72. *Interpretes* à *Rege Ptolomæo* conductos, & ab *Apostolis* in N. T. citatos, è contextu puro *Hebraico* versionem suam traduxisse. Sed inter istam *Græcam*, & (quam habemus) *Editionem Hebraicam*, innumeræ observentur *contradictiones* & discrepantiæ; aut *hic* igitur aut *iste* corruptus est *textus*, at *Græcis* non fuit causa, aut corrumpendi opportunitas, Ergo cudenda est hæc *faba* in *Judæos*, quod fit à *Justino Martyre*, *Origine* & aliis.

Sol. Interpretationem istam 72. hodie extare negant *Docti*, ideoq; quantum & in quibus declinavit ab Originali *Hebræo*, nullus dixerit. 2. Apostoli in citatis ex V. T. non tam de *verbis* quam de sensu erat soliciti, & *Græca* potius adducunt quam *Hebraica*, quia ista fuerunt tunc temporis *receptiora*. 3. Non queruntur *patres* de Textûs *Hebraici* corruptione, sed de *Translatione Græca*, quæ inter *Helleniſtas Judæos* quibuscum vixerunt, authentian obtinuisset.

Ob. 6. *Evangelistæ* & *Apostoli*, aliquando citant ex veteri *Testamento*, ea quæ nusquam extant, ut illud quoniam *Nazaræus* vocabitur *Math.* 2. 23. & aliud ibid. v. 6. sic scriptum est (inquit *Evangelista*) per *Prophetam*, & Tu *Bethlehem Terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda*] At *Prophetæ* verba sunt, & *Tu Bethlehem Ephrata parvulus* es in *Millibus Judæ*, ubi utcunq; conciliatur *contradictio*, illud non præstabitur, *Scriptum est*] quod non *scriptum esse*, vel contrario mo-

do *Scriptum* esse invenitur deprehenditur Ergo hic *corruptio*, si non textus N.T. Ergo *veteris*.

Sol. Christus *Nazaræus* vocabatur non tantùm quia erat נצר *surculus*, quasi è *trunco* succiso egerminans Isai 11. 1. qui צמח germen est. *Ier.* 23.5. *& Zach.6.* 12: Sed etiam à *loco* in quo educabatur, & è quo educebatur. Quod ostendit *Evangelista* à *Prophetis* etiam fuisse prædictum, dum non ratione tantum *conditionis*, sed *habitationis* vocabatur *Nazareus*. 2. Non citat *Michæam Mathæus:* sed narrat quomodo citarunt *Sacerdotes* & *Scribæ*, qui sensum prophetæ sanum reddiderunt, licet verbis quibusdam mutatis.

Ob. 7. Ex pluribus instantiis ostenditur Textus *Hebraici* corruptio, à *Lindano, Leone Castrensi*, præcipuè verò à *Gordonio Huntleo*, aliisq; Iesuitis, qui tantum non *evertunt Domum* Luk. 15. 9. ut *Nodum* in *scirpo* inveniant. Tria præ cæteris urgentur. 1. *Gen.* 3. 15. ubi הוא *ipsum* vel ipse substituitur pro היא ipsa, in B. virginis *injuriam*. 2. Psal. 22. 17. כארי pro כארו intruditur, ad *labefactandam* de passione *Salvatoris* historiam. 3. *Iosuæ* 21. versus 36. & 37. desunt in Originali juxta *Kimchi*, & *Masoretharum* calculum, quæ in hodiernis omnibus exemplaribus reperiuntur, & in *Translationibus* admittuntur.

Sol. Ad *Primum*, sive *Ipse, Ipsa, Ipsum*, admittatur, sanus potest esse sensus הוא autem & non היא pro textu agnoscitur in Bibliis ex edit. *Manass. Ben Israel* Judæi: Ad *secundum* Caaru foderunt, & non Caari, sicut *Leo*, scriptum fuisse in *Antiquis exemplaribus* à se *conspectis*, testantur R. *Jacob Ben Chaiim*, & *Johannes Isaac* è *Judæo* factus *Christianus*, connectantur verò hic *Keri* & Cetib, & habebis, *sicut Leo foderunt*, quod loco rectè quadrat. Ad *Tertium* vide quid reponit *Simeon* de *Muis* in *præf.* ad *Psalmos*, de *Hebraicæ* editionis *authoritate* & *veritate*, exemplaria quæ hodie nos habemus *Hebraica*, duos istos *versus* nobis exhibent, & *interpretes* transferunt. Cum autem patebit manifestiùs illos esse *suppositios*, omitti possunt, sine *religionis* gravi aliquo *incommodo*.

Apud Iunium cont. Bellar. & Muis in locum.

Contra

Contra Novi Testamenti integritatem preßiores hæ adferuntur Instantiæ.

Ob. 1. ADditur *Orationi Dominicæ doxologia* Math. 6. 13. *Quia tuum est regnum potentia & gloria*] quod apud *Lucam* non habetur *Luc.* 11. nec in plurimis *græcis exemplaribus*, nec in ullis *Latinis* vetustioribus. 2. Unde in *Orationis* hujus interpretatione à *Chrysostomo*, *Cypriano*, *Hieronymo*, *Augustino*. non explicatur. 3. Nec in *Liturgiâ* nostrâ *Anglicanâ* ulla fit ejus mentio. *Bell. de V.D. l.* 2. *c.*7. & *de Bon. operib. l.*1. *c.*6.

Sol. Bis videtur *Dominus* hanc precandi *formam*, & *Normam* suis præscripsisse. *primo Discipulis* petentibus, *Luc.* 11. deinde aliâ *vice* turbæ promiscuæ, Math. 6. Apud *Lucam* omittitur hæc *doxologia* in privata Discipulorum *Institutione*, quæ opportuniùs posteà adjicitur in *publica* ad omnes *Concione*, tàm *alios*, quàm Discipulos. 2. Hanc non mirum est *Latinos* apud *Mathæum* non inveniri, cum illud *libera nos à Malo*, apud *Lucam* non habet purgatissima *vulgaris editio*. *Sixt. 5. per Clem. 8.* 3. Nobis sufficit *exemplarium Græcorum* vetustissimorum consensus. Leiturgica vero nostra (quæ sequntur *Lucæ* Ductum) non excludũt hoc *Mathæi additamentum*, sed pro arbitratu inter orandum adjiciunt, ut indubitatò *Canonicum* ex 1. Tim. 6. 16. & passim alibi.

Ob. 2. Math. 27. 9. sic habet Textus. Tunc *impletum est quod dictum est per Ieremiam Prophetam dicentem*, *& acceperunt triginta argenteos pretium appretiati*] quod nusquam legitur apud *Jeremiam*, sed *Zachariam* c. 11. 13. manifesta igitur hic agnoscenda est corruptio. *mat. 27. 9.*

Sol. Error *Typographicus* aut *Librariorum*, non cedat in *textus* præjudicium, qui aliàs possit restitui, *Syrus* legit *Quod impletum est per Prophetam*, non addito nomine, *hujus*

aut

aut *illius*, quod temerè videtur additum à quodam *subdolo*, & à margine postea in *textum* irrepsisse. Observandum est. 2. Quod in *N.T.* citantur loca ex *V.T.* *multiplici* ratione, 1. Quoad verba, ut *ecce virgo pariet*] Mat. 1. ex Isaia 7. 2. Quoad *sensum* & non verba, ut Tu *Bethlehem, non Minima*] Mat. 2. ex Mich. 5. 2. Tu *Bethlehem parvulus es*] 3. Tantùm quoad *typum* impletum, ut *Ex Ægypto vocavi filium.* Mat. 2. ex *Hos.* 11. 1. 4. Quoad *Analogiam*, sic Math. 15. 7. Bene *Prophetavit* de vobis *Isaias*] c. 29. 13. *Populus hic me labiis honorat*] Quia perstrinxit illud in *hypocritis* illorum temporum, quod *Pharisæis* postea ad amussim competebat. 5. Πλεωνικῶς sive indefinitè. Ita --- nunquam legistis *quia* ex ore *Infantium & Lactantium perfeciſti laudem?* Math. 21. 16. 6. Ἀκριβῶς punctim seu *præcisè*, ut cum *videritis abominationem desolationis*, quæ *dicta* est à *Daniele.* Math. 24. 15. ex Dan. 9. 27. 7. Ἀθρόως confertim vel summatim. ut *Dicite filiæ Sion*, ecce *Rex tuus venit sedens super Asinum*] Math. 21. 4. 5. ex Isaia 62. 11. & Zach. 9. 9. Ita hic *impletum* dicitur, quod *punctim* habetur apud *Zachariam* & *Jeremiam*; scilicet de *Emptione agri* Jer. 32. 9. de *pretio* Zach. 11. 12. citatur verò *Jeremias* solummodo ut *nominatior.*

Ob. 3. Marci 13. 32. Interponuntur hæc verba Neque Filius] ab *Arianis* (inquit Ambrosius) de fide lib. 6. c. 7. & urgentur à *Socinianis* ad probandùm *Christum* non esse Deum, *Patri* æqualem quia non *omniscius.*

Sol. De aliquibus *exemplaribus* loquitur S. *Ambrosius* non de *omnibus.* 2. Nec hinc aliquid exculpent *Sociniani* contra *Salvatoris* Deitatem, *Non scit Filius*] nempe *hominis*, qualem illum oculis tunc intuebantur, sed quà *Dei filius* non negatur scire omnia æquè ac *Spiritus Sanctus*, qui scrutatur omnia, etiam arcana *Deitatis* 1. Cor. 2. 10. 2. Unde cum dicitur de *Die* illa & *horâ Nemo scit. Nemo*] id est *nullus Creaturarum*, nec *Filius* h. e. *Hominis* quâ talis, vid. *Parei Annot.* Mar. 13. 32.

Ob. 4. Manifesta occurrit *contradictio* in *Christi Genealogia* inter *Mathæum* & *Lucam*, Asserit enim *Mathæus*, *Jacobum* fuis-

se

se *Ioſephi* patrem c. 1. 16. *Lucas* verò *eundem* fuiſſe Eli *filium* c. 3. 23.

Sol. S. *Lucas* non negat *Joſephum* fuiſſe *Jacobi* filium affirmat tantum illum fuiſſe τῦ ἥλι, quod exponi poteſt *Generum*, quia *maritus* erat B. *Virginis Heli filiæ* naturalis; unde ſequeretur ex *notis Genealogiis* non negandum *Jeſum* fuiſſe *promiſſum* ſemen, quia ſive *Joſephi* (ut falſo putabatur) ſive aliàs *Mariæ* eſſet *filius*, Ab *Abrahamo* & *Davide* duxit *proſapiam* à, quibus *Meſſias* erat expectandus.

Ob. 5. In *Genealogia* Salvatoris à B. *Luca* contexta, recenſetur *Cainan* ut *Arphaxad* filius contra fidem *Canonis* Hebraici Gen. 11. 11. & *filum* (quod interrumpit) *Chronologicum*, Paralip. 1. 18. Ergo aut *corrumpitur* hic textus V. T. aut *Novi*.

Sol. Dicunt vulgo B. *Lucam* hic ſequi *Septuaginta* ut tum *Judæis* receptiores, ad declinandum ſcandalum, quod innuit cum dicit (ὡς ἐνομίζετο ut putabatur) Atquî *parentheſis* iſta reſtringitur tantum ad *relationem* inter *Joſephum* & *Jeſum*, non extenditur ad *omnes majores*. Et *Evangeliſtam* tantum excuſat, non *textum* liberet ab interpolatione. 2. Fatendum igitur hic ἁμάρτημα eſſe *Librariorum*, quod antiquitùs in textum irrepſit, nec ut granum *Zizaniæ* evellitur, ne turbetur triticum. 3 In vetuſtiſſimo exemplari *græco Bezæ*, non comparuit hic *Cainan*, & furcillatur à *Grotio*, & aliis, ut apertè ſuppoſititius.

Ob. 6. *Abraham* pro *Jacobo* ſubſtituitur ut fatentur *Beza* & *Piſcator* Act. 7. 16. Siquidem *Abraham* non emit *ſepulchrum* à Filiis *Hemor*, filii *Sechem*, ut conſtat Gen. 23. 16. ſed *Jacob* Gen. 33. 19.

Sol. Duplex *emptio* & *ſepultura* hic conglobantur, ut fit in *notorum* relatione. *prima* eſt *Abrahami* à filiis *Heth*. Secunda *Jacob* à filiis *Hemor*, *textus* ſi ſic legatur Tranſlati ſunt [nempe patres noſtri, In *Sichem*] *Emptum* à *Jacobo* centum agnis, & *poſiti* in *Sepulchro*] non *omnes* ex illis ſed *Jacobus*, & alii ipſius *filii*, (præter *Joſephum* cujus oſſa tenuit *Sichem* Joſ. 24. 32.) Quod emit *Abraham* non *agnorum* ſed *argenti* pre- *Ioſeph. Antiq. l. 2. c. 4.*

tio, ab *Ephron* filio *Seor.* בְּנֵי־חֵת בְּכֹל בָּאֵי שַׁעַר עִירוֹ] hic interponendum τὸ (omissum usitato *illepsi*) præter *illud*] quod emit *Jacob* à filiis *Hemor* patris *Sichem*, & sic omnia consentiant. vid. *Junium* in parall.

*Ob.*7. 1. *Io.*5.7. Testimonium de S.S. *Trinitate*, est suppositititium, ideoq; illud non habent *Syrus*, *Arabs*, aut *Lutherus* in suis versionibus; nec agnoscunt patres, *Chrysostomus*, *Hilarius*, *Augustinus*, & alii apud *Bellar. &c.*

Sol. At habent *vetustiora exemplaria græca* & probatiora, urgent *Athanasius*, & *Hieronymus* in Criticis versatior, qui illum expunctum fuisse ab *Arianis* contendit, quia non potuerunt vim ipsius eludere, & nisi admittatur, nullus erit sensus verborum insequentium, & *Tres sunt qui testificantur in Terra*] quæ præsupponunt tres testes præcessisse, qui non erant ex *Terra*, & distinctio v. 9. inter *testimonium Dei* & *hominum* idem astruit. 2. *Luthero* quod hic defuit supplent *Lutherani*. 3. Quin & non tam effrontes sunt *Sociniani*, ut in *Translatione* sua *Germanica* testimonium hoc omittendum censêrunt.

QVÆST. IV.

An versio vulgaris Latina sit Fontibus æquanda, & cæteris omnibus Translationibus præferenda?

CAnonizavit hunc Textum *Concilium* Tridentinum Sess. 4ta non ut *erat*, sed ut posteà erat corrigendus, illud tandem accidit post annos circiter 46. tribus interim *Papis* morientibus, & prodiit demùm per

per *Sixtum Quintum* hæc correcta *Editio*. At quomodo (non dico noſtris) ſed *ſuis* tandem ſatisfecit Succeſſor *Sixti, Clemens octavus*? Opus utcunq; ab anteceſſore, *infallibili* diligentia emaculatum. & ex plenitudine poteſtatis ſub *diplomate* orbi Chriſtiano commendatum, ad *incudem* revocavit; expuncta nonnulla à *Sixto*, reſtituit, plura mutavit, correxit, ut patet ex *Collatione* exemplarium D. *Thomæ Jameſii* in *Bello Papali*, quæ *præli vitio* (ut cauſatur *Clemens*) non poſſunt aſcribi. illam autem ſive *Sixtinam*, ſive *Clementinam* Editionem, utcunq; ſic *Elimatam* & perpurgatam, præferendam eſſe aut æquandam textibus *Originalibus*, non poſſumus concedere, hiſce imprimis ducti *rationibus*.

1. Tranſlationis *præſtantia* æſtimanda non eſt ab injungentium *authoritate*, ſed à conſenſu cum *prototypo*, ſed *hoc nomine* præfertur *Pagnini* verſio, ab *Aria Montano* dedolata, & in *Bibliis interlinearibus* una cum *Regiis Hiſpanicis* edita & probata palmam proripiet, Ergo *Vulgaris* hic non obtineat.

2. *Vulgaris* (prout extat hodiè) non ex fonte *Hebraico* V.T. ſed à 72. maxima ex parte emanavit, nec ad fontes erat expenſa, ſed ex collatione multorum *Latinorum* exemplarium, à correctoribus emaculata, Atqui norunt omnes quàm 72. *verſio* interpolata ſit & lubrica, & Tranſlationes æque *incertæ* inter ſe collatæ quam ancipitem faciant fidem, abſque *Originalis* directorio. Ergo. *Bellar. de V. D. l. 2. c. 6.*

3. *Addita, detracta, aliaſve* mutata in emendatis *vulgaris editionis* exemplaribus, illam longe deprimunt, ſub quibuſcunq; ferè recentiorum *verſionibus:* conſule Pſ. 68. & Whitaker: q. 2. c. 10.

4. Tot *Barbariſmis* & *ſolæciſmis* ſcatet iſta *verſio*, ut probabilis ſit ea ſententia, quæ aſſerit iſtam primitùs à *Græco quodam* in *Latinis* non ſatis verſato *Originem* duxiſſe. unde iſta, habemus in T.V. 1. *Rex virtutum dilecte dilecte, & ſpeciei dominus dividere ſpolia*, Pſ. 67. 13. 2. *Ut quid ſuſpicamini montes coagulatos* Ib. v. 17. 3. *Scopite* Spiritum veſtrum ſic in T.N. 4. Filius hominis non venit *Miniſtrari*, ſed *Miniſtrare*.

Math.20. 28. 5. In *resurrectione* neque *nubent* neque *Nubentur*, Ibid.22. 30. Ita 6. *Intentatoris*. 7. *Aporiamur*, 2. Cor. 4.8. hujusmodi sunt loquutiones,& verborum monstra,quæ latinis auribus *geticum* quiddam ingerunt;ex quibus ridiculum consarcinavit *textum Hunnius*. Ista verò utcunq; tolerari possunt ab iis qui *sensum* potius quam *verba* respiciunt. *Canonizari* tamen vix decuit à *Concilio generali*, nisi *fiatur* (ut loquutus est quidam) in contumeliam omnium Grammaticorum decreto *Concilii* stabiliatur.

Iac. 1.13.

In Bellar. de V.D.p. 334.

5. Pervertuntur etiam in ea non pauca in *veritatis* præjudicium. ut illud *Gen.* 14.18. erat [*Enim*] *Sacerdos Dei altissimi*, ad statuminandum *Missæ* sacrificium. Illud *Ezech.*9.4. *Signa* [*Thau*] super *Frontes* virorum gementium, ad Idolizandum *Crucis signum*. Illud Heb. 13. 16. Talibus hostiis *promeretur* Deus, & ejusdem fermenti cætera, ex quibus *Theologiæ* studiosus *prolixos* sibi contexat *Catalogos*.

6. Neque de hac tamen *Editione* quæ debet esse omnibus *authentica* satis inter *Sixtum* 5. & *Clementem* 8. convenit, ut ad oculum demonstrat D. *Jamesii Bellum Papale*, cui non adhuc prodiit vel probabilis aliqua (quæ satisfaceret) *Responsio*.

7. Decretum est *Juris Pontificii Dist.* 9. Can. ut *veterum* in hæc verba, *ut veterum librorum fides, ex Hebræis voluminibus examinanda est; Ita novorum veritas, græci sermonis normam desiderat*: quod confirmatur ex *Patribus* à *Bellarmino* ipso citatis,unde concedit ipse. 1. In corrigendis *erroribus* Librariorum. 2. In codicum Latinorum *varietate*. 3. In *verborum* aut *sententiarum ambiguitate*. 4. In vocabulorum *energia* & *proprietate* expiscanda,(& cur non etiam 5. In *additis* aut *detractis?*)ad *fontes* patere *recursum*. Sed fontes (addit) tum non debent esse *turbidi* quales censet esse Textum V. T. *Hebræum*,& *Græcum* N. quod mittere revera est ad tales fontes quales non sunt (ut in dictis evicimus) consultiùs igitur alii, *Decretum Tridentinum*, non extendunt ad *Textus Originales*, sed *collationem* contendunt esse factum solummodo, inter *versiones Latinas*, & hisce omnibus vulgarem esse

Bell. de V.D. l.2. c.11.

prælatam;

prælatam; non quòd cæteris omnibus sit *accuratior*, sed ut omnes Scholæ & conventus doctorum, agnoscerent se esse *subditos Romanæ Ecclesiæ*, cui tanquam *cœlesti* oraculo, Scripturam ipsam *authenticam* referre tenentur *acceptam*. Unde.

Pro versionis vulgatæ Authentia intercedunt Romanenses.

Ob. 1. NON credendum est *Ecclesiam* totis *octengentis* vel *nongentis* annis editione Scripturæ *germanâ* caruisse, cum illa sit *columna* & *firmamentum* veritatis, 1. Tim. 3. Sed nulla alia *editio* abtinuit in *Ecclesia* à temporibus B. *Gregorii* præter hanc *vulgarem*. Ergo illa est *authentica* & adhuc retinenda *Bell. de V.D. l.2.c.10.*

Sol. Non quæritur de *Editionis* hujus *antiquitate*, aut *usu* sed *veritate*, quæ si desit ob dissensum ab *Originali*, *antiquitas* ipsius, aut *usus* istam parum promovebunt. 2. Supponitur hic illud semper, quod est τὸ κεινόμενον *probandum*, nempe *Romanam* suo ambitu complecti *omnes Ecclesias*. Annon *Græcis* potuisset esse *purior translatio*. Etiamsi *Romani* illâ caruissent? 3. *Italica* quæ vetustior erat *editio*, aut *pura* erat, vel non, si *probanda* erat & *pura*, cur *Hieronymus* rogatu *Damasi* illam emaculavit. Si *non*, cur *Damasus*, vel alius è *Papis* pro sua *infallibilitate* (ut gloriantur) Ecclesiæ non melius prospexisset, & infallibilem Editionem mundo exhibuisset, quę instar columnę esset vel fundamenti? Videant igitur qui sic argutantur, ne quod *addant Tridentini Papis* suis, *majoribus* detrahant.

Ob. 2. Veteres *hâc* usi sunt *Editione*, quæ vel *Hieronymi* est, vel certè *communis Italica*. *Italica* si sit, *Augustinum* habet advocatum, ubi dicit eam omnibus esse præferendam. Sin autem sit *Hieronymi*, non *Augustini* tantùm sed *Gregorii*, *Isodori*, *Bell. de V.D. l.2.c.10* *De Doct. Christ. l.2.c.15.*

dori, *Rabani*, reliquorumq; Latinorum insequentium, *suffragia* habet *prioritatis*, & *Elogia*.

Sol. Laudarunt veteres *Italicam* ob verborum *tenacitatem* & *sententiarum perspicuitatem*. Ego, si prodiret *translatio* quæ verborum esset illâ *tenacior*, & magis perspicua in sententiis, quid ni ista illi *palmam* præriperet? & si *Hieronymo* licuerit corrigere *translationem* adeò *receptam*, & *laudatam*; quid posteros impediret *Instructiores*, quo minùs elimarent *Hieronymum*? 2. In *Psalmis* autem, cur non sequti sunt *Tridentini* translationem *Hieronymi*? qui in N. T. fatetur se nonnullas tantùm mendas veteris Interpretis sustuliss. 3. Et apertus est *Augustinus Libros* N.T. (si quid in *Latinis* varietatibus titubat) *Græcis* cedere oportere, quod ipsum est, quod volumus, *Translationes* nullas à fontium *castigatione* esse eximendas. *Vbi supra.*

Ob. 3. Aliqua *Translatio* ut *Classica*, conformitatis gratia, est *Scholis* præcipienda, ut *Aristoteles* solet esse in *Logicis* & *Philosophicis*, *Euclides* in *Mathematicis* &c. Sed, non aliqua occurrit *versio Antiquis intelligendis* tam accommodata, vel à *recentioribus*, ob *antiquitatem*, *simplicitatem*, aut *gravitatem*, æquè ac *vulgaris* suspicienda, Ergo *cæteris* est præferenda.

Sol. Non lis est an *Classica* habenda sit in *Scholis*, sed an ubi *erronea* inveniatur, ad fontes liberè non corrigatur. 2. Non mens autem erat *Tridentinorum Græcis* illam obtrudere. 3. A *nostris* autem non rejicitur, *commendata*, sed *imperata* ut *authentica*, *Originalium* examini non *subjecta*.

Ob. 4. *Hebræi* & *Græci* habuerunt suos *Textus authenticos*, Ergò eodem jure suum etiam *authenticum* haberent *Latini*, *Bell. V.S.*

Sol. Originalis & *Translationis* non est eadem ratio. A *Prophetis* & *Apostolis* indubitatò à S. S. inspiratis profluxit V.T. textus *Hebræus* & *Græcus* Novi; at quis dixerit versionis vulgaris *authores*, aut *promotores*, eodem modo fuisse instructos?

Ob. 5. Malè provisum esset *Ecclesiæ*. si in *Conciliis generalibus*

libus non extaret *lingua* aliqua aut Editio authentica, qua se invicèm intelligerent, At pauciſſimi ſunt qui textus intelligunt *Originales*, ut accidit in *Concilio Ariminenſi*, ubi ob ignorantiam Græcæ Lingnæ 600. exclamarunt *Epiſcopi*, ſe nolle ὁμοούσιον ſed *Chriſtum*. *Bell. V. S.* *Ruff. Hiſt. l. 10. c. 21.*

Sol. Concluditur hic tantùm quòd textus communis eſſe debeat in Lingua à *Synodicis* intellecta, non quòd ita ſit *authentica*, ut ab illa ad *fontes* non admittatur *appellatio*. 2. Quos ſi ignorent *Epiſcopi*, peritiores conſulant, nec detrahatur *fontibus* authoritas, aut præferatur *tralatio*, ob illorum *ignorantiam*.

Ob. 6. Indignum eſt *Chriſtianis* mendicare à *Rabbinis hoſtibus* ſuis veritatem. Idem dicere poſſimus de Græca *Lingua*, Ergo *Norma* authentica de proprio eſt habenda. *Bell.* V. S.

Sol. *Prophetas* & *Apoſtolos* durum eſt in hoſtium ſupputare numero. Iſti autem ſunt quos appellandos ſolum docemus. Qui verò *ciſternas* ſibiipſis fodiunt non implendas per *Canales* hinc deductas, videant ne dnm *aquas* quærunt, *Cœnum* hauriant.

Ob. 7. Ex multiplicatis *Tranſlationibus* Turbaretur *pax* Eccleſiæ, quod *experimento* conſtat inter *Hæreticorum* verſiones varias; Ergò *conſultum* eſt ut una tantùm obtineret, quæ cæteris præ ponderaret. Et hæc meritò ſtatuitur *vulgaris*.

Sol. Tranſlationum *varietas*, textum potiùs elucidat, quàm turbat *Eccleſiam*, quia plus vident *oculi* quam *oculus*. Et quæ ex *uno* non percipitur, ex collatione *multorum* eruatur veritas. 2. *Certantes* de *primatu* turbent Eccleſiam *Tranſlationes*, non *illæ* quæ non admittantur, niſi quatenus cum *Originalibus* conſentiunt. 3. *Ea* autem *lege vulgarem* inter *cæteras* non præ *cæteris* verſionibus Latinis, admittimus, ut non ſit ulterior de hac re *Altercatio*; tantùm ex ſibilamus iſtam Gregorii de *valentia*, & eò contendentium ſententiam, *Originales contextus* ad *vulgarem* eſſe *corrigendos*.

QUÆST.

QVÆSTIO. V.

An vulgari debeat Scriptura in ea Lingua quam Populus intelligat.

QUI tàm præfractè altercantur pro *Latina* æditione *Vulgari*, vulgari tamen nolunt *Scripturam* in ea Linguâ quam *Populus* intelligat, sed quam dilutè, constat. Quia

1. Omnia *fieri* debent in *Ecclesia* ad *ædificationem*. 1. Cor. 14. 26. sed nulla *ædificatio* expectari potest ex *lingua* non *intellecta*, quia sic *loquens* erit. 1. Ut *Tuba* incertum edens *Sonum*. Ib. v. 8. 2. tanquam *loquens* in *aërem* v. 9. 3. Audienti *Barbarus*. 4. cui *Amen* non dicat *Idiota*. v. 16. 5. sed instituendus *vexabitur* loco consolationis. v. 21. 6. sic ut *furere* existimentur ita docentes. v. 23. 7. *Decorum* nullum aut *ordinem* observantes. v. 40.

2. Omnium est Scripturas *scrutari* Io. 5. 39. quæ *scriptæ* sunt in eorum *doctrinam*, ut per *patientiam* & *consolationem* Scripturarum *spem* habeamus *Rom.* 15. 4. At hoc fieri non potest ex *Lingua ignota*.

3. Laudantur *Beræenses* qui *Scripturas* quotidiè *scrutabantur*, ut intelligerent an *ea* sic se habebant de *Christo*, quæ *Paulus* & *Silas* illis prædicabant. At quomodo hoc *illustre exemplum* imitentur *Christiani*, si *Scripturæ* non *publicarentur* in ea *lingua* quam intelligerent.

4. Exemplum *Mosis* in populo Dei *instituendo* à nobis est imitandum, quia confirmavit illud *Salvator* suâ praxi Luc. 4. 16. Sed legebatur *Moses* singulis *Sabbatis* oppidatim in *Synagogis* Act. 15. 21. quod esset sine *fructu*, si populus non intelligeret quid legeretur.

5. In confesso est *Orientales* Ecclesias, & patet ex ipsarum *Liturgiis* Linguâ populo *vernaculâ*, sacra sua *celebrasse*; quid

quid ni igitur idem fieret in *Ecclesiis Occidentalibus*, cum eadem populi instituendi sit *necessitas*, & *ratio*?

6. Orandum est non tantùm linguâ, sed *mente* etiam & *intelligentiâ*. 1. Cor. 14. 15. Sed quomodo hoc fieri potest nisi intelligas quod petis?

7. Ipsi *Pontifices*, *Moscovitis Slavis*, *Æthiopibus*, &c. Concesserunt, ut Linguâ propriâ sacra sua celebrarent, Hortantur *Chrysostomus*, *Augustinus*, *Theodoretus*, &c. Laicos indiscriminatim, ut comparent sibi ipsis *Biblia*, & studiosè in illis legant. Quin & patet in *Decretalibus* Cap. *Quoniam* in pleriſq;. Tit. de *Offic.* Judicis ordinarii. *Innocentium* 3. *Præcepisse*. ut cum in *aliqua Urbe permixti sunt homines diversarum Linguarum*, *Episcopus provideat viros Idoneos*, *qui diversis Linguis divina officia* celebrent. Et *Sacramenta administrent diversæ Linguæ hominibus* (agnoscente *Bellarmino*) Non erat igitur cur *Tridentini* hunc panem quotidianum *parvulis* eriperent. Si enim hoc sit *pernitiosum*, cur dispensant? Si *non*, cur *Patris Testamentum* à *Liberis* subducunt, vel saltèm *venum* exponunt.

In Colloss. Homil 9.
De Doct. Chr. l. 2 c. 5.
De Curand. Græc. affect. l. 5.
De V. D. l. 2. c. 16.

Objiciunt Romanenses.

Ob. 1. A Tempore *Ezræ* desiit lingua *Hebræa* esse vernacula *Judeis*, ut patet *Nehemiæ* 8. 8. ubi 1. *Esra* cum *Sociis legem* populo exponebant. 2. *Judei* postea illud *Salvatoris Eloi Eloi Lammasabacthani* non intelligebant, & 3. Affirmant *Pharisæi Turbam* esse *maledictam*, quia legem non noverant, *Jo.* 7. 49.

Sol. Non negatur Linguam *Hebraicam* in Captivitate, ex peregrinorum *commercio*, inter vulgus *Chaldaica* nonnulla contraxisse, & in *Syriacam* (quæ tempore *Salvatoris* invaluit) dialectum degenerasse. Sed indè non inferas, aut *textum* Scripturæ quovismodo fuisse *mutatum*, aut à populo (cui semper *inculcabatur*) non fuisse intellectum. 1. *Es-*

dras autem cum reliquis exponebat populo *sensum* non *verba*, quæ erant satis ipsis *nota* ut patet ex *textu*. 2. Non ex *Linguæ ignorantiâ*, sed ex *Sarcasticâ petulantiâ*, Astantes dixerunt Christum *Eliam* inclamasse. 3. *Pharisei*, non negaverint turbæ, *literæ* legis *intellectum*, sed *mysterium* de *Messia*, quod sibi ipsis superciliosè arrogabant.

Ob. 2. *Apostoli* non scripserunt in *Linguis* illis *vernaculis*, quibus *Evangelium* prædicabant. unde *Paulus* ad *Romanos* scripsit Græcè, sic *Petrus* & *Jacobus Hebræis*. Ergo *Translatio* in Linguas *vernaculas* non videbatur illis necessaria.

Sol. Græcè *scripserunt Apostoli* quia ista *Lingua* tunc temporis, erat inter cæteras omnes *notissima*, è qua in *vernaculas* facilior fieri potuit *traductio*. 2. Prædicabant genti cuilibet Dei *magnalia*, dialecto ipsis notâ, prout à S. S. Linguarum dono fuerunt cælitùs instructi. 3. Quodsi quia *Apostoli* græcè scripserunt, ignotâ *Linguâ* sit in sacris *retinenda*, & *Biblica* mysteria à populo, ea ratione sunt subducenda, cur non potiùs *Græcè* celebrarentur hodiè *Sacra*, ut reconderentur *mysteria* quam *Latinè*, cùm remotior sit ista Lingua à *populari* captu, & minori hoc fieri potuit cum *strepitu*.

Ob. 3. Obtinuerunt *Hebraica*, *Græca*, & *Latina*, apud *Orientales* & *Occidentales*, postquàm desierunt esse *vernaculæ*, ut in *illis*, & secundum *illas*, omnia negotia *Ecclesiastica* transigerentur, Ergo *consultum* est, ut tales *Margaritæ* ulteriùs porcis non prostituerentur.

Sol. Obtinuerunt quidem istæ Linguæ in *Synodis* doctorum intelligentium, non in *cœtibus* populorum ignorantium, & in *controversiis* discutiendis, aut determinandis (ut fit in *Scholis*) non in sacris *celebrandis*, aut *precibus*. ubi uniuscujusq; exercenda est *fides* & *devotio*, sic ut intelligat pro captu, quid agitur.

Ob. 4. Occurrunt in Sacris Literis, quæ *Populo* solent esse *Scandalo*, ut illud *osculetur* me *osculo* oris sui, & *Læva* ejus sub *capite* meo, ut *dextera* ejus *amplexabitur* me. unde *fœmina* quædam *Anglicana*, ad *Lectionem* cap. 25. *Ecclesiastici*, (ubi Nequam *femina* graphicè depingitur) exclamasse fertur

(teste

(teste *Bellarmino*) *Istud ne* est *verbum Dei*, *Immo potius verbum Diaboli* est. 2. Hinc ex *Scriptura* non intellecta prodiisse omnes *hæreses* tradit *Hilarius*, Librum *Hæreticorum* Scripturam vocavit *Lutherus*, & *David Georgius* ex *Batavis* suis *Bibliis*, conclusit se fuisse *Dei filium*. *De V. D. l. 2. c. 15. De Synodis.*

Sol. Paucorum *Abusus* non debet cedere in plurium piorum *præjudicium*. nec furor *fœminæ* firmat dogma, hac ratione vulgaris *exauctoraretur Editio*, dum *Iesuitæ* & alii *torquent* eam docti, ad suos errores *palliandos* & *disseminandos*. 2. Non *declinanda* est *Scriptura* quia *Diabolus* & *Hæretici* eam urgent, sed *vindicanda* ab insanientium deliramentis & inquinamentis perfidorum, ne *cæci* cæcos præcipitent in *foveam*.

Ob. 5. Diminuitur *majestas* Scripturæ, & nimiùm vili vænit, cum linguâ vernaculâ prostituitur. 2. Latent ibi quædam *mystica*, & *arcana* vulgò non *communicanda*, ut agnoscunt *veteres*. 3. Et plurima occurrunt quæ non possunt *aliis* linguis exprimi, periculosæ igitur videantur *Translationes*.

Sol. *Majestas* Scripturæ æstimatur ex *sensu* potius, quam verbis. 2. Nec veteres arcent populum à submissâ *lectione* ejusdem, aut *auditione*, sed à *curiosa explicatione* & *applicatione* ad privatas *vertigines*. hoc est quod reprehendit *Hieronymus*, in *garrulis vetulis*, *senibus deliris*, & *verbosis sophistis*, & *Basilius* in *Culinæ* Imperatoris *præfecto*. Tuum est de *Pulmentis* cogitare & non *dogmata* divina *decoquere*. quibus nos libentissimè subscribimus. 3. Ista autem quæ non commodè transferantur ut *Amen*, *Hosanna*, *Hallelujah*; pauca sunt, & *usu* fiunt cuivis *nationi* familiaria. *Epist. ad Paulina.* *Theodoret. Hist. l. 4. c. 17.*

Ob. 6. Mutantur fere singulis *seculis* linguæ *vernaculæ*, ut *Latina* in *Italicam*, & vulgo hodie apud Anglos *Wiclevi* & *Chauceri dialectus* ægrè percipitur, unde necesse est, ut mutentur *versiones*, non sine insigni aliquo *incommodo*.

Sol. Ista non sunt tanti ut mutentur *versiones*, quæ ex *usu* perpetuo manent populo *familiares*. Nec mutatio *verbi* aut *phraseos obsoletæ*, tam sit incommoda, ut *Populo* denegetur ex *lectione* Scripturæ consolatio.

*Ob.*7. Constat *Romanenses* versiones *vernaculas* probare, & Laicis *legendas* cum delectu permittere, unde *Duacensis* translatio, V.T. & *Rhemensis* N.T. apud *Anglos* prostat, Ergò injustè postulantur ob *negatas* vulgo tales *versiones*.

Sol. Facultatem concessam *Episcopis à Pio quinto*, ut *indulgerent* aliquibus *plebeis* Scripturam *vernaculam*, Revocavit *Clemens octavus* (teste *Azorio*) Quàm syncerè autem egerunt *Duacenses* & *Rhemenses*, in *Anglicanis* suis versionibus, gustum percipiat quispiam, ex hisce *instantiis*. 1. *Exod.* 34. 30. & 35. ubi nostri habent, **The skin of Moses face shone, or did shine.** *Pagninus*, Resplendebat. *Montanus* promicabat. (quod קָרַן propriè significat) *Duacenses* reddunt è *vulgari*, **Moses face was horned**] & sic *cornutum* illum representant *pictores*, ad vulgi *stuporem*, vel *ludibrium*. 2. 1. *Reg.* 9. 26. **King Solomon made him a Mauie of shipps**] & sic *vulgarus*, *Classem* quoq; *fecit Rex Solomon*, quid *Duacenses*? **King Solomon made him a Mame**] At error est *Typographicus*, ex (**m**) posito pro **uie**] crediderim, nisi obstaret nota *Marginalis*, **A name** i. **A moniment**, *excusent* ut *videbitur*. Illud tamen vix excusabitur *Eccles.* 12. v. *ult.* **God will bring into Judgement for every errour, whether it be good or evill.** Unde Lector colligat aliquos *Bonos* esse *errores*, annotant igitur ad *Marginem*, **for every errour, hidden or obscure things.** quæ rectè in *bona* & *mala* tribuas, sed cur hoc in textu non ponitur? quia vulgaris *Editio* sive *bona*, sive *mala* sit, est sequenda. Transeamus ad *Rhemenses* N.T. *subversores*. 4. Cur **supersubstantiall bread**, obtruditur in *Oratione Dominicâ*. Math. 6. potiùs quam **daily bread**, ut reddunt apud *Lucam* c. 11. nili ut de *Transubstantiatione* ex *stupendo* tali vocabulo aliquid *simplicioribus* instilletur. 5. Quid sibi volunt per tales elegantias? **Beneficence and communication forget not, for with such hostes God is promerited** Heb. 13. 16. Item 6. **We yee superedified to offer spirituall hostes.** 1. *Pet.* 2. 5. *Postremò* & illud, **I was in the spirit on the Dominicall day.** *Rev.* 1. 10. Annon hæc *Anglica*, æquè *Anglis* rudioribus *obscura*

Moral. l 8. *c.* 26.

sunt

sunt, ac *Latina*? unde *Dictionarium* coacti sunt contexere, ut *Anglica Angli* intelligerent, cum potuissent (si Lubuisset) ad captum *conterraneorum* accommodatiùs se exprimere. In toto autem hoc molimine quicquid *prætexitur*, id *agitur*, ne *proselytæ* sui in textu nimium sint versati. Nam cùm ex *prælectis Bibliis*: nihil de *Papæ supremata*, de *Imaginum*, & *Sanctorum cultu*, de *Purgatorio*, & cæteris à nobis rejectis, quod *fidem* faciat, inveniant, suspectos incipiant habere suos *Ductiores papicolas*, & *Protestantibus* nostris libentiùs auscultare.

QVÆSTIO VI.

De Judice Controversiarum.

An ultima Fidei Resolutio sit in Scripturas Canonicas, vel in determinationem alicujus Interpretis infallibilis?

DEpulsi è subterfugiis, *Apocryphorum*, *Editionum*, & *Versionum*, quibus *illaqueare* solent incautiores, ad *magistralem* & prætorium quasi *Interpretem* se recipiant *Adversarii*: qui textum pro arbitratu inflectat. Ita ut nos textui, sic *textus* illi subijciatur, adeoq; per consequens, nos captos habeant tali *ratiocinio*. Sit *textus* vobis (prout contenditis) *sartus tectus*, cùm multiplex interim ipsius obscuritas scrupulos de *Controversis* injiciat; Quis certum hic non quæreret *Interpretem*, qui lites dirimat, unde *Bellarminus*, *Scripturam* admittit esse *verbum Dei*. Sed ea *De V.D. l. 1. c. 1.*

Ib. l. 3. c. 3. restrictione, ut *juxta mentem Ecclesiæ Catholicæ explicatur*, de cujus si constaret *visibili* & *communi* judice finitæ essent omnes Controversiæ. *Quatuor* autem hìc eriguntur *Tribunalia*, à quibus denegatur fieri *Appellatio*. 1. *Ecclesiæ*, 2. *Conciliorum*, 3. *Patrum*, 4. *Papæ*. Sed ritè *calculis* subductis, solus restat *Papa* ut *Dominus totum faciens*. Qui *Scripturam* admittit ut *regulam* (*partialem* saltèm non *totalem*) verùm ad nutum ipsius applicandam & *regulandam*. Nostri talem non agnoscunt *Dictatorem Enthysiasticum*, in quem ultima fidei nostræ fiat *Analysis*, His freti præcipuè argumentis. Quorum

1. Sumitur à *Dictamine Salvatoris*, ablegantis singulos, non ad designatum aliquem visibilem & *infallibilem Interpretem*, Sed ad notum *textum*, *Scrutamini Scripturas*. Jo. 5. 29. non dicit consulite *Papam* meum infallibilem *Vicarium*. Sic agit cum *Legisperito* tentante. In *Lege quid Scriptum est*, quomodo *legis*? Luc. 10. 26. & corripit *Saducæos*, *erratis nescientes Scripturas* & *virtutem* Dei. Math. 22. 29. quæ de *Resurrectione*, & necessariò *Credendis*, satis instituere potuissent, *absq.* visibili *interprete*.

2. Ab *Apostolorum* praxi, *Petrus*, præfert verbum manifesto *oraculo*, ut λόγον βεβαιότερον cui *benefaciunt attendentes* ut *Lucernæ* in *obscuro loco*, 2. Pet. 1. 19. nullâ habitâ proprij *privilegij*, aut *Papalis infallibilitatis* ratione. 2. *Paulus* per easdem prædicat *hominem Dei perfectum* esse, ad *omne* opus bonum *instructum*. 2. Tim. 3. 17. & 3. Iuxta easdem determinatur Controversia de *Cessatione legalium*, Act. 15. quæ ab *infallibili Interprete*, expediri potuit minore cum negotio, si aliquis talis ex Christi Instituto tunc temporis Cathedram occupâsset.

3. Laudantur *Beræenses*. S. *Pauli* doctrinam expendentes, ad *Scripturæ norman*. Act. 17. 11. non consulentes aliud *Infallibilitatis* oraculum.

4. Patros *Primitivæ Ecclesiæ* nunquam talem agnoverunt *Interpretem infallibilem*. Nec *Papæ* hoc antiquitùs *privilegium* sibiipsis vendicarunt. Sed reprehensos istos fuisse legimus ab *Episcopis* coætaneis, condemnatos in *Concilijs*, non

interposito

interpoſito hoc *Infallibilitatis* ſcuto, ſeinvicem lancinantes & majorum *Decreta* & *Decretalia* reſcindentes, &c. quod mirum eſſet evenire inter tales qui *Infallibili* ducuntur ſpiritu. Quinimò

5. Ipſis *Pontificibus* hodiernis, ſuſpectum videtur *hoc* à ſuis *Sycophantis* attributum illis privilegium. Alitèr inter *Thomiſtas* & *Scotiſtas*, inter *Jeſuitas* & *Dominicanos*, cur non pro ſuâ *infallibilitate* tollant lites? Cur non Scripturæ *nodos* controverſos explicant, & expandunt myſteria? Si non poſſunt, quomodò ſunt infallibiles? ſi poſſunt, cur non liberant Eccleſiam à tanta mole *Commentariorum*, & *moleſtiarum*?

6. Judicium tale à quo non addmitteretur *appellatio*, cederet non tantùm in aliorum omnium *fidelium*, ſed ipſius *Textus præjudicium*. Cur enim, *turbam* ſic compellaret *Salvator* in re graviſſima, Quid à *vobis ipſis* non *judicatis quod juſtum eſt*? Luc. 12. 57. & *Apoſtolus vos ipſi judicate*, 1. Cor. 11. 13. & probate ſpiritus, 1. Jo. 4. 1. ſi nullum *diſcretionis* & *applicationis* judicium in examinandis propoſitis à *Doctoribus* illis relinqueretur? *Infallibile* autem & *Pythagoricum* αὐτὸς ἔφα hoc prorſus diſtruit, nec valebit apud me Textus *diſertiſſimus*, prius quàm conſtet ex *infallibili* hoc *Interprete* an hoc vel illo *ſenſu* ſit intelligendus, & ſic homini potius gloſſanti quam S. S. in textu loquenti, fides mea niteretur.

7. Poſito tali *Interprete* & *ultimâ* fidei *reſolutione*, 1. mirum eſt *Dominum* ipſum hujus tam neceſſarii *Interpretis*, nuſpiam meminiſſe. 2. nec B. *Paulum* in exactiſſimâ iſtâ ad *Romanos Epiſtolâ*, illos de tanto *privilegio* (vel parentheſi quâdam) admonuiſſe. 3. Nec B. *Petrum* in *Catholicis* ſuis *Epiſtolis*, hoc ſibi ad *Succeſſores* propagandum *arrogaſſe*, multò minùs (quod ſcimùs) exercuiſſe. 4. Neglectim ſaltèm ſi non impiè, ipſius *Succeſſores talentum* illud ſeu *depoſitum* illis concreditum diſpoſuerunt. Quatenus per tot ſecula non exhibuerunt, Diſſentientibus *Chriſtianis* de textu, infallibilem aliquam *Scripturæ* explanationem. 5. Nec ſupereſt

pereſt aliqua hodie *Controverſiarum* componendi ſpes quæ iutercedant inter *Romanam* & alias putà *Græcam*, *Æthiopicam*, aut *reformatas* Europœas Eccleſias; quia cum textum illæ premerent, facilè infallibilis *interpres* illum in partes ſuas torqueat. 6. Diſtituerentur aliquoties *Eccleſiæ* in *Papatum* ſuccedentium *intervallis*, aut aborto *Schiſmate*, certò ſuo *interprete*, in certam multorum ruinam, & ægerrimè eſſet. 7. Afflictis per totum orbem *Chriſtianum* conſcientijs, à quibus tam longè diſtet *præſentiſſimum* remedium.

Obijciunt.

Ob. 1. NON minùs proſpectum fuit *Chriſtianis* ſub T. N; ac fuit *Judæis* ſub *veteri*. At ibi in *difficilibus* & *ambiguis* mittuntur hæſitantes ad *Judicem* Sacerdotem *pro tempore*, ſub pœnâ *capitali*, ſi non obtemperent. Deut. 17. 8. & Sq. qualis conſtitutus fuit *Amarias*, 2. Chron. 19. 11. 2. Qui *Paſtor* eſt ille *unus*, præſes *Magiſtrorum*, ultra cujus determinationem nil *amplius* requirendum. Eccleſ. 12. 11. Quia 3. *labia* ejus præcipue *cuſtodient ſapientiam*, ut lex requiratur ſicut ab *Angelo* Domini ex *ore ejus*. Mal. 2. 7. ergo multo magis ſub *Evangelio* *Judex talis* eſt Admittendus.

Sol. Ad *Primum*. Non agitur Ibidem de Controverſijs *fidei*, ſed *ritualibus* ut inter *Sanguinem* & *ſanguinem*. Lepram & lepram, (exprimente textu) quo nomine ablegat *ſalvator* decem *mundatos* ad *Sacerdotem*, Luc. 17. 14. qui tenebatur ſententiam ferre *Juxtam legem* Deut. 17. 11. Nec amplior delegata fuit à *Joſophato* authoritas *Amariæ*. 2. *Paſtor* iſte unus non *ſummum* deſignat Judæorum *Sacerdotem* ſed Deum Scripturæ *authorem* vel *Chriſtum* ex *Romanenſium gloſſis*. 3. nec indicat locus *Malachiæ* Sacerdotum *Infallibilitatem*.

Vid. Menochi.
A lapide Tirin.

tem sed *officium*, sequitur enim in textu vos *autem recessistis de via*, & plurimos *scandalizastis* in lege. v. 8.

Ob. 2. Ecclesia statuitur à *salvatore* supremus Controversiarum *Iudex*, Dic *Ecclesiæ*] quam si quis *non audierit* sit tibi tanquam *Ethnicus* aut *Publicanus* Math. 18. 17. At *Ecclesia* per se non fert sententiam, sed per aliquem *Prælatum*, ut homo non loquitur nisi per *Caput*. ergo statuendus talis est *prælatus*, qui præcipuè omnes lites *Ecclesiasticas* componat,& quis hic esset præter *Pontificem Romanum*?

Sol. De *Correptione* fraterna agit textus,quæ si non succedat privatim, differenda est ad publicam Ecclesiæ *Censuram*. 2. quam non denuntiat unus *prælatus infallibilis* omnibus Ecclesijs, sed singuli *pastores* proprijs suis *Gregibus*, provt in recte constituta *disciplina*, *Episcopatum*, aut corrigendi *facultatem* obtinent. 3. Ad morem Judaicæ disciplinæ quæ *contumaces* excommunicabat, quod non magis spectat ad *Romanam*, quam ad quascunq; *particulares* Ecclesias intra propríos limites.

Ob. 3. At *Christus* constituit *Petrum* Caput omnium *Ecclesiarum*, super *quem* ædificavit suam *Ecclesiam*, cui dedit *Cælorum Claves*. Math. 16. 18. Commisit omnes oves pascendas Jo. 21. 17. & pro ejusdem oravit fide *peculiari* modo, ne deficeret Luc. 22. 32. Cujus *Pontifex Romanus* cùm sit successor, sibi jure vendicet eadem *determinandi* controversias, & *Infallibilitatis privilegia*.

Sol. Quod concessum erat *Petro*, personale tantùm fuit *semel* præstandum, & non posteris transferendum, nempè ut qui tam *liberam* de Christo exhibuisset *professionem*, inde *primatum* obtineret, ut quasi datis *clavibus*, *Evangelji* tàm gentibus, quàm Judæis primus aperiret ostium. Quod præstitum erat in *Concionibus* illis *primis* ab illo *habitis*, post *spiritus* sancti descensum, Act. 2. & 3. 2. postea triphex illud *pasce*, nil contulit illi præ cæteris *Apostolis*, quibus omnibur incubuit eadem *pastoralis* cura; tantum innuit, restitutum illum fuisse in gratiam, â qua trina *Negatio* illum deturbusset, 3. unde non â lapsu aut erroribus quibusvis, sed â fidei

naufragio, immnnem illum ſervavit Domini *oratio*; quod & præſtat omnibus Electis fidelibus Jo. 17. 20.

Ob. 4. Quod Dominus de *Cathedra* Moſis dicit, intelligi debet â fortiori de Cathedra *Petri*. Nam ſic intellexit *Auguſtinus*. In illum Ordinem Epiſcoporum qui ducitur ab ipſo *Petro*, uſq; ad *Anaſtaſium*, qui nunc in eadem Cathedra ſedet, etiam ſi quiſpiam Traditor---- ſubrepſiſſet, non præjudicaret ---- *Chriſtianis*. quibus Dominus providens ait de *præpoſitis* malis, *Quæ dicunt facite*, quæ *faciunt* facere nolite. Math. 23.

Ep. 165.

Sol. Eatenùs audiendi erant *Phariſæi* docentes è Moſis *Cathedra*, quatenùs *Moſis* Doctrinam ſine proprio fermento admiſto, populo ſyncerè proponebant. Nec aliud quiſquam è noſtris ſtatuerit de Romano *Pontifice*, Petri doctrinam *urgente*, abſq; *depravationum*, & ſuperſtitionum *zizanijs*, in morem *Phariſeorum*, quos eo nomine perſtringit *Salvator*. Math. 5. & 15. 2. *Auguſtinus* nil aſſerit, niſi hominum vitia, veritati verbi non præjudicare, quo minùs ab impijs *Doctoribus* plurima bona diſcamus, quod omnes agnoſcunt.

Ob. 5. *Caiphas* impius cum eſſet *Pontifex* illius anni, *prophetavit* quod *Jeſus moriturus eſſet pro gente* Jo. 11. 1. 2. *Paulus* aſcendit *Hieroſolymam* videre *Petrum* Gal. 1. 18. & conſulere eos qui erant *in pretio*, ne fortè in vacuum curreret, aut cucurriſſet Ib. 2. 2. 3. Sic *Saulus* prophetat ratione loci inter *prophetantes*. 1. Sam. 19. 23. Ergo utcunquè *Pontifex* poteſt eſſe *indoctus* & impius, ratione tamen *loci* aut *dignitatis*, aut conſecratæ *Cathedræ*, non permittet, S.S. ut Eccleſiam, in *fidei* præſertim *controverſijs* ſeduceret.

Sol. Iſta nil faciunt ad *Scripturæ* infallibilem *Interpretationem*. 1. Caiphæ *pronuntiatum*, *præter* & *contra* mentem ipſius a Deo *verificatum*, non magis confirmat ipſius in Sacris interpretandis Infallibilitatem, aut tranſtulit in *Succeſſores*, quam loquela *Aſinæ Bileam*, aut *Sauli enthyſiaſma*, Contulit eorum Succeſſoribus Idem *privilegium*. 2. Nec *Paulus Petrum* inviſit, ut ſcrupulos aliquos illi eximerit, Vel ut *doctrinam* ipſius tanquam *Judex* ſupremus confirmaret, ſed ut

omnibus

omnibus ostenderet, se consensum colere cum *reliquis* Christi *Apostolis*, quos non *minoris* fecit quam *Petrum*; & profitetur ipsos nihil sibi contuliſſe, quin & *Petrum* posteà Judaizantem coràm omnibus reprehendit. Gal. 2. 14.

Ob. 6. *Concilia* eminentiora, à *Pontificibus Romanis* confirmationem semper expetiverunt, 2. *Patres* & particulares *Ecclesiæ* in difficilioribus negotijs *Ecclesiasticis*, illos semper consuluerunt, 3. *Imperatores* in re *Religionis*, *fasces* suos illis submiserunt, Ergo *infallibile* in talibus determinandis *judicium* illorum agnoverunt.

Sol. Non *confirmationem authoritativam*, sed *fraternum* tantùm *assensum*, *concilia* à *Papis* nonnullis *absentibus* aliquando postulaverunt, quæ nonnunquam (ut notum est) *Papas* deposuerunt, & *jus*, ipsorum *Actus* examinandi & abrogandi adhuc vendicant. 2. *Patres* aliiq; consuluerunt aliquoties *Romanos* præsules, non ut *Judices infallibiles*, quorum *decretis* & *decretalibus* tenebantur conscientias suas submittere; Sed ut *Arbitros* honorarios, & prudentes, qui priusquam Ambitionis, Superstitionis, & Tyrannidis fermentum, totum corrupisset *massam*, summo erant apud omnes ferè Ecclesias in pretio. 3. Nec minus ab *Imperatoribus* reverentèr fuerunt habiti, donec apparuit ὁ ἀντικείμενος καὶ ὑπεραιρόμενος, qui extulit se *supra omne* quod *dicitur Deus*, & quod *colitur*. Quæ non *ferendam* potiùs produnt *arrogantiam*, quàm *authoritatem* probant *infallibilem*.

Ob. 7. *Norma* nil valet nisi rectè applicetur, cum igitur *Scriptura* sit talis *Norma*, quam quilibet potest ad præconceptas suas *obliquitates* incurvare, Statuendus est necessariò aliquis Judex personalis visibilis, & infallibilis, qui certò eam & pro authoritate *applicet*, alitèr nullus *Controversiarum* finis in *Ecclesia* est Expectandus.

Sol. Nec sperari reverà debet, cùm fixum semper manebit illud *Salvatoris*, *necesse* est *ut veniant Scandala* Math. 18.7. & *Apostoli* illud, oportet *Hæreses* esse, ut & qui *probati* sunt *manifesti* fiant *in vobis*. Unde Ecclesiæ *militanti* nunquam defuerunt vel defuturi sint *hostes*. *Externi*, Lupi rapaces, *Do-* 1. Cor. 11. 19.

meſtici, loquentes perverſa, Act. 20 29. ne *ante tempus* tranſeat in *Triumphantem*. Interea ex *Salvatoris Claſſico*, *Attendite* à falſis *Prophetis*, Math. 7. 15. & *videte* ne quis vos *ſeducat* Math. 24. 4. unicuiq; fideli pro ſua ſtatione & facultate incumbit; ut conferat quantum poteſt ad *Commune* extinguendum incendium. 2. Ut autem hoc *debitis* mediis fiet, & non *tumultuariò*. *primò* lites, *deinde* litigantes, æſtimandæ ſunt, priuſquam deſcendamus ad *componendi modum*. *Lites* ſolent eſſe, vel de fidei *Doctrina*, *cultu* divino, vel Eccleſiæ *diſciplina*, de quibus non eodem modo eſt agendum. *Litigantes* etiam inveniuntur, vel *Docti* ejuſdem *particularis* Eccleſiæ, vel *diverſæ* inter ſe *Eccleſiæ*, nempè *Orientalis*, & *Occidentalis*. Ejuſdem Eccleſiæ *lites Domeſticas*, componat *provincialis*, aut *Nationalis* Synodus. *Diverſarum* Eccleſiarum, & non *ſubordinatarum*, Concilium *Oecumenicum*, ad typum iſtius *Apoſtolici* Act. 15. Efformatum. Ubi 1. Conveniant *legittimi* vocati *Epiſcopi*, aut Eccleſiarum *particularium Deputati*. 2. Statuatur in medio *Scriptura* ut cœleſtis *regula*, à qua non admittatur aliqua repugnans *declinatio*. 3. Seria ſancta & ordinata fiet de *controverſis* diſquiſitio. 4. Ex ea notetur *conſenſus*, ut in eo ad quod pervenimus Idem *ſapiamus*, & in eadem *perveniamus regula* Philip. 3. 16. 5. Controverſiæ quæ ſuperſunt, decidantur per *convocatorum* ſuffragia, quæ ſi non ſatisfaciant ſingulis, *privatis* eſt *acquieſcendum*, & *expectandum* donec *Deus* iis qui aliter ſapiunt, id quod rectum eſt *revolaverit*, Ib. 15. Unde 6. promulgentur *concluſa*, Apoſtolico potius *ſtylo*, quam *Anathemate*, viſum eſt *Spiritui* ſancto, & *Nobis*, Act. 15. 28. & petatur. 7. A *Magiſtratibus* (quorum intereſt) ut hujuſmodi ſua *authoritate* muniant ut obſerventur. 3. *Poſito* autem *Iudice*, infallibili *ſupervacanea* hæc eſſent *omnia*, Ipſe audiat, videat, determinet, de regula *Scripturæ* non ſis tu ſolicitus, obſequi tantum tuum eſt, non examinari, magis quam *equus* & *mulus* qui non habent *intellectum*. Sed hoc non eſt *paratum* eſſe ad *ſatisfactionem* omni poſcenti, ut *Petrus* præcipit 1. Pet. 3. 15. *Spiritum* interim *privatum* non ferimus, *præcipienti* præter *vocationem*,

cationem, sed *recipientem* à legittimis *pastoribus*, non *dictatoria* decreta, pro *Mandantis Infallibilitate*, sed *dictamina*, ad normam *Scripturæ* expendenda & probanda. Jux ta illud *Lactantii oportet in ea re maximè (in quâ vitæ ratio versatur)* Sibi quemq; confidere, suoq; judicio & propriis *sensibus niti, ad investigandam & perpendendam veritatem: quàm credentem alienis erroribus decipi, tanquam ipsum rationis expertem.* ---- & *pecudum more duci.* Instit. l. 2. c. 8. Nolite *judicare* secundum faciem, sed justum judicium judicate *Io.* 7. 24.

QUÆST. VII.

De Scripturæ peefectione.

An Traditiones non scriptæ admittantur in Scripturæ supplementum?

CUM constet ex dictis, *Scripturam* in fidei *Controversiis* normam esse *Canonicam*, reclamant *Adversarii*, *Regulam* istam esse tantàm *partialem* non *totalem*, Ideoq; indigere *Traditionum* non scriptarum *supplemento*, quæ *pari pietatis affectu* & *reverentiâ* cum Scripturis *suscipiendæ* sunt, & *venerandæ*. Nos verò *Traditiones* istas *extravagantes* & *ambulatorias* impugnamus, hiscè præsertim rationibus. *Concil. Trid. §. 4.*

1. Quod *præcipio* tibi hoc *tantum* facito *Domino*, nec *addas* quicquam, aut *minuas*. Deut. 12. 32. rationem attexit *sapiens*, ne *arguaris*, *inveniarisq;*, *mendax* Prov. 30. 6. Secùs facientem sufflaminat *Apocalyptes* c. 22. 18. 19. Ergo Scriptura sufficit ad salutem absq; Traditionum *Cabala*.

2. Reprehenduntur *ædificantes* Excelsa *Baalim*, quæ ego (inquit Dominus) non *præcepi*, nec *Locutus* sum nec *ascende-*

runt in cor meum Jer. 19.5. & 7.31. ex quibus constat ἐθελοθρησκείαν *cultum* nullum *voluntarium*, quem ipse *non præcepit*, & *verbo* suo stabilivit, posse illi placere. Coloss. 2.23.

3. Sine causa (inquit *Salvator*) colunt me, docentes *doctrinas*, & *mandata* hominum Math. 15.9. at hujusmodi necesse est ut sint *Traditiones*, quæ ab indubitata Scriptura, non habent *firmamentum*. Ergo (saltèm *pari pietatis affectu* & reverentia) cum Scripturis, à nobis non sunt recipiendæ.

4. Hæc *Scripta* sunt ut *Credatis*, quia *Jesus* est *Christus filius Dei*, & ut credentes vitam habeatis in *nomine* ejus Jo. 20.30. quæ non ad ipsius *Evangelium* sunt tantùm restringenda, sed ad *totum* Scripturæ *Canonem* extendenda, qui ad *fidem* & *vitam* consequendam, *absq; Traditionum* glossis, ex *Scriptis*, sufficienter instruit. Quod & ulterius Inculcat.

5. *Apostolus*. Omnis *Scriptura* divinitùs *inspirata*, utilis est ad *docendum*, ad *arguendum*, ad *corripiendum*, ad *erudiendum*, in *Justitia*, ut *perfectus* sit homo Dei, ad omne opus bonum *Instructus* 2. Tim. 3.16. 17. Nec ostendit tantùm *unde* ista sunt petenda, sed *ipsa* sufficienter exhibet, quatenùs suppeditat ea *omnia* quæ *sapientem* possunt quemvis reddere ad *salutem*, per *fidem* quæ est in *Christo Jesu*, & ad omne opus bonum *perfectè* Instructum.

Cont. Hermogen. 6. Concinunt *Patres*. Adoro Scripturæ plenitudinem (inquit *Tertullianus*) scriptum esse doceat *Hermogenes* aut timeat illud *væ* adjicientibus. *Sacrilegii* instar esse (docet *Basilius*) putare aliquod *divinum* esse, quod in *Scripturis* non sit traditum, & alibi. *Infidelitatis argumentum* est, & signum *superbiæ* certissimum, si quis eorum quæ *scripta* sunt aliquid velit *rejicere*, aut eorum quæ *non scripta* introducere. Sic *Hieronymus*, quod de *Scripturis* authoritatem non habet, eâdem facilitate contemnitur, quâ probatur. Et celebre est illud *Augustini* in his quæ *aperte posita* sunt in *Scripturis*, inveniuntur ea *omnia* quæ continent *fidem moresq;* vivendi.

Serm. de Confess. Fidei. *Ibid.* *In Matth. c. 23.* *De Doct. Christ. l. 2. c. 9.*

7. Absurdum est *regulam* imperfectam dare, cùm eo nomine tantum non habeatur *regula*. 2. Vel alium expectare

post

post Deum *Magistrum*. Unde *Apostolus*, nihil *subtraxi utilium*. *Act.* 20. 20. non *subterfugi* quo minùs annuntiarem *omne consilium* Dei vobis. Ib. v. 27. & *Chrysostomus*. Habes *verba Dei*, Nemo te potest *sic* docere. 3. Vel ad *Traditiones* transmittere *supplementarias*, de quorum *Fundamento*, *Natura*, *custode*, & *Numero*, Nil *certi* potest haberi aut sperari. *In Epist. ad Coll. Hom. 9.*

Objiciunt Pontificii.

Ob. 1. CAnonis multos Libros periisse, ut in T. V. libri *Bellorum Domini*, *Nathanis* & *Gad*. Trium milium *Parabolarum*, & *Carminum* quinq; millia *Salomonis* 1. Reg. 4. v. 32. quæ jam nusquam extant. ut nec in T. N. Epistola quædam *Pauli* 3. ad *Corinthios*, cujus meminit 1. Cor. 5. 9. & ad *Laodicenses* Coloss. 4. 16. quibus accenseri potest Epistola *Salvatoris* ad *Agbarum*, quæ in Canone non habetur. Ergo *Canon* laborat imperfectione, quæ indiget *Traditionum*: non Scriptarum supplemento.

Sol. Libri isti qui sic dicuntur *amissi*, quoad ea quæ sunt ad salutem necessaria, nil continebant quod in *Canonicis* quos habemus, non comprehenditur. (nam non *Iota* unum aut *apex* unus ex lege periit *Math.* 8. 18. 2. Conducere etiam potuerunt ad *ubertatem* cognitionis *Historicæ*, non canonis *complementum*, ut alicubi *Augustinus*. 3. In historiis *Samuelis* & *Regum*, & *Salomonis* quæ prostant libris, sufficit necessaria exhiberi. Nec constat *Paulum* ad *Laodicenses* scripsisse, sed illos potiùs ad *Paulum*, ἐκ λαοδικείας non πρὸς λαοδικεῖς habet *inscriptio*. Nec cogit textus *Paulum* aliam designasse, quam quæ tunc scribebat ad *Corinthios* Epistolam. *Salvatoris* ista ad Regem *Agbarum*, est suspectæ fidei, & ad fidem parum spectat. Sic ut absq; talibus, ἀγεγράφοις, ψευδεπιγράφοις, aut ἀντιγράφοις, *Canon* manet perfectissimus.

Ob.

Ob. 2. Articulus de 1. *Trinitate.* 2. *Æterna filii generatione.* 3. *Processione* S.S. à *Patre & Filio.* 4. *Descensu Christi ad Inferos.* 5. Mutatione *Sabbathi* in Diem *Dominicam.* 6. *Abrogatione* Legalium, & comedendis *Suffocatis*, & postremò de *Pædobaptismo*, sunt ad *salutem* necessaria, sed ex textu *Scripturæ* non possunt demonstrari. Ergo opus est in talibus Traditionis non scriptæ adminiculo.

Sol. Habetur aliquid in *Scripturis* 1. vel κατὰ ῥῆτον expressè sive *Axiomaticè*, vel quoad *sensum*, implicitè sive *dianoeticè*. Asserimus autem omnes istos *articulos*, aliave ad salutem *necessaria*, in sacris *Scripturis* non *expressè* (ut sophisticè impingit nobis *Bellarminus*) sed *hoc* vel *illo* modo contineri, ut patebit in sequentibus.

De V. D. l. 4. c. 2.

Ob. 3. Non ex Scripturis, sed *Universali Traditione* probatur *Scripturam* esse *verbum* Dei, sed hoc credere ad salutem est adprimè *Necessarium.*

Sol. Quæstio non est de *Principiis*, sed (ut loquuntur) *Principiatis.* An positâ quam habemus *Scripturâ*, opus sit non *Scriptis* aliquibus *Traditionibus*, ad ipsius supplendos *defectus*, in aliquibus quæ sunt ad *salutem* absolutè *necessaria.* Hic nos *negamus*, Scripturam verò esse *verbum* Dei, ex aliis mediis deducimus, ut constat ex *superioribus.*

Ob. 4. *Gratia, fides, & sanctificatio*, sunt ad salutem necessaria, 1. Cor. 13. 10. Ephes. 2. 8. Heb. 12. 14. Sed ista in *Scripturis* non habentur, sed extrinsecùs adveniunt. Ergo *Scriptura* non continet omnia ad salutem necessaria.

Sol. Continet omnia necessaria, quoad *directionem externam*, non quoad *Regenerationem internam.* 2. Continet *Gratiæ, fidei, & sanctimoniæ*, plenam *doctrinam*, quæ manuducat nos in omnem veritatem.

Ob. 5. Apostolus probat & urget Traditiones. 1. Laudo vos, quòd sicut *tradidi vobis* præcepta mea tenetis 1. Cor. 11. 2. 2. Fratres state & *tenete Traditiones* quas didicistis, sive per *Sermonem*, sive per *Epistolam* nostram 2. Thess. 2. 14. 3. O *Timothee depositum* castodi 1. Tim. 6. 20. Unde *Hæretici* omnes *Traditiones* sunt aversati. Ergo ab *Orthodoxis* sunt retinendæ.

Sol.

Sol. Ostendantur istæ Apostoli *Traditiones*, non *scriptæ*, quæ à *scriptis iis* quæ habemus præceptis discrepant. 2. Duplex *tradendi modus*, presentibus per *sermonem*, absentibus per *Epistolas*, fuit ejusdem *doctrinæ*, non *diversæ*, ut alter alterius suppleret *defectum*. 3. Παραθήκην seu *Depositum Timotheo* commissum, nil minùs insinuat quam *Traditiones* non *scriptas*. Sed vel *formam* sanorum verborum de *fide* & *dilectione*, cujus meminit 2. Tim. 1. 13. contra profanas vocum *novitates*, & oppositiones *falsi nominis* scientiam ut in textu sequitur; vel *talentum* donorum ipsi concreditum, quæ cum *farragine* non Scriptarum Traditionum nil habent commune.

Ob. 6. Pro *Traditionibus* non scriptis intercedunt *Patres* 1. *Basilius* qui distinguens inter dogmata *Scripta*, & *Apostolica* Traditione in mysterio *delata*, utraq; (addit) *eandem* ad pietatem *vim* habent, & Nemo his *contradicit*, quæ vel mediocrem saltèm *Iurium* Ecclesiasticorum experientiam habet. 2. *Chrysostomus*, non omnia per *Epistolam* tradiderunt *Apostoli*, sed multa sine literis, eâdem verò *fide* digna sunt tam *ista*, quam *illa*. 3. *Augustinus*, Quod universa tenet *Ecclesia*, nec *conciliis* institutum, sed semper retentum est, non nisi authoritate *Apostolica* traditum rectissimè creditur, sic & alii tam *Græci* quam *Latini*. *De Spiritu Sancto c. 27.* In 2. Thes. 2. *De Baptis. cont. Donat. l. 4. c. 24.*

Sol. Traditio sumatur vel 1. Activè vel 2. Passivè, Active pro Actione *tradentis*, sic *Biblia* ad nos pervenerunt ex majorum *Traditione*, quod nullus negaverit. *Passivè* designat *Doctrinam* traditam, quod fiet diversimode, vel, *ore* tantum, vel *scripto* tantum, vel utroq; modo. Lis tantum est quousq; admittenda sit *Traditio* non scripta, ad *dogmata* fidei *stabilienda*. 2. Talis autem cum potest esse vel 1. *Historica*, indicans *ritus*, *disciplinam*, aut *consuetudines* Ecclesiasticas. Vel 2. *Exegetica*, explicans quo sensu scripturæ *obscuriora*, & *controversa* à majoribus plerunq; erant accepta, Vel 3. *Didactica*, complicans quasi hominum *commenta* cum *textu* indubitato ad supplendum illius *defectum* in articulis quibusdam ad *salutem* necessariis. Has tertio sensu obtrusas

solummodo aversamur,& oppugnamus. 3. Nec aliter intelligendi sunt *Basilius*, *Chrysostomus*, *Augustinus*, ut patet ex instantiis adhibitis in locis citatis. unde *Hieronymus* Quæ absq; *authoritate*, & *testimonio Scripturæ*, quasi *Traditione Apostolica*, sponte repetunt & confingunt,percutit *gladius Dei*: & fatetur *Bellarminus*, Omnia scripta esse ab *Apostolis* quæ sunt *simpliciter omnibus* necessaria. De V. D. l.4. c.11.

In Aggæum c. 1.

Ob. 7. *Ecclesia* usq; ad *Mosen Traditione* tantùm nitebatur. 2. Et diu post *Christum* N.T. *Scripturâ* caruit. 3. Nec *mandatum* extat *Evangelistis*, aut *Apostolis*, ut scriberent, & quod ex hac parte præstiterunt, non *ipsis* fuit *propositum* ut *plena* esset Christianorum *Institutio*, alitèr *Catechismum* aliquem (ut *Symbolum* Apostolicum) concinnassent. quod colligitur ex *Eusebio* & aliis, occasionem cur scripserunt *Evangelistæ* indicantibus. Ergo *Scriptura* pro *utili* tantum *commonitorio*, seu *Norma partiali* æstimanda est, & non *totali* habenda.

Sol. Non quæritur de absoluta *Scripturæ* necessitate,potuit enim *Deus* aliter (si placuisset) homines *instituere*,sed cùm placuerit *sic instituere*,*quæstio* est an *Regula* per quam instituit sit tàm *imperfecta*, ut supplemento *Traditionum* non scriptarum indigeat. Hoc qui astruunt, distruunt *Canonem* quem tamen ut Regulam *partialem*, admittunt. Canon enim est *mensura* non *fallax*, nullam *additionem* aut *diminutionem* admittens (definiente *varino*) cujus nomen, *Imperfectio* non convenit (urgente contra *Eunomium Basilio*) si autem *addas* ipsi *aliqvid* vel *detrahas*,*ipsum* distruis (inquit *Chrysostomus*) & ratio redditur à *Platone* ἄτελες οὐδὲν οὔδενος μέτρον, quod *imperfectum* est *nullius* potest esse *mensura*. 2. *Instantiæ* autem allatæ, non attingunt quod controvertitur. Nam 1. quid si ante *Scripturam*, invaluit usq; ad *Mosen Traditio*? Ergone data nunc erit imperfecta Scriptura,sine talis *Traditionis* consortio? asserendum potiùs Scripturam *Traditioni* supervenientem, omnia quæ erant in ea necessaria, literis consignasse, ut auctæ Ecclesiæ inservirent. Unde certiori modo pluribus communicarentur, qnæcunq; à Deo

L. 1. In c. 3. ad Philip. Hom. 12.

essent

essent *tradita*. Hinc ad *Scripturarum* non *Traditionum* scrutamen ablegat *Salvator*. Aperuit Apostolis sensum ut intelligerent Scripturas, Luc. 24. 45. provocatio est *Pharisæorum* tantùm ad Seniorum *Traditionem*, Math. 15. 2. ut autem *Apostoli* & (qui sequuti sunt) primævi *Christiani*, antequàm extabat N. T. *veteri* firmiter adhęrescebant; Ita oportet nos eorum ductu, quæ novimus à *Deo* prodiisse, *scripta* amplecti. 3. Nec refert *cur* scripserunt S.S. *Amanuenses* N. T. dùm constat illud *quod scripserunt* divinitus fuisse *inspiratum*. Nec de *methodo Catechistica* nugarentur ii, qui S. S. *Dictamini* norunt se subjicere. Apertè si quod *monstri* alunt afferrent hìc Jesuitæ, sic rotundè concluderent. *Verbum Dei*, *Canon*, *Editiones*, *Scripturarum Lectio*, & Infallibilis Interpretatio, ita pendent à Romano *Tripode*, ut qui hinc non accipiunt, fidei *Normam* & *Formam*, ad *Hæreticorum* classes sunt amandandi. Ergò nil valet *Scripturarii* cujusvis *commonitorii* partialis *regula*, nisi animetur à succenturiatu papalium *Traditionum*. Quæ quàm *Bellè* cohærent cum iis quæ tradidit *Bellarminus* pro firmissima *Scripturæ authoritate* contra *Swenkfeldistas* & *Libertinos* De verbo Dei l. 1. c. 2. ostendit facilis collatio *Amesii* in *Bellarmini Enervati* Frontispicio.

2. Tim. 3. 16.
2. Pet. 1. 21.

CAP. II.

DE COGNITIONE DEI.

Scriptura manuducit ad DEUM, *à quo Scripturam accipimus, & de quo Thesis.*

1. DEUS est *Spiritus Infinitus, Jehovah, Elohim.* 2. ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος, *Una* natura *tribus* distincta personis, *Patre, Filio,* & *Spiritu Sancto.* 3. Ubi *Filius* à *Patre* ante tempora secularia *genitus.* 4. Ejusdem est cum Patre, *Naturæ, Potentiæ,* & *Æternitatis.* 5. A quibus *Patre Filioq;*, procedit *Spiritus Sanctus.* 6. Persona etiam *Invocanda.* 7. Cujus *ineffabilis* & Individuæ *Trinitatis* Cognitio, & Fides, est absolutè ad salutem necessaria.

Unde

Unde summâ veneratione perpendenda occurrunt.

An
1. *Deus sit Actus purus cui omnia propria attributa sunt essentialia?*
2. *Sit Trinitas Personarum in una natura individuâ?*
3. *Filius sit ab æterno genitus?*
4. *Filius sit ejusdem cum Patre, Naturæ, Potentiæ, & Æternitatis?*
5. *Spiritus Sanctus à Patre & Filio ab æterno procedat?*
6. *Spiritus Sanctus sit Persona invocanda?*
7. *Dogma de tribus distinctis Personis in una individua Deitatis essentia sit fundamentale, & ad Salutem Necessarium?*

QVÆSTIO I.

An Deus sit Actus purus cui omnia propria attributa sunt Essentialia? Aff.

QVIA,

1. ACTVS *Purus* est in quo nulla inveniatur *potentialitas objectiva* aut *receptiva*, quæ aliquid ei *perfectionis*, quam non habet conferat, vel quod habet, detrahat. Sed talis est *Jehovah Elohim Adonai* qui *est erat*, & *venturus* est. *Exod.* 3. 14. *Apoc.* 1. 4. In quo non distinguitur. *Quo est*, & *Quod est*. *Esse*, & *Essentia*, *Actus* & *potentia* ut fit in omnibus *Creaturis* Juxta *Philosophos*, *Philonem* Judæum, & *Scholasticos*. Ergo necessariò de *seipso* dicit (verba sunt *Philonis*) Ego sum, Qui sum, ac si quicquid post ipsum est, non per *essentiam* sit, sed sola *opinione* hominum.

Arist. Metaphys. l. 12. c. 3. & 6. Aq part. 1ª. Libro Quod deterius insidiatur potiori.

2. Apud quem nulla est *Transmutatio*, aut vicissitudinis *abumbratio*, is necesse est ut sit *actus purus*. Sed talis tantum est *Pater luminum*. Jac. 1. 17. non ut *mutetur* sicut filius hominis *Numer.* 23. 19. Cœli mutabuntur ut *operatorium*, Ipse autem *Idem ipse* erit Ps. 102. 28.

3. In quo nulla concipi potest Compositio, illud pro Actu puro necessariò est habendum, sed nulla in *Deum* cadat Compositio, quia in omni Compositio partes *Componentes* ordine saltèm & naturâ, *toto* sunt priores, quod fingi non potest in Deo, nisi quis aliquid priùs *æternitate* statuat.

vide Zanchyū de simplicitate Dei p. 56. 57. &c.

4. Qui omnia *Dat* & nil *recipit*, immunis est ab omni *accidentali* accessione, quam *aliud* ipsi Conferat. Sed quis

Deo

Deo dedit prior, ut *retribuetur* &c. Rom. 11. 35. quoniam ex *ipso*, & per *ipsum*, & in *ipsum* sunt *omnia* Rom. 11. 36. cumq; *Beatius* sit *dare*, quam *accipere* Act. 20. 35. quomodo non ille *Beatissimus*, qui omnia *dat* & nil *accipit*, eoq; nomine, nec *auctior* potest esse, vel *deminutior*. *Aug. De Trinit l. 5. c. 4.*

5. Ex dictis deducitur, Omnia propriè *Attributa* Deo esse *Essentialia*, undè illud *Scholasticorum*. Quicquid in *Deo* est, est ipse Deus, sive *formaliter* intelligatur inesse, sive *eminenter*, firmatur ex *Augustino*. Non percipit Deus *sapientiam* qua fit *sapiens*, sed ipse *sapientia* est. Nam quicquid secundum *qualitates* illic dici videtur, secundum *Substantiam*, vel *Essentiam* est intelligendum, unde sine *quantitate* Magnus, sine *qualitate* Bonus, sine *tempore* sempiternus &c. rectissimè *concipitur* & *prædicatur*. Confirmat *Scriptura*. Ubi *Deus* dicitur *vita* æterna 1. Jo. 5. 20. & Deus *charitas* est. lb. 4. 7. eadem ratio est *veritatis*, *Justitiæ*, *misericordiæ* &c. ut de *Deo* in *abstracto* quæ de *Creaturis* in *Concreto* efferuntur, quia *ipsi* sunt *essentialia*, quæ *Creaturis* sunt accidentalia. *Vid. Zuarez. de Trinit l. 4. c. 7. & Arist. Metap. l. 12. t. 51.* *De Trinit. l. 15. c. 5.* *Idem Medit. c. 12.*

6. Quæ non possunt *Creaturis* competere *Creatori* sunt essentialia, sed propria Dei Attributa *Creaturis* nullo modo possunt competere, quia ipse *salus* καρδιογνώστης *solus* sapiens. Quis in nubibus *æquabitur* Domino? Ps. 89. 7. & gloriam ipsius alteri non dabit Isai. 42. 8. Ergo

7. Postremò. Si aliquid esset in *Deo* quod non sit *Deus*, tum illud vel *Creatum* esset vel *increatum*, *Creatum* si statuatur, *corruptioni* & *annihilationi* esset *obnoxium*, quod cogitatu est abominandum. *Increatum* esse si concedatur, nil aliud potest esse quam ipse *Deus* quod, erat demonstrandum.

Objiciunt moderni vadiani & vorstiani.

Ob. 1. HAud aliter de Deo est loquendum, ac in verbo ipsius *Scriptum* invenimus (præcipiente *Augustino*) *De Trinit. l. 5. c. 1.*

In Symbolum. *stino*.) de quo *vera* loqui *periculosum* esse suggerit *Cyprianus*. Quia nec *virtus* ejus æstmari potest, nec *magnitudo* perspici,
Inst. l. c. 7. nec *principium* comprehendi, ut Instituit *Lactantius*; sed nusquam occurrit in *Scripturis*, aut *Deum* esse *Actum purum*, aut *Attributa* ipsius esse ipsi *Essentialia*, Ergo hoc non asserendum

Sol. Sufficit *sensum* occurrere, non *verba*, quæ necessitas cogit arripere adversus impugnantium *sophismata*. Sic *Apostolus* ex *Poeta* instruit *Athenienses* Act. 17. & depingit *Cretenses* Tit. 1. 2. neq; enim Qui usurpat istos terminos, *Personæ*, *Sacramenti*, *Actus Puri*, & congeneres; Dicatur S. *Petri* violare dictamen. Si *quis loquitur*, *loquatur* ut *eloquia* Dei. 1. Ep. c. 4. 11, modò præscriptos à B. *Paulo* non excedat *limites*, extra fidei *Analogian* καινοφωνίας obtrudendo. Rom 12. 6.

Ob. 2. Quot *formæ* rebus *Creatis* sunt *impressæ* tot supponunt *Ideas* in mente divina, quarum sunt distincti *Characteres*: Sed in rebus *Creatis*, indefinita occurrit specierum *disparitas*, & *oppositio*, Ergo *Analoga* erit *Idearum* diversitas in *Dei essentia*, quæ *Actui puro* non competant.

Quæst. 83. q. 16. *Sol.* *Platonica* ista *Idearum* speculatio, utcunq; ab *Augustino*, *Scholasticis*, & *plurimis* è nostris magni fiat; ab *aljis* tamen, non probatur. Sed his admissis, non multiplicabitur magis in *Deo* aliquid *essentiale*, quàm *sol* ad varietatem exeuntium radiorum, aut *voluntas* ad numerum rerum volitarum.
Aq. p. 1. q. 15. *Zanch.* *Palan.* *Beza.* *Daneus.*

Ob. 3. In *Actu puro* & omni-sufficiente, nil inveniatur *dependens* ab *ancipiti* alicujus extrinseci *arbitrio*. Sed in Deo deprehenditur tandem *scientia Media*, quâ ad ductum *liberi* Arbitrii præcognoscuntur *futura contingentia*. Ergo omnia *Attributa* Divina Deo non sunt ut *Actui puro* essentialia.

Sol. Scientia ista *Media* est nuperum *Jesuitarum* Commentum. Quod quatenùs *antecedit* decretum divinum, & *possibilia* tantum intuetur, cum scientia. *Simplicis intelligentiæ* coincidit: quatenùs verò *futura* respicit (utcunq; *conditionata*) ad scientiam *Visionis* referatur, Atq; hæc *scientiæ divinæ*

vinæ in ſcientiam *ſimplicis* Intelligentiæ, & *viſionis*, obtinuit antehàc in *Scholis* bimembris Diviſio; nunc verò quo jure, ſcopo, aut ſucceſſu hæc obtruditur *Media*, contractiùs æſtimes ex *lectione* noſtra 2da, fuſiùs verò in D. *Twiſſi* operoſo hac de re *volumine*, & *paſſim* in *Rixis* nondum ſedatis inter *Jeſuitas* & *Dominicanos*.

Ob. 4. Quæ non ſunt æquè *extenſa*, non poſſunt eſſe ejuſdem *Eſſentiæ*, ſed omnia *attributa* Dei non ſunt æquè *extenſa*, quia *Omnipotentia* ipſius extenditur tantùm ad *poſſibilia*, *ſcientia* verò ad *impoſſibilia*, nam Deus plura *ſcit* quàm *poteſt*, ut *fallere*, aut *ſeipſum negare*, & plura poteſt quàm vult, ut ex *lapidibus* excitare *filios Abrahæ*, & *Miſericordia* ejus ſuper omnia opera ipſius Pſ. 145. 9. Ergo

Sol. Ut *Omnipotentia* Divina extendit ſe ad omnia *poſſibilia* quæ ſunt *infinita*, quatenùs plura infinitiès *fieri* poſſunt; ſic ſcientia dilatatur ad omnia *Scibilia*, quæ *infinitatem* excedere non poſſunt. Ubi igitur hìc *inæqualitas*? Idem ſentiendum de *Juſtitiâ*, & *Miſericordia*, quæ *idem* ſunt in Deo *eſſentialiter*, utcunq; ob *varietatem* objectorum *extra Deum* variantur.

Ob. 5. *Affirmantia*, & *Negantia*, *Neceſſaria* & *libera*, non poſſunt eſſe Idem *realitèr*; ſed talia ſunt plurima Dei *Attributa*, ut *Æternitas* & *Immenſitas*, quæ ponunt *Durationem* & excludunt *limites*. *Juſtitia* quæ *neceſſaria*. Gen. 18. 25. & *Miſericordia* quæ *voluntaria*. Rom. 9. 18. nec dicas, quòd *identificentur* in Infinita eſſentia, utcunq; *diſtinguantur* quoàd conceptus noſtros, provt referuntur ad *actus extrinſecos* in Creaturis; quia *conceptus* iſte *fictitius* eſt cui res non reſpondet, & vera definitur *propoſitio*, quæ pronuntiat uti res eſt, falſa contra.

Sol. Triplex hic obſervanda eſt *diſtinctio*, vel. 1. *Rei* à *Re*, ut *Petri* à *Paulo*. vel. 2. *Rei* in *Re*, ut *ſedulitas* à *devotione* in *Martha*. vel, 3. *Rei* à *ſe*, ſic *Matheus ſedens*, diſtinguatur ab *Ambulante*, è quibus ultima tantùm ſeu *modalis* inter Dei *Attributa* dignoſcatur, quæ non à rerum *diverſitate*, ſed à reſpectuum varietate ducit originem, *Reſpectus* autem diſtin-

guant tantùm, non componunt, ut *paternitas*, & *Dominium* non alium reddunt, sed aliter disponunt *possidentem* sine reali in ipso mutatione.

Ob. 6. Ubi *Motus*, ibi *mutatio*, & ubi *mutatio* Decretorum, ibi aliquid intervenit, quod *simplicitati Perfectionis* non convenit. Sed Deus dicitur *appropinquare*, & elongari Jac. 4. 8. & mutasse quod decrevisset de *Saulis* regno. 1. Sam. 13. 13. & Morte *Ezechiæ*. 2. Reg. 20. 1. & Isaiæ 38.

Sol. Motus *propriè* illi non attribuitur, qui est *ubiq;*, nec *mutatio* Actui purissimo, qui ad nihil potest esse in *potentia*. Mataphoricè tamen hujusmodi *de Deo* in Scripturis dicuntur. Sicut Sol dicitur *intrare domum* vel exire, in quantum *Radius* ejus pertingit ad domum. Sic dicitur Deus *appropinquare* ad nos, vel *recedere* à nobis, in quantùm participamus influentiam Bonitatis ipsius, vel ab eo deficimus, ut habet *Aquinas*. 2. Decreta verò de Regno *Saulis* & *Ezechiæ* morte, non determinata fuerant simpliciter, sed per certa media exequenda, pro quorum etiam præstituto interventu ita singula evenirent, ut nulla in *Dei Decretis*, sed in *rebus transactis* inveniretur Mutatio, ubi observandum, *creatas voluntates* à *Rebus volitis*, sed res *omnes volitas* à *Divina voluntate* dependere.

Part. 1. q 9. ar. 1.

Not. ad Disp. de Deo disp. 3.

Ob. 7. Omnimodam *Deitatis* perfectionem oppugnant hæc *Vorstiana*. 1. Deum aliquo sensu esse corporeum, ut affirmarunt *Tertullianus*, & *patres*, nec negat *Zanchius*. 2. admittere in *æternitate* sua, præsentis, præteriti, & futuri temporis *successionem*. Apoc. 1. 4. Dan. 7. 33. 3. Non esse *essentiâ* sua *infinitum*, vel *omnipræsentem*, quia sic nec ab Angelis, aut hominibus facie ad faciem esset conspiciendus, contra illud 1. Jo. 3. 2. Apoc. 22. 4. (cum *finiti* ad *Infinitum* nulla fit *proportio*) & Indignum majestate divina, rebus *vilibus*, *sordidis*, & *abominandis* essentialiter inesse, aut adesse.

Sol. Corpus sumitur, vel *propriè* ut opponitur *spiritui*, quo sensu nec *Animæ*, aut *Angelis*, multo minus *Deo* adaptetur, qui non tantùm *spiritus est*. Jo. 4. 24. Sed *pater spirituum*. Heb. 12. 9. vel 2. *Catachrestice*, quatenus *substantiam* designat

signat vel *entitatem*, inani *phantasmati*, aut non enti contradictoriam, hoc posteriori sensu excusat *Tertullianum Augustinus*, *Corpus potuit nominare, quod videlicet non sit inane, sed sit aliquid quo ubiq; totum sit*, atq; ita intelligendi sunt *patres*, quos non rejicit *Zanchius:* Sed declinandas esse tales καινολογίας pie & prudenter monet *quidam*. 2. In *Æternitate* designare *prius* & *posterius*, est Infinitati ponere limites. nec loqui cum *Scriptura*, quæ mille *annos*, ut Diem *Hesternum* ad captum nostrum, in calculo æternitatis supputat. Ps. 90. 4. 3. Omnipresentiam, & immensitatem Dei *cælo terminare*, quia inter *orandum*, ad *Cælum* omnes ferè gentes attollant oculos, non tantùm textui Adversatur, *excelsior* cœlo est, & quid facies, profundior Inferno & unde cognosces? Longior terrâ mensura ejus, & latior mari Job. 11. 8. 9. quibus concinunt ista Psal. 139. 8. & Jerem. nunquid non *cælum* & *terram* ego impleo? c. 23. 24. Sed & non causæ pro causa sophisma obtrudit. Quia *Cælum* inter orandum (plerunq; non semper ut *publicanus* Luc. 18. 13.) suspicimus, vel 1. salvatoris exemplo, vel 2. ad testandum quod ea quæ sursum sunt quærimus non quæ super terram, Col. 3. 1. 3. vel quòd majestas divina effulget Ibidem glorioſior. Quæ 4. non magis imminuitur in rebus (quas permeat) vilissimis; quam sordidatur *sol* à *fimeto*, quod intemeratis illustrat radjis, & ab *Angelis* conspicitur, non pro infinitatis *interminabilitate*, sed pro intuentium *modulo*.

De Hæres. c. 86 Brochman. de Deo, & S. S. Trinit.

QVÆST. II.

An sit Trinitas personarum in una Deitatis Natura individua.

UBI quæritur *Unitas* Trinitatis; *Patris* scilicet, *filii*, & *Spiritus Sancti*, cum modestia, & tremore atq; attentissimis auribus & devotis est auscultandum. Quia nec *periculosius* alicubi erratur, nec *laboriosius* aliquid quæritur, nec *fructuosius* aliquid invenitur, ut habet patrum *Acutissimus*. Quod ut pro modulo distinctiùs præstetur, pro concessis habenda sunt tria, in quibus inter omnes convenit, 1° *unum numero* tantùm esse *Deum*, quare non opus erat ut *Bellarminus* ad hoc probandum, in hac lite, tantum *olei* & *operæ* per totum ferè *librum* 1um de *Christo* insumeret 2° *Nomina ista* tria, *Patrem, Filium*, & *Spiritum Sanctum*, in Scripturis expressè occurrere. 3° Nihil hic tanquam de fide admittendum, quod non vel *expressè* in Scripturis invenitur, vel per certam *consequentiam* deducitur, unde prævaricantur *pontificii*, qui ad *Traditionem non scriptam* in hoc dogmate statuminando se recipiunt. Sic ut *nodus* restat præcipuè controversius. *Quaratiane* Deus naturâ (ut ita dicam) *unissimus*, credatur nihilominus esse *Triunus*. Quod Affirmamus nos his comprimis ducti *Argumentis*, quorum.

De Trinit. l. 1. c. 3.

Bellar. de v. D l. 4. c. 6.

1. *Primum* sumitur ex V. T. 1. *faciamus hominem* ad *Imaginem* & *similitudinem nostram*. Gen. 1. 26. ubi הב *Faciamus* denotat *pluralitatem*, non *creaturarum* extra loquentem ut illi essent *cooperarii* in Hominis fabrica, Ergo *concreantium* intra se. At quinam illi, nisi *spiritus* anteà *nominatus*. ver. 2. & λογὸς sive *filius* per quem etiam fecit & *sæcula*? Heb. 1. 2.

Quorum

Quorum *unitatem* ostendit ulterius *Imago singularis*, non *Imagines*, unde *Trinitatis Trivnitas* conspicua fit in primo rerum *ortu* quod 2. repetitur Psal. 33. 6. *verbo Domini cœli firmati sunt:* & *spiritu oris* ejus omnis virtus ipsorum. Ubi *Jehovah*, λόγος *spiritus*, sunt Ipse *Elohim*, qui in *principio* creavit *cœlum* & *terram* Gen. 1. 1. Hùc; 3. τεισάγιον *Sanctus, Sanctus, Sanctus Isaiæ*. 6. 3. à patribus nonnullis refertur, ex quo *Judæi* quidam *Trinitatem* Agnoverunt apud *Galatinum* & *alios*. Sane quod de Majestate *Jehovæ* prædicat *propheta*, applicat *salvatori* evangelista. Hæc dixit *Isaias* quando vidit gloriam ejus & loquutus est de eo Jo. 12. 41. & *spiritui sancto*, *Lucas* Act. 28. 25. quo spectent & ista, ubi est Deus *Factores* tui Job. 35. 10. & Psal. 139. 2. memento *creatorum* tuorum Eccles. 12. 1. quia *conjuges* tui, *Factores* tui Isa. 54. 5. quod de S. *Trinitate* dictum notat *Junius*; cujus notitiam aliquam obscuram & in volutam, probabile est *Platonem* aliosq; philosophos apud gentes, à *Judeis* hausisse.

A. Simion Ben. Iochai verit Cath. l. 2. c. 10. Mornæus De verit Relig. l. 7. c. 6.

עשי
בוראיך
בעליך
עשיך

Conf. Morn. de Relig. l.

2. Luculentiùs hoc firmatur in N. T. ex *salvatoris Baptismo*. Math. 3. 16. 17. ubi tres distinctæ manifestantur *personæ*, distinctisq; nominibus, & actionibus personalibus: *Pater* enim è cœlo loquitur, & *de filio* testatur, *filius* è *Jordane* ascendit, & turbæ fit *conspicuus*, & *Johannes* videt *spiritum* descendentem in *ipsum*, & manentem super eum Jo. 1. 32. idq; non levi tantum motu (ut nugantur *Sociniani*) sed *corporali specie* ut habet Lucas. c. 3. 22. Istas autem *personas* ejusdem esse *authoritatis*, & *excellentiæ* probat.

3. Baptismi nostri *Institutio*, Docete omnes gentes *Baptizantes* eos in Nomine *Patris*, & *Filii*, & *Spiritus Sancti*, Math. 28. 19. conjunguntur hic *tres* quibus æqualitèr *cultum* nostrum, & *obsequium* spondemus. Baptizamur autem, non in ipsorum *Nomina*, sed *Nomen*, quod *essentiæ unitatem* denotat. Unde argumentum, in cujus Nomen *Baptizamur* is est *Deus* Altissimus. unde Apostolus *Deum, Fidem* & *Baptismum*, ut se invicem *inferentia connectit*, Eph. 4. 5. sed in nomen *Patris*, & *Filii*, & *Spiritus Sancti* baptizamur, ubi *articuli* τοῦ] & *particulæ* καὶ] excludant omnem *inæqualitatem*. Ergo

Pater, *Filius*, & *Spiritus sanctus*, sunt *unus* ille *Deus* Altissimus, tàm respiciendus in *recreatione* per *Baptismum*, quàm in primæva *creatione* ad suam *Imaginem*.

Calv. Inst. l. 1. c. 13. §. 16.

4. Argumentamur, cum venerit *Paracletus* quem *ego* mittam *vobis* à patre, *spiritus* veritatis, ille *testimonium* perhibebit de me, Jo. 15-26. *Paracletus* missus, *Filius* mittens, *Pater* à quo *missus* nominibus *distinctis*, & *actionibus*, distincte hìc occurrunt ad complementum *operis* redemptorii, quod ascribendum est *soli Deo* absq; creaturarum interventu. Ergo *Pater*, *Filius*, & S. S. sunt *solus* ille Deus *triunus*. ubi *missio*, & *exequtio* ostendunt tantùm *ordinem* inter *personas*, & *appropriatorum* distinctionem, non *essentiæ*, aut causalitatis *diversitatem*.

5. Accedit Benedictio Apostolica, *Gratia Domini nostri Jesu* Christi *& Charitas Dei*, & *Communicatio spiritus sancti* sit cum omnibus vobis Amen. 2. *Cor.* 13. 13. A tribus hic optantur *tria*, quæ salutis πληροφορίαν perficiunt sub *distinctis* titulis, quæ ex æquo concurrunt, & tamen ab uno deo hæc provenire agnoscuntur. Ergo, *Trinitas* agnoscenda est *unius Deitatis*, & unitati in Trinitate & Trinitati in unitate *gratiæ* à nobis & *cultus* (ut colligit Symbolum *Athanasii*) sunt referenda.

6. Confirmat hoc ulteriùs illud ejusdem Apostoli. *Distinctiones* Donorum sunt, sed *idem spiritus*, & distinctiones *ministeriorum* sed idem *Dominus*, & distinctiones *operationum*, sed idem est *Deus*, qui operatur *omnia* in *omnibus*. 1. Cor. 12. 4. 5. Scopus autem erat *Apostoli*, ut *Corinthios* de donis litigantibus ad *unitatem* suaderet, quod facit hoc *ratiocinio*. Omnia quæcunq; habetis, sivè *Dona*, sivè *Ministeria*, sivè *operationes* miraculosæ, ab *unico Deo* proveninnt, sed ista partim à *spiritu* sancto, partim à *Domino* Jesu, partim à *Deo patre*, qui Deus dicitur κατ' ἐξοχὴν conferuntur, Ergo *Pater Filius* & *spiritus sanctus*, sunt unus ille *Deus*, in quo oportet vos *unitatem* colere. Nec hìc fingi potest *subordinatio* (ut cavillantur *Adversarii*) nisi *Deum* sibi ipsi *subordinatum* somniarent.

7.

7. Concludit *Johannes*. *Tres* sunt *qui testificantur in cælo, Pater, verbum, & spiritus sanctus, & hi tres unum sunt* 1. Ep. c. 5. v. 7. At quomodo *unum*? *consensu*? sic Boni *Angeli*, & omnes sancti unum esse statuantur, vel alio modo accidentali dicantur unum? Talis est ratio *testium terrenorum* qui subnectunturi de quibus non dicitur οἱ τρεῖς ἓν εἰσι, Hi tres *unum* sunt, sed οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἓν εἰσιν, in *unum sunt*, seu in unum *consentiunt*, restat Ergo ut unum sint, *essentialiter*, & cùm testimonium *Patris*, & *Filii* sit personarum, cur *spiritus* etiam *testimonium*, non esset *personæ*, (quod ejusdem hic statuitur monenti) mirum videbitur? ex quibus concludatur, Tres *Personas* esse ejusdem individuæ Deitatis. 2. Nugantur autem qui textum clamant esse *supposititium*, illum siquidem urgent *Athanasius*, & *Cyprianus* contra *Arianos*, cujus *evidentiam*, cum eludere nullis *tergiversationibus* potuissent, expunxerunt in omnibus (ut videtur) quæ ad manus pervenerunt *exemplaribus* (teste *Hieronymo*) unde accidit ut à *Nazianzeno*, *Chrysostomo*, *Augustino*, aliisq; patribus sequentibus, non attingatur, nec à *Syriaca*, & pluribus *Latinis* aliisq; *Translationibus* agnoscatur. 3. Ubi interim prodit *rasuram* sensus imperfectus. nam quâ mente, legatur v. 8. insequente, Et *tres sunt qui testimonium dant in terra*] & v. 9. si *testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est*] si nulla præcessisset mentio de *testibus* in *cælo* quibuscum *testium* in *terra* fieret collatio? En Indicis expurgatorii specimen, undè constet nuperum illud non esse *Tridentinorum* Inventum.

Objicium

Objiciunt Samosateniani, Photiniani, Sociniani, & si qui sunt alii ex Arianorum corte.

Ob. 1. NOtiones 1. De *Personis*, 2. Subsistendi *Modis*, 3. ὁμοουσίᾳ sive *consubstantialitate*, & cæteris hujusmodi, quæ ex *scholarum* profluxerunt *Lacunis*, ablegentur meritò ad *inanes* Philosophorum *seductiones*, quas sufflaminat *Apostolus* Col. 2.8. Atquî sine his non astruitur de Deo *Triuno* doctrina; Ergo *ruinoso* nititur *fundamento*, & è fidei *Symbolis* penitùs est exterminanda.

Sol. *Personæ* vox habetur Heb. 1. 3. ubi dicitur Filius *character personæ* illius, nempe *patris*; cumq; alias constet *Tres* testificari in *cælo* 1. Jo. 5.7. à *concreto* ad Abstractum *Trinitatis* terminum licitus est progressus. 2. *Notiones* quæ usurpantur *aliæ*, eatenùs retinentur, quatenùs insultibus Hæreticorum retundendis inserviant, ut ex *Logicis* intelligant *Theorematis*, probationes quæ *contra fidem* inducuntur, non esse *demonstrationes*, sed *solubilia argumenta* ut loquitur *Aquinas*. 3. Secùs agendum est apud *fideles*, quibus inculcandum est illud *Evangelistæ*, hæc *scripta* sunt ut *credatis*, Jo. 20. 31. non ut *torqueatis* ad proprias vertigines. Tolle *Argumenta* ubi *Fides* quæritur (clamat *Ambrosius*) & sepulta optat *Calvinus* Inventa exotica, modo absq; his *fides* explicata constaret, quod cum non fiat, non sentiendum tantùm est semper, ut dictat *Scriptura*, sed loquendum est *consentienter* ut docet Ecclesia.

Part. 1. *q.* 1. *ar.* 8.

De Fide l. 1. *c.* 5.

Inst. l. 1. *c.* 13. §. 5.

Ob. 2. Ubi sunt *unum* & *tria*, ibi sunt *quatuor* realiter distincta, sed in *Deo* est una *Essentia* & tres *personæ*, Ergo posita personarum *Trinitate*, emergat *quaternitas* in Dei *simplicitate* non ferenda.

Sol.

Sol. Distinguendum hic inter Entia *Absoluta*, & *Entis modos* seu respectus reales. *Quaternitas* oritur ex quatuor *entibus* absolute *distinctis*, sed hic *Personæ* per diversos subsistendi *modos* inter se distinctæ, *Identificantur* in eadem absoluta *Essentia*, à qua non *re*, sed *ratione* tantùm differunt, sic ut *alius*, inter *personas* non aliud, & non *aliud* inter *illas* & *Deitatem* inveniatur, quia *tres* illæ *personæ*, nil *aliud* sunt, quam iste *unus* Deus, qui in *tribus* istis *personis*, diversimodè *subsistit*.

Ob. 3. Contradicit Dogma *Trinitatis* perspicuis *Scripturæ* locis. 1. Hæc est *vita æterna*, ut cognoscant te *solum verum* Deum, & quem misisti *Jesum Christum*. Jo.17.3. 2. Nobis est *unus* Deus *Pater* ex quo omnia. 1.Cor.8.6. 3. *Unus* est *Deus Pater* omnium, qui est *super omnia*, *per omnia*, *& in omnibus nobis*, Ephes.4.6. Ergo *Pater*, *solus & unicus* dicendus est *Deus propriè*, *& Filius*, *& S.S. dirivativè*, & per quandam quasi concomitantiam.

Sol. In 1. Loco τὸν μόνον *solum*] referendum est ad verum Deum] quod sequitur, & *non ad te*] scilicet *Patrem* quod antecedit, sic ut fluat *textus*, Hæc *est autem vita æterna*, ut *te* cognoscant esse illum *solum verum Deum*, vel ut qui es ille *solus verus Deus* (sicut *Syrus* exprimit.) Atquî ille *solus* verus Deus est *Pater*, *Filius*, *& Spiritus Sanctus*, exclusis omnibus *creaturis*, *& figmentis*, cujus *cognitio* in misso *Filio*, & ab illo præstitis est ad *vitam* æternam necessaria. In 2. & 3. loco; Antithesis tantum est inter *deos multos* Gentilium, & *unum* verum Deum, non inter *personas*, quæ *essentialiter* sunt ille *unus verus Deus*. ut enim (quod sequitur) *unus* est *Dominus* Jesus Christus, non excludit *Patrem* à *Dominio*, sic quod *Patri* ascribitur, non excludit *Filium*, aut S.S. à *Deitate*. 3. Fatetur *Socinus*, Nomen *solus*] & particulas *Idem* significantes, cum de *Deo* dicantur, nunquam *eos* excludere, qui illi sunt *subordinati*, & *Smalcius*, cum dixit Christus *Deo soli* servies, Math.4.10. non *seipsum* excluserit.

Beza in Loc.

Miscell. p. 273.

Resp. ad 1. partem Smiglecii c.2.

Ob. 4. Evertit hæc Doctrina. *Tria* rationis *Fundamenta*. 1. *Impossibile* est Idem *esse*, & non *esse*. 2. Quæ in *uno tertio* sunt

sunt *eadem*, inter se sunt *eadem*. 3. Syllogismi etiam *expositorii* consequentiam. Siquidem *Pater* idem statuitur cum *Filio*, & tamen non est *idem*. *Paternitas* & *Filiatio* sunt *eadem* res cum *essentia*, & tamen non sunt *eadem* inter se, & conceduntur Hæ præmissæ, *essentia* est *Pater*, *essentia* est *Filius*, & negatur tamen *conclusio*, Ergo *Filius* est *Pater*.

Sol. Ludicris hujusmodi *tendiculis* satisfaciunt *quæstiunculæ* de *Trinitate*, excerptæ ex *Augustino*. *Moderni* sic plerunq; occurrunt. Impossibile est *idem esse* & *non esse eodem* prorsus *respectu*. sed in *Trinitate* quæ distinguuntur *personaliter*, idem possunt esse *essentialiter*, sic quæ in *uno tertio incommunicabili* sunt eadem, *eadem* sunt inter se; ut si *Petrus* & *Jacobus* eadem prorsùs essent cum *Johanne*, eadem prorsus essent *inter se*, sed hic *aliter* se res habet, *Filius* & *Spiritus Sanctus idem* prorsus sunt cum *Patre* in Natura *individua*, sed *Natura* illa *individua* est *communicabilis*, quia *infinita*, quod creatis & *finitis* individuis non competat. unde *Syllogismus* Socinianorum *expositorius* imponit, quia supponit Deitatem esse *incommunicabilem*, quæ pro incomprehensibili *infinitate* communicatur *personis*, sic ut Syllogismus propositus huc recidit. *Quædam essentia* est *Pater*, & *quædam essentia* est *Filius*, Ergo Filius est Pater, contra illud, *Syllogizari non est exparticulari*. Ita profitentes se esse *sapientes*, *vani* & *stulti* facti sunt in *ratiocinationibus* suis Rom. 1. 21. 22.

Tom. 3. Edit. Bas p. 737.

Ot. 5. *Judæos*, *Mahumetanos*, & *Paganos*, à *Christianismo* avertit, dum tam implicata proponit *paradoxa*, de *individuo communicabili*. 2. *Personis multiplicantibus* & non *componentibus*. 3. De *relationibus*, & *subsistentiæ* modis, *personas* constituentibus, & hujusmodi, quæ *attonitos* potius, quam *institutos* accedentes ad *cultum* redderent. contra illud, *Lex Domini sapientiam* præstat *parvulis*. Ps. 19. 8. & ne *invicem* judicemus, sed hoc judicare magis, ne ponamus *offendiculum* fratri, vel *scandalum*. Rom. 14. 13.

Sol. Veritas non *deserenda* est, ut lueremur perversos aut *aversos*, enitendum tamen est ut omnia transigantur absq; scandalo, Dato saltem si non *accepto*. 2. In talium *institutio-*

Bernard.

ne

ne illud imprimis est inculcandum, ut *Scripturæ* fidem habeant, siquidem cùm *fontes* omnis *cognitionis* sint *Ratio, experientia, & Scriptura*, ut *experimur* multa esse vera quæ *rationem* transcendunt; ita *Scriptura* adjicit plurima, quæ tàm *experientiam*, quàm *rationem* superant. credendum igitur quia hoc *revelavit* Deus, quem dictat *ratio* esse sequendum in iis præcipuè, quæ captum humanum superant. 3. Non desunt interim in *compertis*, quæ ad *sublimiora* hujusmodi erigant. Homo Dei *Imago, intellectum, voluntatem, & conscientiam* exhibet, *distinctos* inter se, sed *in*, & *cum* anima *essentialiter* unitos; Ita *Sol, radius, & splendor*, idem sunt *& diversa*; & *unum, verum*, & *bonum*, idem & diversa esse quoad quosdam *respectus*, statuunt *Metaphysici*. Quanquàm tutius hic sit, simpliciter *credere*, quam nimis *altum* sapere, ne scrutator *Majestatis* opprimatur à *gloria*.

Ob. 6. De *Tribus Personis* æquali devotione venerandis *cogitatio*, distrahit *invocantis* animum, cui potius ex illis se *applicet*, ut acceptior sit ipsius oratio. 2. Et ne dum *Filium* aut S. S. invocet, *Patris* gloriam obscuret. 3. Et *cultum* uni Deo debitum, inter plures dividat.

Sol. Qui *cogitat* et credit *unitatem* trium personarum, consistere, in ὁμουσίᾳ, ἰσότητι, & περιχωρήσει, h.e. *coessentialitate, coæqualitate*, et arctissima (ut ita dicam) *concluſione*, juxta illud credite *Patrem in Me, & Me in Patre esse*. Io. 14.11. Liberabitur per Dei gratiam à tali *fluctuatione*. Cum persuasum habeat, eodem invocationis *actu* quo filium, Patrem etiam et S.S. invocari. Quò dirigit illud *Nazianzeni* à *Calvino* laudatum, ἐκφεύγω τὸ ἓν νοῆσαι, ᾧ τοῖς τρισὶ περιλαμπομαι, ἐκφεύγω τὰ τρία διελεῖν, ᾧ εἰς τὸ ἓν ἀναφέρομαι. *Inst. l. 1. c. 13. § 13.* Non possum *unum* cogitare, quin *trium* fulgore mox *circumfundar*: nec *tria* possum *discernere*, quin subito ad *unum* referar. proinde et nos eam personarum *Trinitatem*, ne *Imaginari* in *animum* inducamus, quæ *cogitationem* seorsim distractam detineat, et non ad illam *unitatem* mox reducat. *Calv. ib.* 2. Quanquam fixissimum sit illud, quod *Pater* omne *judicium* dedit *Filio*, ut omnes honorent *Filium* prout honorant *Patrem*. Jo. 5. 22. 23. *Salvatoris* tamen *methodus* in præscripta

ta orandi *formula* Math. 6. et Luc. 11. et *Apostolorum* praxis, Act. 4. 14. et Ephes. 3. 14. ad Patrem nos præcipuè dirigunt, ut per *Filii mediationem*, S. S. *ductum* et *dona* consequamur. 3. Sic ut *ordini* inter personas in *Baptismo*, et aliàs consignato, *Doxologiæ* et *supplicationes* nostræ convenientiùs respondeant.

Ob. 7. *Patres* ante Concilium *Nicænum*, hanc de *Trinitate doctrinam* non agnoverunt, nec colligi potest ex *Symbolo* (ut appellatur) *Apostolico*, quin nec *Symbolum* ipsum *Nicænum*, *personas* aut earum *modales* sive *formales* distinctiones exhibeat. *Tres* tantum *res* designant, *Patrem*, *Filium*, et *Spiritum Sanctum*, quod nos non solum *agnoscimus* (inquiunt *Racovienses*) verùm etiam constanter asserimus, ita ut ne *Christianum* eum esse *posse*, qui id *ignoret*, aut non *credat* pronuntiemus. Ergo *Dogma* de *tribus personis* in una *Deitate*, *Athanasianum* erat *inventum*, in Ecclesia ulterius non ferendum.

In *Catech.* p. 37.

Sol. Quàm unanimitèr inter *Patres*, *Ante-Nicæni* asseruerunt hanc (quam nos hodie amplectimur) de S. *Trinitate* doctrinam; non tantùm copiosè ostenderunt, *Bellarminus*, *Coccius*, & prę Cæteris *Paxillus* in integro hac de re *volumine*; sed profitetur ipse *Socinus*. Nos (inquit) ab istis *patribus* & *Conciliis*, quæ extant *dissentire* non diffitemur. Neque enim arbitror ex *Scriptis* nostrorum hominum, Ostendetur unquàm, *eos* asserere, aut existimare, *Scriptores* ante Concilium *Nicænum* (qui hodie extant) *nostræ sententiæ* fuisse. 2. Symbolum verò *Apostolicum* & *Nicænum*, Personas non nominant, quia de *coessentialitate* & *coæqualitate filii*, & S. S. cum *Patre*, non de *distinctione* personarum *relativa*, inter se, erat tunc temporis *controversia*. 3. Quæ *Symbolum Athanasij* Romæ contextum, explicat tantùm uberius, non additit jis commentis interpolat. vid. de S. Trinit. Lect. nostram 17.

QVÆST.

QVÆSTIO III.

An Filius sit à Patre ab æterno genitus.

UT quod quæritur distinctiùs hic intelligatur, observandum est. 1. Adversarios (quibuscum agimus) concedere patri æternitatem & personalitatem, Filio, personalitatem sed non æternitatem. Spiritui verò Sancto æternitatem sed non personalitatem. Consentiunt autem nobiscum. 2. Christum esse Patris æterni filium, non adoptivum, ut fideles ex gratiâ, sed verè & propriè genitum, non humano more, ex mortali semine, sed per Spiritum Sanctum adumbrantem & supervemintem, in B. Virginis utero Conceptum. Sic ut lis sit tantum. 3. In hac quæstione de ejusdem *Generatione* æterna, scilicet *An Pater ab æterno sic illum genuerit, ut cum Patre Credatur esse Coæternus*; Affirmant hic Orthodoxi Quia.

vide zanchii de Attributis Div. p. 129 c. 2. 130. c. 1.

1. Colligitur hoc ex U. T. Dominus dixit ad me filius meus Tu, Ego *hodie* genui te Ps. 2. 7. hoc de Christo interpretatur *Apostolus* Act. 4. 25. de quo additur ad Hebreos. Jesus Christus *Hodiè* & *Heri* Idem est, et in *secula*, c. 13. 8. ut *hodie* in præsenti, & absq; termino in *futuro*; sic *Heri* fuit sine initio. In Deo autem quia nil *præteritum* aut *futurum* existimetur, Ergo nec *temporis* mensura, Ergo *Hodie*, hîc æternitatem *denotat*, juxta illud, *Sapientia Jehovæ*. (qualis est *filius* 1. Cor. 1. 30.) erat ante *ullum tempus* Prov. 8: 22.. Cujus *exortus*, inde à *principio*, à diebus erat seculi.

Mich. 5. 2. Ergo ut in plenitudine temporis, *Christus factus* est ex *muliere filius hominis*, Gal. 4. 4. Ita antequàm *Montes* fierent, aut *temporis* aliquod *principium*, filius erat *æternus*, *æterni* Patris, ab *æterno* genitus Ps. 90. 2.

2. Idem confirmatur ex locis, quibus Christus dicitur *Filius* Patris πρωτότοκος non πρωτόκτιστος, *Primogenitus* omnis rei cõditæ, non *Primocreatus* inter res conditas, sic ut in creaturarum Classe numeretur; Col. 1. 15. 2. μονογενὴς *unigenitus* Jo. 3. 16. 3. ἴδιος *Proprius* Rom. 8. 32. Cum autem filius *quadruplici* ferè sensu in Scripturis occurrit, vel ratione *Creationis*, sicut *Adam* dicitur *Dei* filius Luc. 3. 38. & *Angeli*, Job. 38. 7. vel 2. *Adoptionis* per gratiam, ut habentur prædestinati & fideles Gal. 4. 5. Eph. 1. 5. vel 3. *Generationis Physicæ*, ut *Isaac* filius *Abrahami* Math. 1. 4. Hæc generatio filji inenarrabilis ante secula, sublimioris est *theoriæ*, quam *Caro* & *sanguis* non revelat, Math. 16. sed *Pater* qui est in cœlis, & *unigenitus* ille filius qui est *in sinu patris*, ille nobis exposuit Jo. 1. 18.

3. Astruitur hoc ulteriùs ex *Patris Æternitate*, *Pater* non potest esse sine *filio*, filiatio supponit *generationem*, posito igitur *Patre æterno*, necesse est ut concedatur *æterni* filii, *æterna* generatio, quam prædicat *psalmista*, ad *facies* solis sive ante ינון *solem filiabitur* nomen ejus, Ps. 72. 17. & ut *Mysterium* in explicabile proponit *Agur* Ben *Jake* Quis *Ascendat* cœlos, & descendat? Quis colligat *ventum* pugillis suis? quis ligat *aquas* pallio suo? Quis stabiliat omnes *fines* terræ? Quod est *Nomen* ejus, & *nomen* Filji ipsius quod *ineffabile*? Ergo ante secula habuit filium, quod concipi non potest absque *æterna* Generatione.

4. Idem evincit Filii ante omnem Creaturam *præexistentia*. Nam qui omnia creavit, ante singula creaturas præextiterit, sed per *Filium* omnia sunt *Creata*, omnia per *ipsum* facta sunt, nemper per מימר λογὸν, (quod fatentur adversarii significare *filium*) & sine ipso *factum est* nihil quod *factum* est. Jo. 1. 3. per eum *condita* sunt *omnia*, quæ in *cœlis* sunt, & quæ in *terra*, visibilia & invisibilia, Col. 1. 16. per quem mundum condidit. Heb. 1. 2. Ergo *filius* erat æternus,

nus,& per consequens, *æterna* fuit ipsius generatio,unde dicitur *Pater æternitatis* respectu *Creaturarum*. Isaiæ 9.6. quia *largitur* ipsis æternitatem, & quomodo æternitatem largiri potest,quam in se non habet, vel *formaliter*, vel *eminenter*?

5. Quicquid *Deo* patri priùs convenit quàm creaturis, id perfectissimâ ratione,*Deo filio* attribuitur,non Ergo cogitanda est hìc *generatio* aliqua *physica* ex semine,sed *Hyperphysica* de qua dicatur illud, *generationem* illius quis enarrabit? Isaiæ 53. 8. & ex utero ante *Luciferum* genui te (ut reddunt. 72. & *latinus*) non tàm perperàm (ut non nulli putant) in qua, *Gignens* genito, *nomen*, *Attributa*, *opera*, & *cultum* impertit, ut sicut *pater* dicitur habere *vitam* in *seipso* sic filio per generationem istàm æternam,contulit vitam etiam *æternam* in se ipso habere. Jo.5. 26. ut *generatio* prius *Deo* competeret quàm hominibus, à quo dependet omnium *creaturarum* generatio. *Vid.Muis in l.*

6. Filius dicitur *effulgentia* gloriæ, & *character* personæ ipsius patris. Heb. 1. 2. sed *splendor* sive *effulgentia* est *coæva* cum re e qua emanat, ut *fulgor solis*,cum sole;& sic in cæteris. Ergo nil obstat quominùs *Filius* ab *æterno* patre emanans, sit *æternus*. ἀπαύγασμα ἡ δόξης καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως.

7. Aut *generatio* filii (de qua quæritur) Æterna fuit, aut *temporaria*, si *temporaria*, tum in *Conceptione* B. Virginis,vel *anteà*,non in *Conceptione*, quià non sic *genitus* sed *Factus*,*verbum* Caro *factum* Jo. 1. 14. *factum* ex *muliere*. Gal. 4. 4. ex *Spiritu Sancto* superveniente. Luc.1.35. non à *patre* tum primò gignente: Nec *anteà*, in interstitio intèr *partum* B. Virginis,& *Abraham*. Imò & *Adam*, quia antequàm *Abraham* erat. (& eadem ratione) antequàm *Adàm* exstiterit *ipse fuit*. Jo. 8. 58. Ergo *temporaria* non potuit esse hæc filii generatio,concluditur igitur quòd sit *æterna*.

Objectiones Adversartium punctiores.

vide Zanchium de Div: attributis p. 133. c. 2. 136. c. 2.

Ob. 1. INdignum est Deum generare Filium more animantium, quæ indigent *successione*, Ergo Deum ab *æterno* genuisse Filium, non tantùm *poeticum* est figmentum (ut illud *Minervæ* è *Jovis* cerebro) sed non *ferenda* inter Christianos *Blasphemia*.

Sol. Argumentum hoc à *Mahumetanis* mutuatum, *distinctio* dissipat inter *generationem Physicam*, & hanc *hyperphysicam*, quæ captum humanum infinitiès superat. *Physicam* habeat sibi *Mahumed*, cum suo *gynicæo*, Et qui eò propendant *Ostrodianis*; dum nos *mysterium* hoc de *Filio* ante secula à Patre *genito*, Deo de Deo, *Lumine* de *Lumine*, Deo *vero*, de Deo *vero*, in *Scripturis* revelatum, & *symbolis* consignatum, constanter (ut oportet) credimus & veneramur.

Ob. 2. Si *Pater* ab æterno *Filium* genuerit, aut *existentem* genuit, aut *non existentem*. Si genuerit *existentem*, filius extitit antequàm gigneretur, quod implicat. Si nondum *existentem* genuerit, Ergo Filius aliquando non fuit, sed esse cæpit, & valeret illud *Arianorum*, erat *tempus* quando *Filius* non erat, quod æternitatem ipsius prorsus intercidit.

Sol. Valet *disjunctio*, in generatione *Physica finitorum*, quæ motus est à *non* esse, ad *esse*, sed nullatenùs est accommodanda *generationi* huic *transcendentali* non terminandæ; quæ est *Actus* æternus æterni *Patris*, à quo Filius *emanat*, & in quo *immanet*, sine omni præcisione *coexistendo*. unde *Filius* non fuit ante *generationem*, nec cæpit esse per *generationem*, sed semper emanavit *à Patre*, actu *æterno*, & *interno*, ad modum radii, (licet modo eminentiori inexplicabili) jugiter *à* sole *emanantis*.

Ob. 3. Quod *perfectissimum est*, *unum* tantum potest esse, & *unicum*

unicum. Ergo sibi æque *perfectum* non potest generare, quia inde emergerent duo *perfectissima*, quod *implicat*, & illud sic *genitum*, vel *actu* fuit in gignente, vel *potentiâ*, si *actu*, Ergo fuit antequàm generaretur, si *potentiâ*, Ergo aliquando non fuit *actu*, nec *perfectissimum*, quod est contra hypothesin.

Sol. Non generat perfectissimum, *aliud* à se *essentialiter*. Sed *alium* à se *personaliter*, nam *esse patris* est *esse filii*, & *esse* S. S. licet *esse patrem*, non *est esse filium*, aut *esse Spiritum Sanctum*. Unde *unum* semper manet *perfectissimum* nempe *Deus*, quod tamen non est *unicum* juxta *Hilarium*, quia tribus suppositis est *communicabile*, non *essentia* diversis, sed *relatione* characteristica *distinctis*. Ubi *filius* genitus nec *actu* rectè dicatur, vel *potentia* fuisse in *patre* gignente, sed a *patre*, & *cùm* & *in* illo *coexistens*. Consule *Aquinatem* de *cautela* & *modestia* (in hoc præsertim *mysterio* adhibenda, ne ex *verbis* in ordinatè *prolatis* incurratur *hæresis*, ut *piè* & *prudenter* monet *Hieronymus*. 1. Part. q. 32. a. 2.

Ob. 4. Si Deus *Pater* generat *filium*, aut *semper* generat, aut aliquando generare *desinit*, si *desinat* generare, tum quia vel *perfecit* quod voluit, sic genitus *existeret*, sed ut *effectus* genitore *posterior*, vel suspendit *actum generandi*, unde censeatur *mutabilis*, è quibus neutrum est concedendum, vel *semper generat*, & sic filius semper esset *in fieri*, & nondum adhuc *perfectus*, quod *vecordiùs* est Imaginari. Ergo admitti non potest talis *æterna generatio*.

Sol. Generatio hæc per *simplicem emanationem*, ex productione rerum *physicarum* non est æstimanda, Ibi producto *genito*, cessat operatio, hic neque *initium* cogitandum est, vel *terminus*, quod imperfectionem non magis arguit, quam si quis *lumen* contenderet esse *imperfectum*, quia semper ebullit è *corpore lucido*. Hoc exemplo *Luminis* utitur *Scriptura* ad hanc *generationem* elucidandam, ubi filius dicitur ἀπαύγασμα H. E. *splendor* gloriæ patris. Heb. 1. 3. talia autèm dum *fiunt*, sunt, & dum *sunt*, fiunt, unde *Christus* dicitur *Hodie* & heri, ipse & in sæcula Heb. 13. 8. & α, & ω, *principium*. & *finis* qui *est*, & qui *erat*, & qui *venturus* est *Omnipotens* Rev. 1. 8. 21. 6. 22. 13.

Ob. 5. Essentia non *generat* nec *generatur*, neque *Relatio*, quod inter omnes convenit. Sed in Deo tantùm sunt *essentia* & *Relatio*. Ergo in Deo non est *aliquid* quod generat, aut *generatur*, & per *consequens* filius à *patre* non est ab æterno *genitus*.

Sol. In Deo non tantùm *essentia* & *Relatio*, sed spectanda est *persona*, quæ ex his junctis *subsistit*, hæc autem *generat* & *generatur*. Licèt seorsim *generatio*, nec *essentiæ* aut *relationi* attribuatur.

Ob. 6. Si Pater ab *æterno* genuerit *filium*, tum vel *libere* hoc fecit, vel *necessariò*, si *libere*, filius non est *Deus*, quia *contingenter* genitus, si *necessariò*, Ergo pater agit *involuntariè*, contra illud *quæcunq; voluit fecit* Ps. 115. 3. & quid necessitatem *Omnipotenti* imponeret?

Sol. Necessarium & *voluntarium*, utcunque in Deo *conceptualiter* distinguantur, non realiter tamen opponuntur, unde & *necessario*, & *voluntariò* filium generare dicatur, sic seipsum *intelligit* & *amat necessariò*, & *voluntariò*. *Justè* agit *necessariò* & *voluntariò* Ps. 5. 6. *Necessariò* ratione *immutabilis* naturæ, *voluntariò*, respectu *inerrabilis Beneplaciti*.

Ob. 7. Doctrina hæc de *æterna* filii *generatione*, non potest cum ejusdem filii *Deitate* consistere. Nam Qui non *potest* facere quicquid potest *Pater*, dici non potest *Deus Omnipotens*. Atquî *Filius* non potest facere (hac ex parte) quicquid pater *potest*, quia non *potest* generare *filium* sibi ὁμοούσιον & *coæqualem*. Ergo positâ *tali generatione* non habeatur Deus.

Sol. Potentia Dei est vel. 1. *essentialis*, vel *personalis*. 2. *Personalis* rursus, vel *communis*, vel *Propria*. 3. *personalis communis* competit, vel *tribus* personis in genere, unde illud *Scholæ*. Opera *Trinitatis* ad *extra* sunt *indivisa*, ut *Creationis*, *conservationis* &c. ab *omnibus* personis unitim præstita; vel *duabus* particulatim, ut potentia *spirandi junctim Patri tantùm* & *filio*. 4. potentia *propria* est *singularum* personarum, ut *generare*, *Patris*, *emanare* à patre per generationem, *filii*, *emanare* à *patre* & *filio* sive *procedere* per *spirationem*, *Spiritus Sancti*. Quibus

bus positis, non magis impugnat filii *deitatem*, quòd non potest generare *filium* sibi consubstantialem,& coæternum; quàm *Patris* infirmatur *deitas*, quòd non potest ab alio *emanare*, ut filius, vel *procedere* ut *spiritus sanctus*, quia *propria* personarum, non imminuunt, *communia* essentiæ Attributa, sed supponunt.

QUÆST. IV.

An Filius sit ejusdem cum Patre, Naturæ, potentiæ, & æternitatis.

TEnendum est hìc. 1. *Controversiam* esse de *Filio*, non *adoptivo* ex gratiâ, vel in tempore *virtute* S. S. in utero B. *Virginis* efformato, sed *ante secula* à *Patre* genito. Nec quæritur. 2. de Deo aliquo *nuncupativo*, aut *secundario*, qualem *Christum* esse agnoscunt Adversarij sed 3. de Deo *summo* & *unissimo*, qui *Naturâ* sit omnipotens, & *æternus*, qualem filium esse Credimus & asserimus, his præcipuè nixi fundamentis.

1. Qui est ejusdem *Naturæ* cum *Matre*, quatenùs *filius hominis*, ejusdem debet esse cum *patre*, provt est *Dei viventis* filius ex confessione *Petri* approbatâ. Math. 16. 16. *Homo* enim generat *hominem*, Leo Leonem, nec imbellem generat *aquila* Columbam. Sed profitentur *Adversantes*, Christum ex *Matre verè* & *merè* esse *hominem*, sequitur igitur, ex *Patre* eundem *verè* & *genuinè* esse Deum.

2. Quem adorat *Apostolus* (*Salvatore* approbante & benedicente) ut *Deum* suum, & *Dominum*, is verè & propriè *Deus* est *æternus*, & *Omnipotens*. Sed talem *Thomas* profitetur *Christum* esse. Jo. 20.28. qui de *Deo alio* non erat institutus, præter *Deum* Israelis *summum*. De quo cùm Salvator affir-

massèt. Ego & *Pater* unum *sumus*, Lapidare illum voluerunt *Judæi*, quia (inquiunt) Tu *Homo cùm sis, facis teipsum Deum.* Jo. 10. 30. & 33. Ergo non pro *Domino* tantùm divino, aut *subalterno* (ut contra *Weekum* nugatur *Socinus*) sed pro *Deo Israelis summo*, (quem colebant *Judæi*) *Thomas* Christum agnovit. Nec refutatione dignum est *Nestorianum* illud *Franciſci Davidis* subterfugium, *Thomæ* verba, *Domine mi*, & *Deus mi*] *admirantis* esse, & non *asserentis* aut *invocantis*, ac si patrem tantùm compellasset, ad miraculi *insolentiam*, ô *Domine* & *Deus* summe *quid* est *quod video*, & *palpo*! quia evincit textus, & circumstantiæ, non ad alium, quàm ad Christum colloquentem, directum fuisse ipsius sermonem.

3. Qui cùm esset in *Forma Dei*, non *rapinam* arbitratus est, esse se *æqualem Deo*, in quo omnis *plenitudo Deitatis* inhabitat *corporaliter*. Ille pro Deo summo, Omnipotente, & æterno, est agnoscendus. Sed *filius* expresè asseritur esse talis. Phil. 2. 6. & Colos. 2. 9. ubi signanter ipsi attribuitur πᾶν τὸ πλήρωμα non θεότητος tantùm *Divinitatis*, sed τῆς θεότητος *Deitatis*; Ergo non solùm pro Dominô *divino*, sed pro *summo Deo* est habendus.

4. Christus *propriè* & *absolutè* appellatur *Deus*, non *tropicè*, aut *Symbolice*, nam qui quoàd *Carnem* erat ex *Patribus* & *Deus* dicitur *Benedictus* in *sæcula*, *supra omnia* Rom. 9. 5. 2. Idem *Deus*. 1. nominatur *Manifestatus* in *Carne*, 1. Tim. 3. 16. de quo expressiùs *Johannes*. Scimus *filium* Dei *venisse*, & *dedisse* nobis mentem, ut *cognoscamus verum illum*, & sumus in *vero illo*, id est in ejus *filio Jesu Christo*, hic est *verus ille Deus* et *vita Æterna* 1. Jo. 5. 20.

5. Quæ tribuuntur *unico* et *vero* Deo *Israelis* in V. T. in *Novo*, de *Christo* exponuntur. Ex. 11. adductis vulgò instantijs, tribus tantum insisto. 1. Loquutus est populus contra *Deum* et *Mosen* Num. 21. 5. hoc de *Christo* exponit *Apostolus*. Neque Tentemus *Christum* sicut quidam eorum tentaverunt. 1. Cor. 10. 9. 2. Quod ascribitnr *Jehovæ*, Adorate eum *Omnes Angeli*. Ps. 97. 7. affirmatur de *filio*. Adorent eum *omnes Angeli* Dei. Heb. 1. 6. 3. Majestas illa *Altissimi*,

quæ

quæ tam magnificè describitur *Isaiæ* 6.1. nominatim *Christo* applicatur. Hæc dixit *Isaias* quando vidit *gloriam ejus*, & loquutus est *de eo*, Io. 12. 41. cujusmodi adferantur multa, quæ nullam admittunt Tergiversationem.

6. Totidem adferuntur *enuntiata Apostolica* quæ filio *creationem* rerum omnium ascribunt, & manifestò *Deitatem* ipsius æternam & *omnipotentiam* inferunt. 1. Omnia per *verbum* facta sunt, (quod disertè ibidem *Deus* dicitur) & absq; eo *factum est nihil* quod *factum* est. Hoc erat in principio apud *Deum*. scilicet *Patrem*, ante *tempora secularia* creaturas commensurantia, Ergo *æternum* est, Ergo *omnipotens*, Ergo (cum unus sit tantum Deus) Idem cum *Filio* & S. S. *unus Creator* rerum omnium est prædicandum & sq. 2. Addit *Paulus*. Per eum *condita* sunt omnia, quæ in *cœlis* sunt, & quæ in *terra visibilia & invisibilia*, sive *Throni*, sive *Dominia*, sive *Imperia*, sive *Potestates*, omnia per *eum*, & in *ipso condita* sunt. estq; *ipse* ante omnia, & *omnia* per ipsum *consistunt*. Coll.1.16.17. unde 3. concludit *Author* ad *Hebræos*, per quem, (scilicet *Filium*) *Hæredem* omnium, *mundum* condidit. c.1.2. ad quem sequitur *Apostrophe* ex Ps. 102. & *Tu* in principio *Domine* terram *fundasti*, & *opera* manuum tuarum sunt *cœli v.* 10. Jo. 1. 1.

7. Idem concludunt *Attributa Æternitatis*, respectu temporis, 2. *Omnipræsentiæ*, respectu loci, *Adorationis*, respectu *Dominii*, & *Majestatis*, quæ nulli nisi *Deo summo* sine blasphemia adaptentur. *Æternitatem* evincit *Servatoris* oratio, *Glorifica me tu Pater* apud *teipsum*, *ea gloriâ*, quam habui apud *te*, *priusquam mnndus esset*. Io.17.5. 2.*Omnipræsentiam*, Nemo *ascendit in cœlum*. nisi qui *descendit* è cœlo, *filius hominis*, qui *est in cœlo*, Io.6.62. at quomodo potuit esse *in cœlo*, dum hoc loquebatur in terris, nisi esset *Omnipræsens simul & semel*, tàm in *cœlis*, quam in *terra*. 3. Adoratur verò ut *Deus* à *Stephano* protomartyre ipsum *invocante*, Domine Iesu recipe *spiritum meum* Act.7.59. quod præcipitur & *Angelis*. *Adorent* eum *omnes Angeli* Dei Heb. 1. 6. unde *consecratum* Deo Israelis *Templũ*, suam esse affirmat *Domum* Math. 21.13. quę *Identitatem*

xtus est verè deus. vide Zanchiũ de Div: Attrib: 154. c.1.2.

tem, Æternitatem, & Omnipotentiam ipsius cum summo & Altissimo Deo, contra omnes Blasphemantium strophas ἀντιῤῥήτως demonstrant.

Objiciunt Sociniani.

*Ob.*1. QUI accepit potestatem ab alio, non potest esse summus Deus, quia *Beatius* est *dare* quam *accipere*, Act. 20.35. sed *Filius* hominis h. e. *Christus Potestatem, Honorem*, & *Regnum*, ab *Antiquo* dierum accipit Dan.7.13. 14. & *Agnus librum* è dextra *sedentis* in *Throno Apoc.*5.7. & profitetur *Salvator*, Data est mihi *omnis Potestas* in cœlo, & in terra, Math.28. 18. Phil.2.9. Ergo *Filius* non potest esse *summus* Deus.

Sol. Accepit *Potestatem* ut *Filius* à Patre, & quâ Mediator, non quâ *Deus* ejusdem cum *Patre* essentiæ; unde dicit Apostolus- sciat omnis Domus *Israel*, quia & *Dominum & Christum* fecit hunc *Jesum* Deus, Act.2.36. non Deum, quia talis erat idem cum Patre ab æterno, unde *Danielis* illud & *Apocalyptæ* indicat tantùm personarum *distinctionem*, & inter ipsas *Ordinem*, aut *Mediationis* οἰκονομίαν, non *naturarum diversitatem*, quo respectu *Pater & Filius* idem sunt. Io. 10. 30.

Ob. 2. Si Filius sit αὐτόθεος, tum non eandem cum Patre habet *essentiam*, proinde nec *æternitatem*, & detrahitur *Patri* prærogativa, quod sit Deitatis *fons & principium*, à quo cætera omnia primitùs emanant. sed asseritur esse αὐτόθεος à *Calvino*, *Beza*, *Simlero*, quos sequuntur alii. Ergo non est ejusdem cum Patre *naturæ*, *potentiæ*, aut *æternitatis*, sed *diversum* quasi *principium*, quod *Manicheismum* redolet.

Inst. l.2. c.13. In Axiomat. de Trinit. Ax. 14 *Epist. ad Polon.*

Sol. Asserit tantùm *Calvinus* contra *Antitrinitarium Valentinum Gentilem*, *filium* non habere essentiam *productam*, sivè *secundariam*, à Patris essentia *distinctam* (prout somniabat Hæreticus)

Hæreticus) sed *eandem* cum patre *ingenitam*, quo *respectu* rectè diceretur *Autotheos* ut explicat *Calvinum Bellarminus*, qui probat illud *Simleri* ut *Catholicum*. Non negamus *filium* habere *essentiam* à *Deo Patre*, sed *essentiam* (qualem finxit *Gentilis*) *genitam* negamus. 2. Non erat igitur cur *Genebrardus*, *Lindanus* & alii, Hæresin *Autotheanorum* hinc exculperent, & *Calvinistis* impingerent. (ubi desideratur etiam *Lutheranorum* candor) cum *Epiphanius* filium αὐτόθεον expresse dixerit. 3. Summatim. Filii concipiatur *essentia*, vel ut *eadem* sit quæ & *patris*, vel ut *eandem* habet à patre *communicatam*. *primo* respectu dicatur Filius αὐτόθεος, *secundo*, *Deus* de *Deo*, *Lumen* de *Lumine*, ut *Symbolum* habet *Nicænum*. De Christo. l. 2. c. 19.

Ob. 3. Nec Symbolum *Apostolicum*, vel *Decalogus*, vel *Oratio Dominica*, aliquid de *Christi* Deitate præcipiunt, aut insinuant, quæ *credendi*, *operandi*, & *colendi* exactissimas complectuntur *formas*. Ergo hæc doctrina de *Homoousia*, *coæternitate*, & *coæqualitate Patris & Filii* non videtur esse admittenda.

Sol. In Symbolo *Apostolico* verbum *credo*] tam *Filio & Spiritui Sancto*, quàm *Patri* applicatum, ostendit trium personarum *eandem* esse Deitatem, in quas *credendum*. nec excluduntur *Filius* & S.S. quia Patri appropriatur *creatio*, cùm *essentialiter* in Deo] conveniunt. 2. In Decalogo, eductio *Israelitarum* ex Ægypto, tam *Filio*, quam *Patri*, ut *Domino Deo* illorum ascribitur, & ibidem *Jehovah Elohecha* sacrosanctam includit *Trinitatem* & *Deitatis Unitatem*. 3. In *Oratione Dominica*, *Pater noster*, complectitur *Filium* etiam, & *Spiritum Sanctum*, qui jure *Creationis & Redemptionis*, cum *prima persona Pater noster* sunt, καθ' ἐξοχὴν verò, ad personam *primam* dirigitur *invocatio*, ut in Deitate *fontem & principium*. A cujus *ordinis primitate*, ad aliarum personarum *remotionem*, non licet argumentari.

Ob. 4. Quod alteri *communicatur*, à *communicante* non retinetur, Ergo si *Pater* Filio Deitatem communicat, ipse eam exuit, & per consequens non ulteriùs manet *Deus*, nec *invocandus*, quod cogitatu est Blasphemum.

Sol.

Sol. Communicatur aliquid vel 1. *Privativè*, vel 2. *Cumulativè*, *privativa* communicatio locum hic non habeat, (qu emadmodum in *creatis*, & *finitis mutabilibus*) *cumulativa* igitur est hic veneranda, in qua *Pater* non *absolutè*, sed *relatè* essentiam tali modo impertit, ut *eam* semper retineat, quæ in cæteris *personis* aliter atq; aliter *subsistit*: dum *Filius* à Patre, *Spiritus Sanctus* à Patre & Filio æternùm *emanant*.

*Ob.*5. Filius *profitetur* se *diem Judicii* ignorare. Siquidem *de* Die (inquit) *illa*, vel *hora* nemo scit, neq; *Angeli* in cœlo, *neq; Filius*, nisi *Pater*. Mar. 13.32. Ergo non est *Omniscius*, & per consequens, non *Deus* ut *Pater*.

Sol. Sic etiam profitetur. Nemo cognoscit *quis sit Pater* nisi *Filius* Math. 11. 27. Sic Apostolus, *Nemo novit quæ sunt Dei, nisi spiritus* Dei 1.Cor.2.11. inde tamen non sequitur *Patrem* seipsum, vel *Filium* quæ sunt Dei, vel *Spiritum Sanctum*, quæ sunt utriusq; ignorare. *Nemo igitur scit*] id est nullus *creaturarum*, qualis tunc ab *interrogantibus* conspiciebatur & habebatur *Christus*. hoc tamen non obstat, quin *ut Deus* diem *illum* & *horam* noverit, sicut & *Spiritus Sanctus*, qui profunda Dei scrutatur 1.Cor.2.10. *Solus* igitur non excludit omnes *simpliciter*, sed illos in *certo genere*, quos non *interfuit* scire, & proinde *vigilarent*, ne *dormientibus & imparatis* dies iste superveniret. Quò spectat & illud, non est *vestrum noscere tempora*, vel *momenta*, quæ *Pater* posuit in *sua* potestate. Act. 1.7.

*Ob.*6. Qui queritur Deum se *dereliquisse*, & 2. fatetur *ipsius* non esse ut disponeret, quis ad *dextram* aut *sinistram* ejus sederet, & 3. *Patri gratias agit* quòd ipsum *audiverit & parvulis* revelat, quæ abscondit à *sapientibus*, Patri nullo modo potest esse *coessentialis*, aut *potestate coæqualis*; nam cur illud *aliundè* peteret, quod (quâ Deus) æquè in se, ac *Pater* habuit? aut derelictum se à Deo clamaret, cum ipse esset *summus Deus*. At filium sic *exclamasse*, sic *agnovisse authoritatis* suæ defectum, sic *orasse*, & gratias *egisse* constat, *Math.*27.46. Mar-10.41. *Jo.*11.41. *Math.* 11. 25. Ergo *Filius* pro *summo* illo *Deo* non est agnoscendus.

Sol.

Sol. Voces istæ omnes sunt θεανθρώπου *Mediatoris* officium obeuntis, non *divinæ Naturæ*, cujus *respectu* tantum asseritur *Patri* esse *coessentialis*, & *coæqualis*. 2. In non explicabili isto agone, non separata fuit *Deitas* ab humana *natura*, nec eam sic reliquit, ut absorberetur, sed se *subduxit*, ut pateretur, sustentavit interim, ut *consummatum* est triumphanter pronuntiaret, quam *Luctam* & *eventum* exprimit Apostolus Heb. 5. 7. 8. 3. Sic cujus *Regnum* non erat ex *hoc mundo*, noluit *dignitates seculares* (quas ambiebat *mater* pro filiis) disponere, & *supplex* fit *Deus* homo filius, & gratias agit, *Patri Deo hominum*, et quia *æquum* erat, et quia *omnibus suis*, ut *idem* facerent, præberet exemplum.

Ob. 7. Qui postquàm omnes *hostes* pedibus suis *supposuerit*, opus *Mediatorium* consummaverit, & *Regnum Deo*, & *Patri tradiderit*, manet tamen *Deo* & Patri subjectus, Is necesse est ut *Deo* & *Patre*, non ratione tantum *muneris* mediatorii, Sed *divinæ* conditionis sit *inferior*. Sed ista omnia de Filio affirmantur. Postquàm *subjecta* fuerunt ei omnia, tunc et ipse *Filius subjicetur ei*, qui *subjecerit* ipsi *omnia*, ut *Deus* sit *omnia in omnibus* 1. Cor. 15. 28. Ergo quoad *naturam divinam* *Patri* non dicatur *æqualis*.

Sol. *Filius* post *defunctum* mediatoris *officium* *Patri* maneat *subjectus*, ratione *ordinis* in *sancta Trinitate*, et respectu *humanæ naturæ*, non *divinæ*. 2. Undè cum dicitur, quòd *Deus* futurus sit in perpetuùm *omnia* in *omnibus*, intelligatur Deus ille *summus*, qui sit *Pater*, *Filius*, & *Spiritus Sanctus*, *essentia* unissimus, *personis* nihilominus tribus *distinctus*.

QVÆSTIO Vta.

An Spiritus Sanctus á Patre & Filio ab æterno procedat?

CElebris adhuc manet hæc *controversia* inter *Græcos* & *Latinos*, inter quos tamen de Deitatis *unitate*, & Personarum *Trinitate*. 1. est consensus. Convenit. 2. *Spiritum Sanctum* à *Patre procedere*. Nec 3. de *Fonte* Deitatis aut *Ordine*, inter personas, lis intercedit aliqua, quin Pater obtinet *Primitatem*, succedit *Filius*, procedit *Spiritus* Sanctus. Sic ut restat tantùm scrupulus, an *Spiritus sanctus à Patre* & *Filio* rectiùs, quàm *à Patre* per *filium* procedere dicatur? Affirmant *Reformati* cum *Romanensibus* his fulti argumentis.

1. Qui procedit à *Patre*, procedit etiàm *à Filio*, quia *omnia*, quæ habet *Pater*, *mea sunt* (profitetur *Filius*) & *mea tua* sunt Jo. 17. 10. exceptâ relatione *paternitatis*, & *filiationis*, quâ inter se distinguuntur. Ergo ut pater est *spirator*, sic & *Filius*, nec minus erit S. S. *à Filio*, quàm *à Patre*, unde dicitur *Filii spiritus*, Quoniam estis *filii*, misit Deus spiritum *filii sui* in *corda vestra*, Clamantem *Abba*. Gal. 4. 6. sicut & *spiritus Dei*, & *spiritus Christi* appellatur Rom. 8. 9.

2. Qui non minùs *à filio*, quàm *à patre mittitur*; non minùs ab hoc, quam ab illo *procedit*, unde *pater à Nullo* mittitur, quia *à nullo* est, *Filius* quia est à patre *solo*, *à solo patre* mittitur. Ita si constet S. S. *à Filio* æquè mitti, ac *à patre*, manifestum erit, quod æquè ab utrisq; procedat. Atquî illud astruunt. *Pater mittet* vobis S. S. in *Nomine meo* Jo. 14. 20. *Ego mittam* vobis *spiritum illum veritatis à Patre*. Jo. 15. 26. Ergo ab utrisq;

trisq; æquè est, ut *missus* in tempore, sic *procedens* ab æterno.

3. Si quicquid habet S. S. non minùs habet *à filio*, quam *à patre*, tùm non minùs ab *hoc*, quam *ab illo* procedit, sed me glorificabit (inquit *Christus*) quia de *meo accipiet*, & *renunciabit* vobis, & ulterius addit, omnia quæ habet *pater mea* sunt propterea *dixi*, illum de meo *accepturum*, & *annuntiaturum* vobis Jo. 16. 14. 15. Ergo.

4. *Spiritus* non loquetur aliquid à seipso, sed quicquid *audierit*, loquetur. Jo. 16. 13. sed à quibus audierit? & quæ nam loquetur? Ille vos docebit *omnia*, & suggeret vobis *omnia*, quæ dixi vobis Jo. 14. 22. Ergo filii est *legatus*, æquè ac *patris*, & per consequens æqualiter ex utrisq;

5. Qui *insufflavit* S. S. suis *discipulis* ostendit se habuisse ab *æterno*, quod in tempore impertivit: Sed Christus per *Insufflationem* præcipit *discipulis*, *accipite Spiritum Sanctum*. Jo. 20. 22. Ergo hinc colligitur *spiratio* filii, & *Spiritus Sancti* ab illo *processio*.

6. Mysteria *fidei* concipienda sunt sic *disposita* fuisse ab *æterno*, quem admodùm *in tempore* fuerunt *exequutioni* mandata, sed in Scripturis occurrit duplex *Paracletus*, Primus *Mediationis*, & *satisfactionis* ad tollendum Mundi *peccata*, quo nomine venit *Filius*. Si quis peccaverit *Paracletum* habemus apud *Patrem*, *Jesum Christum justum*, & ipse est *propitiatio* pro peccatis nostris. 1, Jo. 2. 1. 2. Alter *Manuductionis*, seu *Institutionis*. Non relinquam vos *orphanos*, sed rogabo *patrem* & *alium* vobis dabit *Paracletum* Jo. 14. 3. Ille vos *ducet* in omnem *veritatem*. Jo. 16. 13. Ergo ut *filii missio à patre*, supponit ipsius *æternam emanationem*, per *generationem*, Ita *missio spiritus sancti*, tàm *à filio*, quàm *patre*, illius ab utrisq; ponit æternam *processionem*.

7. Si *Spiritus Sanctus* non procederet *à filio*, tum ab ipso, *personaliter* non distingueretur, quia *personarum* distinctio nascitur ex *relationibus originis*, relationes autem *tales* nullæ hic observentur, nisi posità hac S. S. *à patre* et *filio processionè*, nam *filius* etiam à patre dicitur *procedere*. Jo. 8. 42. nisi igitur S. Sti. ab utroq; non stutueretur *processio* quoad *originem*,

nem, eadem esset *emanatio*, Ergo eadem *personalitas*, Ergo maneret dualitas tantùm *personarum*, non Trinitas in Deitatis *unitate*, quod Græci non ferunt. Amputatis igitur cæteris *Scholasticorum* tricis, perspicuum est magis illud *Richardi* à *Bellarmino* productum, Distinctio *personarum* nascitur ex numero *producentium*, quia una *persona* producit, & non *producitur*, ut *Pater*, alia *producitur* & *producit*, ut *Filius*, Tertia non *producit*, sed *producitur*, ut *Spiritus Sanctus*, qui inde orthodoxè asseritur *procedere* à *Patre* & *Filio*.

De Christo l. 2. c. 26.

Objiciunt Græci.

Ob. 1. NOn est *audendum* dicere aliquid de *substantiali Divinitate*, præter ea, quæ *divinitùs* nobis è *sacris eloquiis* sunt expressa (ut ex *Ariopagita* habet *Aquinas*) in quo consentiunt omnes *Latini & Græci*, sed nusquam legitur in *Scripturis*, Spiritum Sanctum *procedere à Filio*, sed à *Patre* tantùm, Io. 15. 26. Io. 8. 42. Ergo non *incertum* solùm, sed *temerarium* hoc dogma, de *processione* S. S. à *Filio* est habendum.

1. Part. q. 36. ar. 2.

Sol. Aliquid habetur in *Scripturis*, vel *axiomaticè*, quoad *verba*, sic non necesse est, ut omnia exhibeantur *fidei* dogmata, vel *dianoeticè*, quoad *sensum*, sic sufficit, ut quidam articuli *necessariò* indè deducantur. 2. Affirmat quidèm Scriptura S. Stum à *Patre procedere*, sed non à Patre *solo*, excludendo *Filium*, ut cum de *processu* Filii loquitur, non *æternam* ipsius *generationem*, sed *processum* seu *exitum* à *Patre* in *Mundum* respicit.

Ob. 2. Si pateat potiùs ex Scripturis, *Christum* procedere à S. Sto, quam S. Stum à *Filio*, tum hoc potius asserendum est quam illud. Sed constat *Filium* à S. S. *superveniente* & *adumbrante*, in utero virginis fuisse conceptum. Luc. 1. 35. & *Spiritum Domini* super eum requievisse, ipsumq; non ad *mensuram* implevisse. Ergo.

Sol.

Sol. Ista referenda sunt ad Filii *incarnationem temporalem*, non ad *generationem* ante tempora secularia. *Incarnatio* autem erat à totâ Trinitate *effectivè*, in Filio *terminativè*, in quem ut hominem requievit *spiritus*, non ad *mensuram* Jo. 3. 34.

Ob. 3. Si Spiritus sanctus à *Patre* solo non *procederet*, nisi etiam à *Filio*, *Pater* minus viderctur præstitisse in *Spiritus Sancti processione*, quam in *generatione Filii*, *quia* Filii *generatio* est *à solo Patre*, cur non etiam eâdem ratione non esset à *solo Patre* Spiritus sancti *processio*?

Sol. Non cogitanda est hic aliqua in Patre omnipotenti *impotentia*, arguit potiùs talis *processio* ab utrisq;, utrisq; unitatem *essentialem*, prout distinguit *tertiam* personam à *secundâ*.

Ob. 4. Si Spiritus sanctus *procedat* tàm *à Filio*, quàm *à Patre*, tum *duo* essent concedenda in Trinitate *principia*, quod *Manichæismum* redolet, nec *à Græcis*, aut *Latinis* admittitur.

Sol. Nil prohibet quo minùs *duo spiratores* ratione suppositorum, unâ *spiratione* possunt *tertium* effundere, unde unum hic habetur *principium à duabus* personis unà spirantibus, neq; hoc tantum favet *Manicheismo*, quantum *Negatio* processionis S. S. *à filio* æquè, ac *à Patre Arianismum* promovet, æqualitatem *Patris & Filii* impugnantem.

Ob. 5. Si *Filius* spiraret *necessariò* cum *Patre* ad *Spiritus sancti* productionem, cur non *Spiritus sanctus* eâdem ratione concurreret cum *Patre* ad *generationem* Filii, cùm *ejusdem* sit cum Patre & Filio *essentiæ*, *potentiæ*, & *virtutis*, sed hoc inter omnes *Theologos* est inauditum. Ergo.

Sol. Generare est *Patris* tantùm ad *Filium* terminatum, ideoq; solummodò *Patri* competat. Spiratio verò *activa* (ut loqui placuit *Scholis*) *filio* æquè potest convenire: quod si generaret S.S. *Pater* etiàm esset, & sic *duo* essent *Patres* in *Trinitate*, & *Personarum distinctio* confunderetur, & tolleretur.

Ob. 6. Additamentum *Latinorum* generalibus *Conciliis*, quibus

quibus ipsi subscripsissent, & sub *anathemate* erat interdictum, ne aliquid *adderetur* vel *detraheretur* in rebus *fidei* non
1. *Sent d* 11. est obtrudendum. unde *Leo* 3. (ut habet *Lombardus*) transcriptum reliquit in *tabula* argentea, *Symbolum* Nicænum sine hac additione *Filioq;*] pro *amore* (ut ipse ait) & *cautela* fidei orthodoxæ, quod in missa postea sic canebatur. Ergo pro *Hæreticis* aut *schismaticis*, Græci hodie *à Latinis* non sunt habendi, quia antiquis potiùs *fundamentis*, quam recentioribus *additamentis* constantèr adhæresunt.

Sol. Qui *addit*, quod *deest*, non *tollit*, quod *inerat*, nec *explicare*, est textum *vitiare*. videre cupit Apostolus *Thessalonicenses*, ut *quæ* eorum *fidei* deessent, *suppleret*. 1. *Thess*. 3. 10.
2. Omissum erat hoc in *symbolis* præcedentibus, quia nulla tunc temporis de S.S. processione *Lis* erat *mota*, additum
1. *Part. q.* 36. *ar.* 2. erat postea, ob insurgentes *hæreses*, ut agnoscunt *Aquinas* &
De Christo l. 2. *c.* 28. *Bellarminus*, ubi quod adjiciunt de *Pontificis Romani* authoritate in *corrigendis* receptis *conciliis*: videtur error pernitiocior, quam hic *Græcorum*. Quod confirmat.

Ob. 7. *Spiritum sanctum* procedere *à Patre* per *Filium*, (quod asserunt tantùm *Græci*) defendit *Aquinas* ex *Hilario* 1. part. q. 36 ar. 3; cum suis asseclis, Ergo non erat cur *Bellarminus* deplorandam *Græcorum* per *Turcas* devastationem, huic illorum *Hæresi* tam inclementèr ascriberet. De *Christo* l. 2. c. ult.

Sol. Infirmiores in fide *assumendos* potius esse, quam *exagitandos*, suadet *Apostolus* Rom. 14. 1: nec cum de re constet, multiplicandæ sunt *Logomachiæ*. Rectius ergo *Magister*, cùm non aliud (inquit) sit *Spiritum sanctum* esse *Patris*, vel
1. *Sent. d.* 11. *Filii* spiritum, quam esse *à Patre* & *Filio*, etiam in hoc, in *eandem* nobiscum fidei *sententiam* convenire videntur, licet in
De Trib. Elohim. l. 7. *c* 8. *verbis* dissentiant. & noster *Zanchius*, cùm *procedere* apud *omnes Patres*, nil aliud significet, quàm ex *essentia divina* emanare; qui fatentur *eandem* esse *Filii* & *Patris essentiam* agnoscunt eum, qui *à* Patre procedit, *à Filio* etiam procedere.
1. *Part. q.* 36. 2. Illustrat hoc *Aquinas* exemplo *Adami*, *Evæ*, & *Abelis*. *Abel* fuit ab *Adamo immediatè*, in quantum *Adam* fuit Pater

ejus

ejus, & *mediatè* quatenus *Eva* mater ipsius erat etiàm ab *Adamo*. unde & dici potuit esse ab *Adamo* per *Evam*, & ab *Eva*, & *Adamo* æquè procedere. 3. Utcunq; autem non ex sufflanda sit ut *Hæresis*, *Græcorum* sententia, retinendus tamen est, ut *explicatior*, & scripturæ convenientior *Latinorum* Loquendi modus. vide σύμφραξιν hoc de re inter *Margunium* Græcum, & *Jacobum Gretserum* Jesuitam in Defens. *Bellar.* Cont. 2.

QVÆSTIO VIta.

An Spiritus Sanctus sit Persona invocanda? In qua

CONvenit. 1. *Spiritum Sanctum*, *Patris & Filii* in Scripturis dici *spiritum*, nec *Angelum*, aut *animam* denotare *sanctam* passivè, sed *spiritum* activè *sanctificantem*, sic ut quemadmodum *spiritus* quasi *spiratus*, ita *spiritus sanctus* καθ' ἐξοχὴν, peculiari hoc occurrit nomine. *Convenit* 2. Spiritum Sanctum *Creaturam* non esse, ut libentissimè fatemur (inquit *Volkelius*) *Convenit*. 3. eundem distingui *à patre* et *filio*, et cum iis nihilominùs (qui sunt personæ) aliquotiès *conjungi*, controvertitur igitur tantùm. An *spiritus sanctus* sic καθ' ἐξοχὴν *dictus*, qui *Creatura* non sit, cum *personis* tamen *Patris* & *filii* sic distinctim conjunctus, sit *Persona* invocanda? Affirmant Orthodoxi, quia

De Religi. l. 5. c. 14.

1. Qui *Deus* & *Jehovah* dicitur, nec tamen *Pater* est aut *filius*, necesse est ut sit *Tertia* in *Trinitate persona*. Sed talis est *spiritus sanctus*, quod constat, quia *corpus nostrum*, quod est *Templum Dei viventis*. 2. Cor. 6. 16. *Templum* esse. *S. S.* disertè pronuntiatur. 1. Cor. 6. 19. & *Ananias*, *spiritui sancto mentiens*. τῷ Θεῷ mentitum esse *arguitur* Act. 5. 4. & Jehovah

Spiritus sanctus non est Deus Zanchius de Trin. Hist. p. 154. c. 2. 155. c. 1. vide tractatum Nicolai Estwick de Spiritu sancto in miscell.

Jehovah, qui eduxit *Israelitas* ex *Ægypto*, *Isaiæ* 63.10. & 14. sub *Spiritus Sancti* venit nomine Act.7.51. Heb.3.7.9. Ergo *Deus* est, & cum nec *Filius* sit, nec *Pater*, sequitur, quòd *aliquid* sit ab illis *distinctum*, quod *personam* esse, & non δύναμιν aliquam, sive *virtutem* attributam sic probatur.

2. Personarum, non *attributorum* est aut virtutum, *visibiles* species assumere, & *in*, & *cum*, vel *sub*, vel *per*, hujusmodi *apparere*. Sed constat, *Spiritum sanctum* in *Salvatoris* Baptismo sub *corporea* columbæ *specie* apparuisse, *Math.*3.16. *Luc.*3.22. & *visæ* sunt dispertitæ *linguæ* instar *ignis* insidentis super *Apostolos* ad *Spiritus Sancti* descensum Act.2.3. unde ad *oculum* concluditur *illum* esse *personam*.

3. Separare aliquos, & expresso mandato ad ministerium ab ipso designatum *emittere*, *ordinare*, & *constituere* in Ecclesia *Episcopos*, ῥητῶς disertè, sive expressè futura *revelare*, Actiones sunt quæ nulli, nisi, *personæ* competant, sed istæ & hujusmodi plures *Spiritui sancto* ascribuntur Act. 13. 2. & 20.28. & 1.Tim.4.1. quæ attributo nulli divino, utpote *Iustitiæ*, aut *misericordiæ* aliàs adaptentur. Ergo.

4. Qui æquali *potestate*, *authoritate*, & *virtute* in *obsignandis* Fidelibus, & *conferendis* Ecclesiæ bonis, concurrit cum *Patre* & *Filio*, (qui indubitatò sunt personæ distinctæ) distincta est *ab illis*, & *cum illis* ejusdem conditionis *persona*, sed manifestissimus, est talis Spiritus Sancti cum Patre & Filio *concursus* in Baptismi *formulâ præscriptâ*, Math. 28.19. *Benedictione* Apostolicâ 2.Cor.13.13. & *Testificationis* de Salvatoris *mediatorio* adventu 1.Io.5.7. ubi quod præfigitur ver. 6. & *spiritus* est, qui *testificatur spiritum veritatem esse*, spiritui in testimonii istius insignis *manifestatione* primum locum designat: *Pareus*.

5. Personalitatem *Spiritus sancti* distinctam non *convincant solùm* illud *Petri*, à Spiritu sancto actos *Prophetas*, qui loquuti sunt in V.T. 2.Ep.1.22. quem alium *paracletum* appellat *Salvator*, eo fine missum, ut testificaretur de ipso & institueret *Ecclesiam* in T.N. Io. 14.16.26. & 15.26. sed & *syntaxis* ipsius contextus, in quo ἐκεῖνος Masculinum, τὸ

πνεῦμα

πνεῦμα perperàm referret, Jo. 15. 26. quemadmodum & legitur Ephes. 1. 13. 14. τῷ πνεύματι ὅ ἐστιν ἀρραβών, nili *personæ* subintellectæ ratio haberetur.

6. Cui *honor* & *cultus Adorationis* divinus est exhibendus, persona est invocanda, quia *Dominum* Deum tuum *adorabis*, & illi soli servies, *Math.* 4. sed talem *cultum* ex *Baptismo* tenentur omnes *Christiani*, una cum *Patre & Filio, Spiritui sancto* reddere. Math. 28. 19. exhibuerunt *Prophetæ* & *Doctores Antiocheni* Act. 13. 3. *eundem* ut παράκλητον advocat *Apostolus* Rom. 9. 1. Eph. 4. 30. & ab *eodem invocato* cum *Patre & Filio*, Benedictionem impertit 2. Cor. 13. 13. cujus *contristatio* sub summo salutis *discrimine* est declinanda Math. 12. & in *quem Blasphemia* nec in hoc *seculo*, nec *futuro* est expianda, Ista junctim vel devisim *Personam* invocandam sistunt quasi ob oculos. Ergo pro tali est habendus.

7. Postremò ex *negata* S.S. adoranda *personalitate*, admittendum est. 1. *Aliquam* dari *virtutem* energeticam, quæ nec *Creator* sit, nec *Creatura*. 2. Excogitanda est nova *Baptismi* formula, quæ receptam istam à *Salvatore* corrigat. Nempe *Baptizo* te in *Nomine Patris, & Filii, & virtutis Divinæ*. quo modo initiatum fuisse quendam *Paleologum*, narrat *Cotenus*. 3. Seponenda est illa *Apostolica* & *Canonica Benedictionis* formula, quæ hactenus in demissione populi obtinuit. *Gratia Domini nostri Iesu Christi, & Charitas Dei, & communicatio* S. S. &c. nec audiatur in posterum. *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto*, in Piorum conventibus, quæ, quas *Paganismo* & *Turcismo* cataractas aperiunt, Christiani facile suboleant, & doleant.

Objiciunt Pneumatomachi.

Ob. 1. NOn innotuit Spiritus sancti *personalitas* V. T. *Ecclesiæ*, & nondum *erat* S. S. in N. T. priusquam *Jesus* erat *glorificatus* Io. 7. 39. unde Discipuli non

nulli Neophyti *de spiritu sancto* interrogati, Imo sitne (respondent) *spiritus sanctus*, ne *audivimus* quidem. Act. 19. 2. Ergo de ipsius *Personalitate* & *Invocatione* fides multò est incertior.

Burgens. in Scrutin. Buxtorf. in Schechinah.

Sol. Constat ex *Bereschit Rabba*, & *Rabbinis* aliis, *spiritum* qui *ferebatur* super *aquas Gen.* 1. *Schechinah* ipsorum, h.e. *Ruach hakodash* denotare. 2. Nec loquitur textus Jo. 7. de S. *S. existentia*, sed de effusa *manifestatione* postea præstanda. 3. Nec dubitarunt *Discipuli* initiati, An esset *spiritus sanctus*, sed de *Donis conferendis* non erant instructi.

Ob. 2. Tribuuntur *spiritui sancto*, quæ *personæ* non possunt convenire. 1. Quod collatum sit ab *hominibus*, per manuum *Impositionem*, Act. 8. 17. 2. Quod *scrutetur* omnia, unde videtur non esse *omniscius* 1. Cor. 2. 12. 3. Quòd interpellat *gemitibus* inenarrabilibus Rom. 8. 26. Ergo *Persona* non est.

Sol. Metonomiâ scripturis usitatâ, *causa* pro *effectis* ponitur, ut S.S. pro *Donis*. 2. Qui *scrutari* dicitur, non *quærendo*, quod ignorat, sed *penetrando* & *aperiendo*, quæ *cognitu* sunt hominibus salutaria. 3. Nec *ingemiscit* alio sensu, nisi quatenùs nos excitat ad *supplicandum*, & *suspiria* dictat, quibus impetremus, adjuvando *infirmitates*, ne sub ærumnis fatiscamus.

Ob. 3. Persona *Trinitatis* nemini potest esse *subjecta*. 2. Nec illi potest quispiam *resistere*. 3. Multò minùs à *resistentibus*, tristitia potest *affici*, aut *repelli*, At spiritus *Prophetarum* prophetis *subjicitur* 1. Cor. 14. 32. 2. A *cervicosis* & corde *incircumcisis* & auribus, oppugnatur, & repellitur Act. 17. 51. *Tristitiâ* afficitur Ephes. 4. 30. Ergo non est *persona* invocanda.

Sol. Subjiciuntur 1. non *Spiritus sanctus*, sed spiritus *sanctorum* prophetantium, *fratrum* examini. 2. Nec resistitur S. *S.* immediatè *operanti*, sed mediatè *agenti* per *operarios*. 3. Nec *contristatur* propriè, sed ἀνθρωποπαθῶς tantùm ipsius *alienatio* à perversis & ingratis exprimitur.

Ob. 4. Nulla *S. Trinitatis* persona concipiatur esse septu-

plex,

plex, quia non tantùm detraheret Deitatis *simplicitati*, sed *personarum* turbaret numerum; Atqui *Spiritus sanctus* proponitur sub tali forma *septemplici*, ubi exoptatur gratia *septem* Ecclesiis *Asiaticis*, à *septem spiritibus*, Apocalyp. 1.4. nec potest (ut quidam volunt) intelligi de *septem Angelis* assistentibus, juxta illud Tob. 12.15. quia *Bona Theologia* (ut rectè habet quidam *Jesuita*) *non fert*, ut *gratia*, & *pax* Evangelica ab *Angelis postuletur*. Ergo intelligendum est de *Spiritu sancto*, qui idcircò non potest esse *simplex persona*. *Beza. Ribera. Alcasar.*

Sol. Septuplex dicitur S.S. non respectu *personalitatis*, quæ *simplex* est habenda, sed *Donorum*, quæ sunt *mutiplicia*, in *septinarii* numeri *perfectione* juxta ἑπταχῶς Apostoli hic significata, quò concinniùs quadrent *septem* illis, ad quas scribit *Ecclesiis*.

Ob. 5. Si *Spiritus sanctus* esset distincta à *Patre*, & *Filio* persona, tum in maximis *Religionis* momentis illis semper associaretur; sed hoc non fit; Qui *vicerit* amicietur *vestimentis albis*, neq; unquàm delebo *nomen* ejus ex *libro vitæ*, sed *agnoscam* nomen ejus in conspectu *Patris mei*, & in conspectu *Angelorum* ejus Apoc. 3.5. sic in *Doxologia* omnium *creaturarum*, *sedentis* in *Throno*, & *Agni*, nulla *spiritus sancti* insinuatur *mentio* Apoc. 5.13. Ita *Paulus* obtestatur *Timotheum* etiam atq; etiam in *conspectu* Dei (scilicet) *Patris*, & Domini *Jesu Christi*, sed *Spiritus sancti* loco, *electi* substituuntur *Angeli* 1. Tim. 5.21. Ergo *Spiritus sanctus* videtur *virtus* tantum *altissimi*, ut appellatur Luc. 1.35. & non *persona*.

Sol. Non opus est, ut *omnia* ubivis in Scripturis ingerantur: sufficit si ex *aliis* locis constet S. S. *personalitas*, neq; in *his* aut *aliis* negetur. Sic Baptizati sunt nonnulli in *nomen Domini Jesu* Act. 10.48. & 19.5. *omisso Patre*; ergone *Pater* non est *persona*? Argumentandum potiùs, quia cum Patre & Filio recensetur *S.S.* in *Baptismo*, & aliàs, Ergo est persona, quàm hic quia *omittitur*, Ergo *Persona* non est. 2. Ubi *Pater* nominatur, & *Filius*, *spiritus* ab utroq; *emanans* non *omitti* credatur, sed *subintelligi*. 3. Nec obstat magis *spiritus sancti personalitati*, quod appellatur *virtus* Altissimi, quam

Christo in eo quòd dicitur *Dei sapientia*, est siquidem, ut *virtus Dei*, sic *virtus Deus*, à quo *virtutem spiritus sancti* Apostoli recipiunt Act. 1.8.

Ob.6. Ut se habet *spiritus* hominis ad *hominem*, sic *spiritus* se habet *Dei* ad *Deum*. Quis enim *hominum* novit ea, quæ sunt *hominis*, nisi *spiritus* hominis, qui est in eo, ita etiam quæ sunt *Dei* nemo novit, nisi *spiritus* Dei 1.Cor.2.11. Sed spiritus *hominis*, sive *Animam* denotet, sive *conscientiam*, *personæ* habeatur tantùm *pars*, vel *facultas*, non *Persona*. Ergo *Dei spirttus* non concipiendus est, ut *spiritus Deus*, sive *persona*, sed ut *virtus* quædam divina à *persona* profluens.

Sol. Non *existentiæ*, sed *cognitionis* inter spiritum *Dei* & *hominis* ab *Apostolo* fit collatio; sic ut nullus noverit *intima hominis cogitata*, præter *mentem* sibiipsi *conscíam*, Ita *Dei profunda* nullus penetret, nisi *spiritus* ipse *Dei*, qui cùm sit *infinitæ essentiæ*, rectè credatur esse *persona*, ut in Scripturis se revelavit; sicut in *terminata* hominis *subsistentia* spiritus *pars* sit, vel *facultas*.

In præfat. In notis ad Hymnum de S. S. In lib. de S.S. à Hyeronymo latinitate donato.

Ob.7. Invocationis *Spiritus sancti* non extat aliquod *præceptum* aut *exemplum* in sacris Literis, ut ex *Hilario* ostendit Erasmus, & agnoscit *Cassander*, *pios quosdam* in Doctrina S. *Trinitatis* orthodoxos, ad Invocationem S. S. hæsitasse. Quin & *Dydimus Alexandrinus*, qui S. S. *Deitatem* & *Personalitatem* inter *priscos* tam studiose astruit, de *Invocatione* ejusdem ne gry quidam adjecit. Ergo ista in *Liturgicis*, 1. *Veni Creator*, 2. *Gloria Patri*, *& Filio*, *& S.S.* 3. *& Spiritus sancte*, *Deus à Patre & Filio procedens*, *miserere nobis* ---- nullo certo nituntur fundamento.

Sol. Ex stabilita Spiritus Sancti Deitate & personalitate necessario sequitur ejusdem *Invocatio*, nisi quis *Deum* invocandum negaret, unde *superfluum* videbatur *Antiquis*, & aliis, hoc studiosiùs confirmare, quod pro *concesso* esset sumendum.

QUÆST.

QVÆSTIO VII.

An Dogma de tribus distinctis personis in una Dei essentia sit Fundamentale, & ad salutem necessarium?

CUM constet ex superioribus *Doctrinam* de *Deo Triuno*, sic esse fixam in *Scripturis* & munitam, ut nullis *sophistarum* labefactetur machinis: recipiunt se tandem *adversarii* ad hoc diverticulum, omitti illam posse absq; aliquo salutis dispendio, quia *rixas* potius excitat, quam *fidem* promovet. unde meritò examen subit, *An Dogma de tribus Personis in una Dei essentia sit fundamentale, & ad salutem necessarium?* Affirmant *Catholici*, quia.

1. Illud, docet quod quid sit à nobis *adorandum*, & cujus *cultui* in Baptismo consecramur, *fundamentale* necesse est, ut sit, & ad salutem *necessarium*. Sed tale est *Dogma*, de quo agitur, *Dominum Deum tuum adorabis*, & *illi soli servies* Math. 4. 10. & quis ille? nisi idem, in cujus *nomine Baptizamur*, qui est *Pater*, *Filius*, & *Spiritus Sanctus*, absq; aliquo *personalitatis*, *æternitatis*, aut *æqualitatis* discrimine, quo filius non *æternus*, vel Spiritus sanctus non *persona* haberetur.

2. Ad salutem imprimis conducit, ut *distinctè* cognoscamus *Deum*, à quo omnia Beneficia *salutifera* nobis obveniunt. Sed *Gratia Domini nostri Iesu Christi*, & *Charitas Dei* (scilicet *Patris*) & *communicatio* Spiritus Sancti, juxta *Benedictionem* Apostolicam distinctim, & *conjunctim* ista nobis suppeditant 2. Cor. 13. 13. Ergo hæc Doctrina de *Trinitate* in

in *Vnitate* inter præcipuos *Fidei Articulos* est habendus.

3. Credere tenentur *Filii Dei* necessario, Deum emisisse *spiritum* filii sui in *corda* ipsorum, clamantem *Abba* Pater, Gal. 4.6. qui *paracletus* est *alius*, à filio; *spiritus adoptionis*, qui testatur una cum *spiritu nostro* nos esse *Dei filios* Rom. 8.15. 16. Atqui percipi non potest hæc *doctrina salutaris*, absq; distinctâ *personarum* in una *Deitate* cognitione. Ergo cognitio ista est quasi *Basis* istius *fidei*, sine qua *impossibile* est *Deo* placere. Heb. 11. 6.

4. Fides est ex *auditu*, auditus per *verbum* Dei, verbum Dei *recipiendum* est à legitimè *missis* Rom. 10. 15. 17. Tales sunt *dati* à Christo *ascendente*, *Apostoli*, *Prophetæ*, *Evangelistæ*, *Pastores*, *Doctores*, Ephes. 4. 11. *constituti* à *spiritu* sancto *Episcopi* ad pascendam *Dei Ecclesiam*. Act. 20. 28. extra *quam* non est *salus*. Act. 2. 4. *Instructi* *Donis*, *ministeriis*, & *operationibus* ad propagandum *Evangelium*, 1. Cor. 12. 4. Sed ista non possunt intelligi (quæ ad *salutem* maximè sunt *necessaria*) absq; *prævia* de *Deo Triuno* doctrinâ; Ergo *doctrina* ista ad *salutem* maximè est *necessaria*.

5. Si *satisfactio* infinitæ Dei *justitiæ*, legis *impletio*, Novi *cordis* per sanctificationem *Creatic*, præstari non potuerunt à *Creaturis*, tum necesse est, ut *Filius* & S. S. *plus* essent quam *Creaturæ*, Ergo *Deus*. at ille est *unicus*, & hi *distinguuntur* non distinctione *essentiali*, aut *accidentali*, Ergo *relativâ*, & *personali* (sic κατ' ἐξοχὴν è *scripturis* deductâ,) Ergo distinctæ *Personæ* in una Deitatis *essentia* sunt *prædicandæ*, aliter intercederent *justificatio* & *sanctificatio*, cum *articulis* annexis, & *concomitantibus*, quæ *Christianismi* fulcra sunt præcipua, unde doctrina, quæ ista *sustentat*, est ad *salutem* absolutè *necessaria*.

6. Dogma, quod à *Judæis*, *Turcis*, & *Philosophis* infidelibus, præcipuè discriminat *Christianos*, omitti non potest sine *fidei* & *salutis* naufragio; at *Judæi* cum *Philosophis* sanioribus Deum unum agnoscunt *summum*, *Turcæ* etiam *Christum* ut Prophetam præstantissimum admittunt. Ergo *sepositâ* præcedente de *Trinitate* Doctrina, relinqueretur vix ullum inter *istos* & *Christianos* discrimen.

7.

7. *Supercertandum* est, sive *decertandum omni solicitudine* pro ea fidei *doctrina*, quæ sanctis *semel* erat *tradita*. Judæ v. 3. sed talis est hæc de *Personarum Trinitate* in *Deitatis unitate*, ut, constat ex 1. *Symbolis*, 2. *Conciliis*, 3. *Patribus*, 4. Doctoribus, 5. *Rescriptis Imperialibus*, 6. *Confessionibus* Diversarum Ecclesiarum *Harmonicis*, & 7. *Proscriptionibus* Hæreticorum *historicis*; Quorum testimoniis (omni exceptione majoribus) plus tribuendum est, de *fide semel sanctis traditâ*, quam *meteoris* quibusdam *inaquosis*, quovis vento *circumactis*. Ergo inconcussum manet hoc *fundamentum* ad salutem necessarium, ut veneremur *unum Deum* in *Trinitate*, & *Trinitatē* in *Unitate*. neq; confundentes *personas*, neq; substantiam *separantes*, quemadmodum habet *Symbolum Athanasianum* ab omnibus *Catholicis* receptum.

ἐπαγωνίζεσθαι τῇ ἅπαξ παραδοθείσῃ τοῖς ἁγίοις πίστει.

Objiciunt Antitrinitarii.

*Ob.*1. EAdem *Gratiâ* & *fide salutem* consequuti sunt *Judæi*, quâ *Christiani* Act. 15 8.11. sed apud *Judæos* tantùm unius *Dei* summi, & nulla *Personarum* distinctarum, & *coæqualium* occurrit mentio, Ergo *Articulus* hic de *Trinitate* in *unitate*, non est ad *salutem* necessarius.

Sol Non latuit Judæos de *Trinitate* fides, utcunq; sub *Evangelio* multò sit explicatior. 2. Unde tres *Middoth* & *Panaim* agnoscuntur inter Rabbinos ipsorum & *Talmudicos*, quæ personas distinctas ingerunt, & *interdictum* extat de primis *Geneseos*, & *Ezechielis* capitibus non vulgò *legendis*, ne Mysteria *Trinitatis*, & *Incarnationis* in his *recondita*, indignis ad contemptum *prostituerentur*. 2. Nec doctioribus inter illos *seminis promissi* adventus, & *S. S. effusio* potuit esse ignotum, cum omnes *Prophetæ* seriatim ista ingerebant, Luc. 24. 25. Act. 2. 24. & garrire potuit *samaritana* de *Messia*, qui annuntiaret omnia Jo. 4. 26. *Burg. Scrut. p. 2. c. 5.*

*Ob.*2. *Fundamentalia*, & ad salutem *necessaria* perspicuè traduntur

traduntur in *Scripturis*, præsertim in *Evangelio*, sub quo tam directa erit *semita*, & via complanata, ut *stulti* non *errent in ea* Isaiæ 35.8. sed nullam in V. vel N. T. de *spiritus sancti personalitate* apparet *vestigium*, & *Baptizantur* plurimi ab *Apostolis* in nomine tantùm *Jesu Christi* Act. 10.48. & 19. 5. nec requitur ab *Eunucho Æthiopico*, aut Carceris *custode Baptizandis* Act.8. 30. & 16. 31. nisi ut in *Jesum Christum* crederent (nulla habita de *Trinitate* aut aliarum *personarum* mentione.) Ergo *Dogma* hoc non tantæ videtur esse *necessitatis*, ut prætenditur.

Sol. Deus fecit *hominem* rectum, sed ipse se *infinitis* miscuerit *quæstionibus* Eccles. 7. 30. Theticôs habet *Scriptura*, tàm lac *Infantibus*, quàm adultis *solidiorem cibum*. 2. *Personalitas* Spiritus sancti satis constat ex *actionibus*, quæ *personæ* tantum competant, & *Baptismi* forma, in quâ sub *eodem* recensetur *nomine*, & authoritate cum *Patre* & *Filio*, qui indubitatò sunt *personæ*. 3. Nec turbat, quod in *Apostolorum praxi*, nominis solius *Christi* in *Baptizatione* occurrit mentio. Illud enim sic intelligendum est, ac si *diceretur*, illos vel in *fide Domini Jesu*, vel *authoritate* ipsius, vel *Baptismo* à Christo *instituto*, vel in nomine *Domine Jesu*, sed non *solius*. verùm adjuncto *Patre & Spiritu sancto*, sic tinctos esse & receptos. unde *Fulgentius Baptizare* in nomine *Domini Jesu*, est in *Nomini Patris & Filii*, & S. S. Baptizare. vid. *Bellarm. de* Baptismo l. 1. c. 3.

Ob. 3. Duæ *Processiones*, Tres *subsistentiæ*, quatuor *Relationes*, quinque *Notiones*, Metaphysica sunt potius *commenta*, quam Theologiæ *fundamenta*, & captum *vulgarem* fugiunt, quæ vix credunt *Docentes*, & *discentes* non intelligunt, sed talia obtruduntur in *S. Trinitatis* Doctrina. Ergo non potest esse *fundamentalis*.

Sol. Distinguendum est inter *Fundamenta* Doctrinæ, & ejusdem *munimenta*. Ista innituntur tantùm *Scripturis*, illa assumuntur contra impugnantium *insultus*. cujusmodi sunt ista Scholæ *Notionalia*, unde *Aquinas* Hæreticorum (inquit) instantia coegit *antiquos* fidei *Doctores* de his, quæ sunt *fidei* disputare

Quæst. disp. q. 10 a. 2. & part. 1. q. 1. ar. 7.

disputare. Non autem satis est *Doctori*, ut recta doceat, sed requiritur etiam, ut possit *contradicentes* convincere, & ora *obturare* Tit. 1. 9. 11. & ostendere, quæ contra proferunt *argumenta*, esse *solubilia*. dum *simpliciter credere* satis sit cuilibet *Christiano*, non de quibus *Docti* litigant, sed quæ scripturæ delineant.

Ob. 4. Quod nititur tantum Traditione non scriptâ, non potest esse *dogma* ad salutem *necessarium*, atqui *Hosius*, *Bellarminus*, *Weekus*, alii, fatentur hanc de Trinitate Doctrinam *Traditione* non scriptâ niti, Ergo.

Sol. Traditio Ecclesiæ *fundamentum* cujusvis Doctrinæ ad *salutem* necessariæ non ponit, sed ex *Scripturis* supponit, & *exponit*; unde ex *Traditione*, Doctrina non evadit confirmatior, sed *explicatior*. quo sensu intelligendi sunt illi, qui *continuatam* Antiquorum *explicationem* contra, *loquentes* perversa & *torquentes* δυσνόητα in *proprium* & aliorum *exitium* opportunè & importunè adducunt.

Ob. 5. Doctrina, de qua non possunt *primipili* ipsius *Patroni* inter se convenire, Discipulis non est obtrudenda, ut ad *salutem* necessaria, sed talis est hæc de *Trinitate*, prout vulgò astruitur, circa quam *Porretanus* celebris *Episcopus* cogitur ad Palinodiam. *Joachim Abbas* propheticus, damnatur ut *insanus*. Ipse *Lombardus* magister in *omnibus* non tenetur. *Thomistæ* & *Schotistæ* non satis concinunt, quin & inter *Reformatos*, Lutherani & Calvinistæ se invicem nonnunquam lancinant: nec, An personæ *realiter* aut *modaliter* distinguantur, *Calvinistæ* idem statuunt, quomodo igitur hoc *Dogma* ut fundamentale admittatur?

Sol. Doctorum *dissensus* non præjudicat Doctrinæ *veritati*, Nec tàm de re sunt hic *litigia*, quàm de *concipiendi* ratione, aut *explicandi* modo aut *methodo* defendendi, contra *effrontes* & profanos oppugnantium sophistarum *insultus*. ut emunctioris judicii εἰρηνοποίοι facile deprehendant.

Ob. 6. Cultus Deo acceptus debet esse λογικὴ λατρεία, *rationalis*, seu *rationabile obsequium*. Rom. 12. 1. sed cultus de *Trinitate* personarum in *unitate* essentiæ. sic rationem *excedit*,

excedit, ut rationi videtur prorsus *adversari*. Ergo *Deo* non potest esse acceptus, & per consequens *saluti* non esse necessarius.

Sol. Rationem non *tollit* sed *extollit* fides, cum non sit *contra* sed *supra* rationem. nihilominus dictat ipsa *ratio*, in iis quæ ratio non potest assequi, sequendum non rationis sed *Fidei Lumen*. quod *ratiocinationes* evertit, omnemq; *sublimitatem*, quæ sese *extollit* adversus *cognitionem Dei*, & in *captivitatem* redigit omnem *cogitationem* ad *obediendum Christo*. 2. Cor. 10. 5. 2. Cultus autem ab *Apostolo* requiritur *rationalis*, non qui fluit à rationis scaturigine, sed qui *spiritualis sit*. 1. Pet. 2. 5. nec perficitur externis Brutorum *immolationibus*, sed dum *nosmetipsos* Deo consecramus. juxta illud *Augustini*, Noli extrinsecus *pecus* Quod *macties* inquirere, habes *in te* quod *occidas*. Sacrificium *Deo* spiritus contribulatus, cor contritum. Hoc enim est (quod sequitur) non *conformari seculo* sed *reformari* in *novitate* sensus *nostri*; ut Deo *rependamus totum*, qui *totum* (quod habemus) ab isto gratis accipimus.

In Ps. 50.

Ob. 7. Christianis illud non potest esse *Dogma fundamentale*, quod à *Sybillis*, *Pythagoricis*, aut *Platonicis Ideis* duxit originem, & à *Symbolis Aprocryphis* confirmatur, & à *Conciliis*, & *Doctoribus* acritèr se invicem *impetentibus*, præcipuè consarcinatur. Sed *tale* est hoc (maxima ex parte) de *Trinitate*, ut fuse ostendunt ii qui illud oppugnant. Ergo pro *orthodoxo*, & ad salutem *necessario* nullatenus est *recipiendum*.

Sol. Rapsodici ista *Sybillini*, cum *Pythagoricis*, & *Platonicis* fragmentis, quam parùm ponderant in sanctuarii *trutina*, abundè est manifestatùm ab *Opsopæo*, *Casaubono* & aliis. videntur illa (quæ suggerunt) à *Judæis* fuisse mutuata, vel ex *auditu*, vel ex textus V. T. aliquali *inspectione*. 2. *Symbolum* vero *Apostolicum*, *Nicenum*, & *Athanasianum*, utcunq; de ipsorum *initiis* & *authoribus* non satis constat, & quædam *observentur* in illis *addita*, & aliter *disposita*, (prout in varias temporum vicissitudines inciderunt) sensum tamen

men eundem orthodoxum semper retinuerunt, sicut patet ex nupera illorum *collatione*, & *editione Doctissimi Armachani*. 3. Et in *Conciliis* & Doctorum *collisionibus*, semper tandem triumphavit fides de *Trinitate* catholica. Si igitur *Evangelium* hoc hodie maneat quibusdam *opertum*, in iis qui *pereunt* est *opertum*, in quibus *Deus hujus seculi* excæcavit *mentes*, nempe in infidelibus, ne *irradiet* eos *illustratio Evangelii* gloriæ Christi, qui est *Imago Dei*. 2.Cor.4. 4. qui ut oscè loquitur Poeta

Ardua dum quærunt amittunt vera viaï. *Lucret.*

Deus Triunus, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, aperiat pro summa sua *misericordia* ipsorum *oculos*, ut veritatem aspiciant & amplectantur. Cui sit omnis *Laus & Gloria* in secula seculorum. AMEN.

CAP. III.

DE PECCATO.

VIDIT *Deus* omnia quæ fecerat, & ecce erant *valde Bona*, Gen. 1. 31. sed ἁμαρτία, quæ est ἀνομία, 1. Io. 3. 4. Citò intravit in *mundum*, *immunduma*, illum penitùs reddidit. *Rom.* 5. 12.

Unde Thesis.

PEccatum erat introductum per *Lapsum* voluntarium *Angelorum*. 2. Continuatum per *Adamum*, qui 3. *Iustitiâ originali* in primæva integritate *naturaliter* instructus, eam per *inobedientiam* amisit, & *Peccatum Originale* in omnes posteros *transmisit*. Ita 4. malè utens *Libero arbitrio* & se *perdidit* & *Liberum* arbitrium. Hinc 5. *Concupiscentia* etiam in *Renatis* manet *Peccatorum*. Cujus 6. vel *gutta minima* suâ naturâ non est *venialis*, sed *Læthifera*, & à solo Deo remittenda. 7. Ubi *Peccatum* interim in *Spiritum Sanctum* ponit *obicem*.

obicem. ut neque in *hoc seculo*, neque *futuro* veniam consequatur.

Hinc emergunt discutienda.

An
1. *Dæmones ante Hominis creationem, propter superbiam, è Cœlo erant deturbati?*
2. *Justitia Originalis ante lapsum Adamo fuit naturalis?*
3. *Detur Originale peccatum ab Adamo in omnes ipsius posteros propagatum?*
4. *Liberum arbitrium ad bonum salutare, per lapsum erat prorsus sublatum?*
5. *Concupiscentia in renatis maneat peccatum?*
6. *Omne peccatum suâ naturâ sit mortale?*
7. *Peccatum in Spiritum Sanctum nunquam veniam consequatur?*

QVÆSTIO I.

wit. syn: 960.

An Dæmones ante Hominis Creationem, propter superbiam, è cœlo erant deturbati? Aff.

QVIA,

1. ANgeli qui non *servarunt* suam *Originem*, sed reliquerunt *suum domicilium*, judicio magni illius *diei* vinculis *æternis* sub *caligine* reservantur. Judæ 6. Sed non servasse *originem* est *peccasse*. 2. Pet. 1. 4. & *deseruisse Domicilium* illis constitutum, *Rebellionem* in constituentem ex *superbia* intumescentem arguit. Ergo *superbia* erat in causa, cur à *cœlo* in *Tartarum* sunt detrusi.

Vid. Villosilli adverten. Tom. 9. p. 196.

2. Concludi potest ex *Domicilio relicto*, Angelos ante *mundum* conditum (ut contendunt *quidam*) qui suppeditavit ipsis *domicilium*, non fuisse *creatos*, unde τὴν ἀρχὴν, ἑαυτῶν *principatum* suum (sicut reddit *vulgaris*) intelligantur *superbè* nimis habuisse, & *pænas* subiisse, in interstitio isto à mundo *creato*, & *lapsum* hominis, quod confirmat *Salvator*. Diabolus à *principio* in veritate non *perstitit* Jo. 8. 44. quoniam peccavit à *principio*, 1. Jo. 3. 8. Signantèr dicitur ἀπ' ἀρχῆς non ἐν ἀρχῇ *à principio*, non *in principio*, ut post *mundum* conditum ante hominis *creationem* hæc colligantur contigisse. Unde obtinet illud *Glossæ* cœlum *Empyreum* quam primum *factum* est, impletum fuisse *Angelis*. vid. Aug. de Civ. Dei l. 11. c. 32. Lom. 2. Sent. d. 2.

3. Serpens decepit *Evam* sua πανουργία, 2. Cor. 11. 3. & *Evah Adamum* 1. Tim. 2. 14. At *Serpens* iste erat *Diabolus* quo nomine

nomine *Homicida* à *principio* appellatur à *Salvatore* Io. 8.44. Ergo *Diabolus* peccasset, & *deturbatus* erat è *Cœlo* ante *Adami* lapsum.

4. Ante *confractionem superbia*, & ante *lapsum alti* sunt *spiritus*, Prov.16. 18. Ergo probabile est ruinam *Angelorum*, *superbiam*, & *elatum* præcessisse *spiritum*, quo evaserunt in *Deum* rebelles & in patrem *Absolom. Lyra.*

5. Initium *superbiæ* hominis *apostatare* à Deo, quoniam ab eo qui *fecit* illum *recessit* cor ejus, quoniam *initium* omnis peccati est *superbia* Eccles. 10. 14. 15. quod & primum primi hominis fuisse peccatum ostendit *Augustinus* in *Epist.* Io. Tract.4.qui per *superbiam* in *sua* potius, quàm in *Dei potestate* esse dilexit. *Enchirid.* c. 45. unde dictum est illi per *elationem* lapso, *Terra* es, & in *Terram ibis*, ut contra *servatori*, per *humilitatem exaltato*, sede à *dextris meis*. *Leo de Nativ. Domini Ser.*5.

6. Aut *peccatum* illud primum *Angelorum* existimandum est fuisse vel *carnale*, vel *spirituale*, *Carnale* non potuit esse, quia *Diabolus* non est *Fornicator* aut *Ebriosus*, neq; aliquid hujusmodi, ut habet *Augustinus*. est tamen *maxime superbus*, atq; *invidus*, quæ illum *vitiositas* sic *obtinuit*, ut propter *hanc* esset in *carceribus caliginosi* hujus aëris *æterno supplicio* destinatus. *De C. D. l. 14. c. 3.*

7. Illud *primum* Diaboli habendum est *peccatum* per cujus *oppositum* filius Dei apparuit, ut dissolveret opera Diaboli, qui *peccasset* ab *initio* 1.Io.3.8. sed hoc *factum* fuit per *spontaneam* Salvatoris *humilitatem*, ipse se *submisit* Phil. 2. 8. *Humilitati* autem nil æquè opponitur ac *superbia*, obedientiæ divinæ quodvis *jugum* excutiens. Ergo *concludendum* est *superbiam* primum *Diabolorum* fuisse *peccatum*.

Objicium

Objiciunt Adversantes.

Ob. 1. DAamnatur Diabolus ob *homicidium, mendacium,* & *apostasian* à primo *statu* Jo. 8. 48. 2. Pet. 2. 4. *Judæ.* 6. sed ista potiùs ab *Invidia* profluunt, quàm ex *superbia*, quia ubi *Invidia*, ibi omne *opus pravum Jac.* 3. 16. et ad *Invidiam* concupiscit *spiritus*, qui *habitat* in nobis Ib. 4. 5. Ergo *primum Angelorum peccatum* non erat *superbia.*

Sol. Invidiam esse *superbiæ* prolem, et stolonem omnes sentiant, quia

Invidus alterius macrescens rebus opimis

nullus est, quin *superbia* inflatus non omne expetit sibi potiùs deferri, quàm *alijs*, ut ipse *cæteris* præferratur.

מורים פשע

Ob. 2. Orat *David* ut ab *Insolentibus* eum conservet *Dominus*, ne ex illorum *Dominio* incidat in *Defectionem magnam* Psal. 19. 14. Ergo *Defectio* hæc *Angelorum* primæva, et maxima, videtur fuisse potiùs *præsumptio* de Dei *immutabilitate*, qui non *auferret*, quod contulerat quàm *superbia*, ad ambiendum illud quod erat *impossibile.*

Sol. Duplex esse potest *præsumptio*, vel de alterius *Immutabilitate* & *constantia*, vel de proprio *merito* et *excellentia*, prima in *bonis* est probanda, altera plerumq; ducit ad *præcipitia*, Istam autem fuisse *Diabolorum* ex eventu constat, & in textu זדון *præsumptionem superbiæ*, non *confidentiæ* manifestò denotat, ut Hoseæ 14. 10.

Ob. 5. Illud videtur fuisse primum *Diaboli* peccatum, quo primitùs seduxit *Evam*, et salvatorem adortus est in *Deserto*, sed illud fuit *Diffidentiæ*, sive *infidelitatis*, unde illud, *nequaquam moriemini*, sed *eritis sicut* Dij Gen. 3. 45, & *si filius es Dei*, Math. 3. 3. (qua de rè est quod Dubites, sic *expositus fami* et *feris*,) ex quibus infert *Calvinus*, *Infidelitatem* Defectionis fuisse *radicem*, à qua emersit *ambitio*, et *superbia*, quibus annexa est *ingrati udo.*

Iust l. 2. c. 1. §. 4.

Sol.

Sol. Inobedientia, sive παρακοὴ (quo nomine insignit *Apostolus* primorum parentum *Lapsum*, sive transgressionem Rom. 5. 19.) tam ab *Infidelitate*, quàm â *superbia* ducat *originem*, Ita ut *superbus* hic evadat, quia *Infidelis*, alter *Infidelis*, quia *superbus*. Nec tanti est hæc *liticula* momenti, ut *Bellarminus* duo integra capita in ista discutienda insumat, cùm interim ex *Apostolo* pateat, *Aberrationem* â *fide* ex prævio appetitu dependere, 1. Tim. 6. 10. sic ut hic *superbia primatum* obtineat, & *calcem* ipsius premat *Infidelitas*. *De Amiss. grat. & statu. pec. l. 3. c. 4. & 5.*

Ob. 4. Inter *Judæos* Philo et *Josephus*, è *Christianis* Clemens *Alexandrinus*, *Tertullianus*, *Chrysostomus*, quibus accedunt *Scotus* et *Eugubinus*, Peccatum *Angelorum* statuunt esse *luxuriam*, ex Gen. 6. ubi *filii Dei*. H. E. *Angeli* dicuntur, *filias* hominum deperiisse, unde *stirps Gigantum*, quin & addunt *Thalmudistæ* apud *Tostatum*, Dæmonas ipsos *Adami* fuisse *progeniem*, ex prima uxore *Lilith*, de qua multa apud *Buxtorfium* in synagoga *Judæorum*. Ergo Dæmones ante hominis *Creationem*, propter *superbiam* è Cœlo non sunt Deturbati. *2. Dist. 6. q. 2. a. 3.*

Sol. Videntur ista de *Angelorum* et *Fœminarum complexibus*, è Poetarum figmentis effluxisse, quæ nonnulli, ad *succubos* et *incubos* satis ineptè transferunt. 2. Sed de alijs *filiis dei textus* non potest intelligi, quam de *Sethianis* nequiter se cum *Cainaidum* prostibulis commiscentibus. 3. Fabulam verò de *Lilith*, vix ullus hodiè credat *Judæus Apella*.

Ob. 5. E Reformatis *Zanchius*, & quidam alji peccasse putant *Angelos* ob *Invidiam*, quòniam intellexissent Humanam naturam â *Filio Dei* esse *assumendam*, unde supra illorum *Angelicam* exaltaretur, et hæc est illa *veritas*, in qua asserit *salvator*, Diabolum â principio non *stetisse* Jo. 8. 44. Addunt *Rabbini*, noluisse eum (Deo jubente) *Adamum* honorare, & inde cum suis fuisse deturbatum ob *rebellem pertinaciam*. *De Operib. Creat. l. 4. c. 2.*

Sol. Sententiam eam *Zanchius* proponit tantum, ut *probabilem*, sed probari neutiquam potest, quia non verisimile est, Incarnationis *mysterium* ante *Protoevangelium* de *semine* mulieris Gen. 3. innotuisse, et *Angeli* electi, didicisse perhibentur

hibentur ab *Ecclesia abscondita* illa â *seculis* in *Deo*, de Christo *Redemptore*. Ephes. 3. 10. Constat autem *Angelorum Lapsum* hominis *defectionem* præcessisse, cujus ipse *Diabolus* præcipuus erat *Panurgus*, qui non peccare potuit in eum, priusquam erat, nec adversari ipsius *Redemptioni*, antequam cognovisset eum *futuram*, aut *casurum*.

Ob. 6. Si Diaboli peccârunt ante *Adami* Lapsum, tum ex aliqua *lege violata*, quæ erat illis *posita*, quia omne peccatum est alicujus legis *transgressio* 1. Jo. 3. 4. sed nulla *Lex* videtur *Angelis* præscripta, Ergo mali fuerunt ab *inquinato principio*, Deo opposito, et per *consequens* Duo fuerunt ab æterno *principia* se invicem *oppugnantia*, ut contendunt *Manichæi*, nec *Boni* â Deo creati, Defecerunt per *superbiam*.

Sol. Quia *Boni* â Deo *Creati*, ex *Lege Naturæ* tenebantur *Creatoris* dispositioni subesse, â quo non tantùm habuerunt *esse*, sed & *fælices esse*, et stationem ab *Imperatore* designatam non deserere. Quam cum perfidè, *mutare* præsumpsissent, *in* pœnam *ingratissimæ superbiæ*, justissimo dei Judicio, eò facti sunt post Lapsum *miseriores*, quò anteà *Conditoris Benignitate*, fuerunt *gloriosiores*, & *fæliciores*.

Ob. 7. Expetere *Deo* fieri *similem*, non videtur esse *Peccatum*, nam Ita *salvator*, *Estote* (inquit) *vos perfecti*, *sicut pater vester qui est in cœlis est perfectus* Math. 5. 48. Sed hoc statuitur fuisse Diabolorum *peccatum*, juxta illud, *ascendam* super *altitudinem nubium*, & ero *similis altissimis*, *Isaiæ* 14. 14. quod referunt *Patres* ad *superbiam Luciferi*. Ergo talis *superbia* non videtur fuisse *causa* lapsus.

Sol. Potest *Creatura* expetere *Creatori* esse similis, vel *Ethice*, pro suo *modulo*, idq; ex gratia *Donantis*, non ex *suis viribus*, quo sensu hortatur *salvator* ad *perfectionem* Patris Cœlestis *imitandã*; vel *Physicè* aut *Politicè*, quoad *Naturam*, potentiã aut *Dominium*, idq; ex *propriis viribus*, sic ut nulli cederet *excellentia*, vel *superioris* subesset *imperio*, aut *æqualitati* esset æmulus, Atquî hic fuit monstrosus iste *Diabolicæ superbiæ* partus, qui illũ cum suis *Angelis* pessundedit. 2. *Prophetæ* textus de *Rege* loquitur *Babylonico*, qui à patribus tantùm applicatur

catur ad *Angelorum* lapsum, non ad illum *probandum* adducitur 3. De *Lucifero* autèm Rebellantium *Coripheo* (quod nugantur *Scholastici*, præsertim (*Halensis* quæstionibus 12) prodit ipsorum in *Scripturis* torquendis *supinam temeritatem*, in quibus *Luciferi* nomen in pio sensu ubivis occurrit.

QVÆSTIO II.

An Iustitia originalis ante lapsum Adamo erat Naturalis.

CONvenit. 1. *Adamum* in statu integritatis, *Justitiâ originali* fuisse imbutum. Convenit. 2. *Naturale* illud habendum esse, quod ad ipsius naturæ *constitutionem*, & *perfectionem* necessariò concurrit. Unde 3. *supernaturale*, illud est æstimandum, quod supra *naturæ sortem* ad ipsius *conservationem*, aut *elevationem* extrinsecùs advenit. Sic ut hic sit litis *nodus*, *utrum hæc Justitia fuit indita Adamo originalitèr* ad structuræ ipsius *perfectionem*, vel ex *gratiâ* alias *collata* ad ejusdem *sustentationem*? primum ab Orthodoxis astruitur. Adeoq; *Justitiam* illam originalem fuisse ipsi naturalem prædicant. Quia

1. *Bonitas* & *Rectitudo*, quæ nil aliud sunt, quam *originalis justitia*, *Adamo* fuerunt *naturalia*, utpote *perfectionis* ipsius personæ debita, sed ista erant illi primitùs *indita* & *concreata*, quia quicquid *Deus* fecit erat valde *Bonum*. Gen. 1. 31. & Deus *primum hominem* fecit *Rectum* Eccles. 7. 29. Ergo *Justitia* originalis fuit illi *naturalis*.

2. Naturalia quæ per *Lapsum* erant *amissa* aut *depravata*, per *regenerationem* & *Renovationem* fuerunt *restituta*, sed ista affirmantur esse, *Justitia* & *sanctimonia* Ephes. 4. 24. Ergo

Justitia & sanctimonia fuerunt primo homini ante lapsum *naturalia*, Confer. Rom. 5. 18. 19.

3. Ut se habuit *Immortalitas* ad corporis humani *primævam constitutionem*, sic accessit *originalis Justitia* ad *animæ* & facultatum ipsius *rectitudinem*, sed *Immortalitas* erat *homini*, utcunq; è terra *formato*, *Naturalis*, si enim non peccasset, *mortem* non *gustasset*. Gen. 1. 17. quia per *peccatum* solummodò patuit *morti* in mundum *introitus*. Rom. 5. 12. Ergo *originalis Justitia* una *cum*, & in *spiraculo vitarum* collata, non minus erat perfecto homini ad *Imaginem* & *similitudinem* conditoris facto *naturalis*.

4. Nullum *Supernaturale* transfundatur, (quâ tale) ad *posteros*, nec enim *sapiens* pater, aut pius *prudentem* semper gignet filium (ut patet in *Solomone* & *Rehoboam*. *Jehosophat* & *Jehoram*. Sed *Adamus* si non peccasset; *Justitiæ originalis* rectitudinem *posteris* traduxisset, virtute Benedictionis, Gen. 1. 28. Nam qualis terrenus, tales & terreni, qualis *Cœlestis*, tales & *Cœlestes* 1. Cor. 15. 48. Ergo ista Justitia non fuit ei supernaturalis.

5. Per Lapsum *Adami*, facti sunt ipsius posteri *Naturâ filii Iræ*, ratione Contractæ labis Originalis, Ergo in statu integro permansissent naturâ filji gratiæ, per *originalem Justitiam*, quæ tali conditioni oppositæ, non minus esset naturalis.

6. Si nativa fuit in statu *Innocentiæ*, partis *inferioris* adversus superiorem Rebellio, quæ ex *Conditione materiæ* (vt loquitur *Bellarminus*) futura erat naturalis, nisi fuisset per Justitiæ Donum, tanquam per aureum frænum cohibita, tum Deus necessariò statueretur author peccati, qui hominem ad malum propensum, (quod peccatum esse docent Apostoli. Rom. 7. & 1. Jo. 2. 16.) sic primitus condidit. At hoc (quod tam virulentèr impingunt *Calviniſtis*) nolunt admittere, Ergo necesse est, ut fateantur, aut *naturalem* hanc fuisse *Adamo Justitiam*, aut *vitiatam* fuisse ipsius *naturam*, ante aliquid patrasset, quod vitiasset.

7. Quod *Pelagianismo*, aut *semipelagianismo* portam aperit,

rit, studiosè à piis omnibus est oppugnandum, sed statuere *justitiam Originalem* fuisse naturæ integræ *supernaturalem*, & *inclinationem* appetitus ad *malum* ex *conditione materiæ* fuisse *naturalem*; non tantum tollit distinctionem inter *naturam* integram, & corruptam, & *Arbitrii illæsam*, & ad malum tantum *præcipitem* propensionem, sed & legis exactæ *impletioni* sternit viam, sic, ut non sit *necessaria* salvatoris satisfactio, undè *supervacanea* æstimaretur *fidei justificatio* ad totius *Evangelii* improperium. 2. Rectius ergo *Medina*, intelligunt (inquit) *Doctores quidam* per *hominem constitutum* in *puris Naturalibus*. hominem constitutum in *natura integrâ*, cum *Dono* & *vigore* sanante *naturam*, adeò ut in *bono* & *officio* virtutum *possit* permanere, & *perseverare* si vellet, quæ *sententia* sine dubio videtur esse *Augustini*. 3. Quod coincidit ferè cum Nostris. Accipisset (scilicet *Adamus*) *posse*, si *vellet*, sed *non velle* immutabiliter, *quod potuit*, neq; enim ita erat *justus*, ut *non posset* peccare, ita tamen *naturaliter* erat instructus, ut potuisset si voluisset, *non peccare*.

Objiciunt Pelagianizantes.

Ob. 1. NUllus *habitus* vel *infusus*, vel *acquisitus* est *naturalis*, nam tum confunderetur cum *naturali potentia*, sed *Justitia Originalis* est *habitus*, Ergo non potest esse *naturalis*.

Sol. Præter habitum *Infusum* per gratiam, aut *Acquisitum* per industriam, statuatur *Alius connatus*, & *collatus* ad creaturæ *perfectionem*, vel (ut habet *Augustinus*) ad Naturæ *complementum*. Quem sive *naturalem potentiam*, sive *habitum*, Naturam *perficientem* dixeris, parùm interest, modò ipsius *amotionem*, non *naturam* prorsus *tollere*, sed *mutilare* & *depravare* intellexeris.

Ob. 2. Omne *naturale* est vel Naturâ *constituens*, vel *consequens* atqui *justitia Originalis* nec *Adamũ* constituit, nã sic eâ amotâ

 periisset

periisset ipsius *natura*, *consequens* autem est *propria passio*, quæ à suo *subjecto* est inseparabilis, Ergo nullo modo potuit esse *naturalis*.

Sol. Distinguendum est inter *essentiam* naturæ, & *integritatem* sive *perfectionem*, ad amotionem constituentis *differentiæ*, aut *affectionis propriæ* consequentis sequitur rei *interitus*, sed maneat interim *mutila* aut *depravata*, cùm amiserit tantùm illud, quod *integrat* aut *perficit*.

Ob. 3. Deus tantùm *naturaliter* dicendus est *Justus*. Ergo nec *homini*, nec ulli *creaturæ* competat *naturalis justitia*.

Sol Deus *justus* est in se, Homo *Dei Donatione*. Deus *immutabiliter*, Homo sic ut facillimè *injustus* reddatur. *Justitia* Deo est *essentialis*, homini *accessoria*, quam dùm retinet, Naturam *perficit*, cùm abjicit, manet quidem *homo*, ut *vulneratus* inter *Jerusalem* & *Hiericho*, non *extinctus* penitùs quoad *vitam*, sed *spoliatus* debitis *facultatibus*, quibus *exoptatum iter* conficeret.

Ob. 4. *Naturalia* non *amissa* fuerunt per *lapsum* in *Diabolis*, Ergo nec per *lapsum humanum* in homine, Ergo quia *Originalis justitia* est *amissa*, non erat homini *naturalis*.

Sol. Diabolus amisit *moralem integritatem*, licèt non *Physicam*, quam retinuit (sicut & homo) post *lapsum*, licet variis modis *conspurcatam* & *inversam*.

Ob. 5. Monstrum illud habeatur, cui aliquid deficit *originaliter* naturæ *debitum*, sed *homo* post lapsum ad *Monstrorum classem* non est referendus, Ergo per *lapsum* nil, quod erat *naturale* amisit.

Sol. Distinguendum est inter *Monstrum* & *Mutilum*, Homo per lapsum evasit *mutilus*, cum per talem *metamorphosin* à *nativa* perfectione in *filium Iræ* degeneravit, Ephes. 2. ubi si quis *monstrositatem* aliquam observet, *Ethice* illud, quoad *animam*, & *spiritualia*, non *Physice*, quoad *corporalia* est concipiendum.

Ob. 6. *Lazarus* excitatus à mortuis restitutus fuit ad omnia *naturalia*, sed non ad *Originalem justitiam*. Ergo *Originalis justitia* nunquam fuit homini *naturalis*.

Sol.

Sol. Restitutus fuit proculdubiò ad *conditionem*, quam ante mortem *possidebat*, non ad *perfectionem* & *integritatem*, quam *Adamus* ante *lapsum* obtinuerat.

Ob.7. Pulvis es, & in *pulverem redibis*, Gen. 3. 19. ostendunt hæc verba *hominis* conditionem ante lapsum, ex natura sua fuisse *mortalem*, *fragilem*, *doloribus*, *laboribusq́*, *obnoxium* (exponente *Bellarmino*) quæ nihilominus gloria & honore erat *Coronata* & *Conservata*, ex justitiæ originalis *superveniente retinaculo*, Psal. 8. 6. quo excusso, in statum naturalem *pulvereum* reciderit. Ergo *justitia Originalis* erat illi ante lapsum *supernaturalis*, & *nativa conditio*, ex parte saltem materiæ *pulverea* & *rebellis*. *De Grat. primi hominis c. 6.*

Sol. Verba indicant *congruitatem pœnæ* ob lapsum inflictæ, non *habitudinem originalis justitiæ*, qua potuisset *stare*; an ista fuit *naturalis* aut *supernaturalis* necne. 2. *Sophistice* confunduntur Naturæ *labes* & *labilitas*, ac si idem esset *posse labi*, & *labem* habere *connatam*. Labilitatem *primævæ integritatis* agnoscunt omnes, *labem* nullam observent, ante *illam* per *liberi arbitrii* Abusum contractam. 3. Rationes, quæ *coacervantur* ulteriùs, ad nodum in hoc *scirpo* inveniendum, indicant tantùm *Antiquorum* & *Recentiorum* rixas, non *determinant* illud, quod controvertitur, & videntur potius nostræ, quam *Adversantium* favere sententiæ.

QUÆST.

QVÆSTIO III.

will. sym. 864

An detur Originale peccatum ab Adamo in omnes ipsius posteros propagatum?

DE hac Quæstione *consensus* est. 1. Inter omnes per *Adamum*, contra *præceptum* Domini, de fructu vetito *comedentem*, peccatum *primum* inter homines in *mundum* intrasse. Convenit 2. *Naturam humanam* in illo conditam, ab illo, tanquam à fonte in omnes ipsius posteros fuisse derivatam. Sic ut 3. *Nodus* sit controversiæ; An ex *Actuali Adami peccato*, tale emersit (ut loquimur) *peccatum Originale*, quod *naturam* inficiens *humanam*, una *cum*, & *in ipsa*, omnibus ipsius *posteris* sit propagatum? Affirmant *Orthodoxi*. Quia.

1. Omne *figmentum* cogitationum *cordis* humani, est *tantummodò malum omni die*. unde tanta hominum *malitia* in terra, Gen. 6. 5. Quis dabit *mundum* ex *immundo*? ne *unus* quidem, *Job*. 14. 5. addit *Græcus* nec *Infans*, cujus vita est *unus dies* supra terram. unde exclamat *David*. Ecce in *iniquitatibus conceptus* sum, & in *peccato* calefacta est de me *mater mea*, vel (ut *vulgaris*) *concepit* me *mater* mea. Ps. 51. 5. Quæ non possunt nisi de *peccato Originali*, & ipsius *propagatione* (ut exposuerunt *Prisci* & *Recentiores*) aliqua ratione intelligi.

2. Per *unum hominem peccatum* in hunc *mundum* intravit, & per peccatum *mors*, & ita in *omnes homines* mors *pertransiit*, in quo *omnes peccaverunt*. Rom. 5. 12. Fuimus nos omnes *facientes voluntates carnis*. ecce peccatum *actuale*! eramusq; sicut & reliqui *Filii Iræ*] sed quomodo? non *Imitatione*

tatione tantùm & *consuetudine*, sed φύσει (ut habet textus) *Naturâ*] Ephes.2.3. verum non *integrâ*, Ergo *corruptâ*, sed quo corrumpente? nisi *peccato Originali*? unde *salvator*, quod *genitum* est ex *carne* est *caro*, Jo.3.6. quæ nil aliud est, quam *Imago* Terreni *Adami* 1.Cor.15.49. ex lapsu ipsius *confracta* & deformata.

August. cont. Iulian. Pelag. l 6. c. 4.

3. Omne peccatum est vel *Actuale* personæ, vel *Originale* Naturæ. At *peccatum illud* quod designatur in V. T. per יצר הרע *malum cordis figmentum* תמאה *contaminationem*, סתר & עלום peccatum *occultum*, & *absconditum*. & in N. T. venit sub nomine τῆς ἁμαρτίας *emphaticè*, παραπτώματος, παραβάσεως, παρακούης, τοῦ κείματος, τοῦ θανάνου, τοῦ κατακείματος. *Peccati* scilicet *Inhabitantis*, *Mali adjacentis*, *Legis membrorum*, *Corporis mortis*, *Massæ mortiferæ*, *Concupiscentiæ* jugiter *rebellantis*, & *peccati circumcingentis*, *Actuale* non potest censeri, Ergo nimium apparet esse *habituale* & *Originale*.

4. Posito *effectu* necesse est *causas* proprias vel *esse*, vel *fuisse*. At constat *Infantes* mori ante quamvis peccati actualis *suspicionem*. & mortem peccatum supponere, non ut *Naturæ* sequelam, sed *peccati* stipendium. Ergo necesse est, ut mors Infantum sit *effectus* peccati *Originalis*.

5. Symbola *Impuritatis auferendæ* superstitiosè & ridiculè adhiberentur, nisi subesset Impuritas *auferenda*, sed *circumcisio* V. T. & *Baptismus* N. applicantur *parvulis*, non peccato Actuali contaminatis. Ergo *Originali* quasi *Leprâ*, (ut *Gehazi* posteri ab *ulceroso* parente) sunt infecti, quod *peccatum* appellamus *Originale*.

6. Si non Daretur *peccatum* à *Parentibus* ad prolem *traductum*, *Christianorum* & *Paganorum* Infantum habenda esset *sors æqualis*, nec illis prodesset, quod sunt *sub fœdere*, aut *obesset* istis, quòd sunt *extorres*, quin satiùs esset & tutiùs *Infantibus mori*, aut *tolli*, quàm studiosè *educari*, nam ita dimitterentur sine *Peccato* ad certam *requiem*, cum adolescerent ad infinita peccatorum *discrimina*, & tremenda supplicia. sed hujusmodi non sunt ferendæ sequelæ, Ergo admittendum est antecedens *Originale* peccatum.

7. Consentiunt hic nobiscum *patres*, unde peccatum hoc *Originale* est *Ignatio*, antiqua iniquitas, *Justino Martyri* ab *Adamo* Mors, *Cypriano* antiquæ mortis contagium, origo Peccati *Hilario*, originale delictum *Ruffino*. Antiqui criminis pondus *Reticio Augustadunensi*, Mortifera Protoplasti Transgressio *Olympio* ab *Augustino* citatis, unde manifestò constet, hoc peccatum originale *ipsius* non fuisse aut *Origenis* commentum, in *Scholasticorum* lustris enutritum (ut subdolè submurmurant Adversarii) sed deductum *Dogma* ex sacris *Literis*. Quare (ut *Apostolus*) De cætero (inquit) ne quis mihi molestias *præbeto*, ego enim *stigmata* Domini *Jesu* in corpore meo porto, Gal. 6. 17. ita concludat quælibet *Adami* soboles, stigmata ego circumfero *primævi* hujus *toxici*, hæret lateri *Lethalis* arundo. ne quæras igitur *curiosè* nimium, (ut rectè monuit elapsus in *puteum* apud *Augustinum*) quo casu *inciderim*, sed manum admoveas, quo modo *inde* extrahar.

In Iulian pelag. l. 1. c. 2.

Objiciunt Pelagiani Spermologi.

Ob. 1. INter *pœnas* ob lapsum inflictas, non memoratur Naturæ *infectio*, aut *traductio*. 2. Nec *unus actus* potuit *omnes* inficere. 3. Nec convenit Dei *misericordiæ*, ut *omnes* ob *unius* noxam luant. Ergo non datur tale peccatum *nativum*, & hæreditarium, catechis. *Raccov.* Pag. 249.

Sol. Recenset Scriptura *pœnas* tantùm ob *lapsum* subeundas, idq; ab *actualiter* peccantibus, inter quas, lapsus, qui erat earum *causa*, non fuit numerandus, vel traductio, quæ posteros magis, quàm *judicandos* parentes respiciebat. 2. Unicus *unius actus* inficere potest omnes *subordinatos*, quales nos sumus sub *Adamo*, ut *Rubenis* & *Gehazi* noxæ posteris fuerunt *sonticæ*, dum *Coordinatos* non attingit, quales nullos habuit *Adamus* commilitones. 3. Dei *misericordia* justitiam non

non excludit, quæ hic suaviter conspirant in vindicando transgressionem, & parando remedium.

Ob. 2. Anima quæ peccaverit *ipsa morietur*, *filius* non portabit iniquitatem *Patris*, & *Pater* non *portabit* iniquitatem *filii*, justitia justi *super eum* erit, & impietas impii erit super *eum*, Ezech. 18. 20. Ergo *peccati primi* in posteros nulla potuit esse *traductio*.

Sol. Textus agit de peccatis *actualibus* & personalibus, non de peccato *Originali* & *naturæ*, & 2. Ostendit, quid Deus *facere voluit* cum illis, quibuscum fœdus iniisset, non quid facere *statuisset* cum *omnibus* qui in *Adamo* peccassent. Unde 3. *Aquinas*, cum punitur (inqui) taliquis pro peccato *primi parentis*, non punitur pro *peccato alterius*, sed pro *suo*, quia ipse *reus* fuit in *Adamo*. non punitnr igitur ut *insons*, sed ut *particeps* culpæ, derivatur enim per originem *culpa* à patre in filium, sicut & peccatum *actuale* per *imitationem*.

Quæst. disp. de pecc. orig. q. 4. ar. 1. cont. Gent. l. 4. ar. 52. 1. 2. q. 81. a. 1.

Ob. 3. Christus & B. *Virgo* fuerunt *Adami* posteri, sed *Originali peccato* nullatenùs infecti. 2. Unde *Apostolus*, per *Inobedientiam* unius (nempe *Adami*) *peccatores constituti* sunt, non *omnes* (sed ut restrictim habet *textus*) *Multi*] Rom. 5. 10. Ergo *peccatum* hoc non contaminavit *omnes Adami posteros*.

Sol. Christus non erat *genitus* humano more, sed *factus* ex *sanctificato* virginali *semine*. B. *Virginis* immunitatem ab originali *labe*, asserunt plurimi nimiùm contentiosè, sed nulli astruunt. Ad 2um Respondet *Augustinus*, sic loquitur Scriptura, quia possunt esse *aliqua omnia*, quæ non sunt *multa*, ut omnia *Evangelia*, quæ tantùm *quatuor* sunt, sed non *multa*. Possunt etiam esse *multa*, quæ non sunt *omnia*, ut credentes in *Christum multi* sunt, non tamen *omnes* homines, quia non *omnium* est *fides*. Appositè igitur & cautè *Apostolus*, multos dixit *constitutos* esse per *Adamum* peccatores, qui sunt tamen *omnes*, non *omnes* tamen simpliciter, cùm *Evah* fuerit peccatrix, sed non per *Adamum*. Salvator ex *Adamo*, sed non *Peccator*.

In Iulian. Pelag l. 6. c. 12.

Ob. 4. Omne peccatum est *voluntarium*, at tale (in *Infantibus*

fantibus præsertim) *Originale* non potest esse, qui destituuntur voluntatis *usu*. Ergo non potest esse in *omnes* traductum *peccatum*.

Sol. Propositio non est *universalis*. Quod nolo (inquit *Apostolus*, Rom. 7.) hoc *ago malum*, nec peccata quædam *ignorantiæ*, & *omissionis* propriè censeantur *voluntaria*. unde peccatum in *genere* sic definiatur, quod sit non tantum *actionis*, sed *naturæ*, & *inclinationis humanæ* à *lege divina* discrepantia. sic, ut non solum *actuale*, sed *originale* suo ambitu complectatur. 2. Peccatum originis, *voluntarium* etiam dicatur in nobis, *radicaliter* saltem, ratione sui principii voluntarii in primo homine; utcunq; consensum nostrum *personalem* anticipet. quia ut *Levi* decimatus est in *Abrahami* lumbis, ita in *Adamo* nos omnes peccavimus Rom. 5. 12. idq; *voluntario*, quatenùs nos omnes fuimus, quod ille *unus* erat.

Ob. 5. Accidens non migrat à *subjecto* in subjectum, nec communicari potuit hoc *peccatum* per *corpus*, quia hoc non est *capax* peccati, nec per *animam*, quoniam hæc in se *immaculata* corpori præparato dicitur *infundi*, nec ex *unione*, quia spiritus ab *agente corporeo* non concipiatur *infici*, Ergo *peccatum* hoc ab *Adamo* in posteros nequaquam potuit traduci.

Sol. Subjectum hujus *accidentis* (ut loquamur) *adæquatum* & *proprium* non erat protoplasti *persona*, sed *natura humana* per actualem *personæ* transgressionem vitiata, quâ posteris communicatâ, communicatur etiàm in ea hæc inhærens *corruptio*. 2. Verùm qui animam statuant *ex traduce*, plausibiliùs de modo communicandi se expediunt, tragulam præcipuè illis injicit *Salvatoris anima*, quam è semine quomodocunq; *purificato* educere, durum esse videtur. Traductionem vero non admittentes premit illud, *materiale* non contaminare *immateriale*, & vix esse credendum, Deum *animam* creare immaculatam, & corpori statim *unire*, à quo necessariò commacularetur. Sed *lubricum* est illud *fundamentum* de *materiali* non *agente* in immateriale, & è *peri-*

pato

pato potius arreptum, quàm à *Scripturis*, aut *experientia* deductum. unde dicamus, semen infectum esse, tanquam *funale fœtidum*, cui si *flamma* admoveatur, prodit (quæ antea latebat) totius facis *graveolentia*, sic anima *embryoni* copulata, eamq; informans, *actuat* in semine *latens virus*, quo fiat corruptio *totius compositi*, quanquam alii cautius, satis esse *arbitrantur*, si agnoscamus *labem* hanc *originalem* inflictam esse posteris à Deo *pœnam*, ob primi parentis *culpam*, sed qua ratione, aut quibus *mediis* non *solicitè* esse discutiendum, nec ad salutem multùm conducere, ubi conveniunt ferè cum *Augustino* Patrum *acutissimo*, qui (omnibus *subtilissimè* de his *expensis*) non necessarium, aut tutum duxit, aliquid *certo* definire.

Vid. Whitak. de peccat. orig. c. 8. Zanch. de operib. Dei part. 3. l. 2. c. 5. Pareum in Bell. de Amiss. grat. l. 4. c. 12.

Ob. 6. Deus non visitat *iniquitatem Patrum* in *filios* ultra *tertiam*, aut *quartam generationem* eorum, qui *oderunt* ipsum, facit autem *misericordiam* in *millia* his, qui *diligunt* ipsum, & custodiunt *præcepta* ipsius, Exod. 20. 5. 6. Ergo non descendit primi lapsus *venænum* in tam longe distantes.

---- *Natos Natorum & qui nascuntur ab illis.*

Quin & liberati per *Baptismum* à primæva *ista contagione*, non possunt *illud*, quod in se *non habent*, in posteros transfundere.

Sol. De peccatis *personalibus* præcipit textus, & *actualibus*, non de *originali naturam inficiente*, nec pœnæ denuntiantur *æternæ*, nisi perseverantibus in *majorum* sordibus, sed *temporariæ*, quas interdum subeunt *posteri* (ut liberi *Achanis* Sacrilegi & *Rebellis Corah*, ob *Ductorum*, aut *progenitorum* scelera. 2. Nec sequitur, *regeneratum* per *Baptismum* prolem *immaculatum* generare, quia non gignit, ut *renatus* per *Christum*, sed ut *natus* ex *Adamo*, natus autem ex *Carne Caro* est, Jo. 3. 6.

Ob. 7. De peccati hujus *originalis* fundamento, An *exemplare* tantùm fuerit, aut *contagiosum*, litigant *Antiqui* de ejusdem *formalitate*, an concipiatur esse vel *positivè*, enormis concupiscentia, vel *privativè* originalis justitiæ *carentia*, non convenit inter *Scholasticorum* primipilos, *Thomistas* & Scotistas

Scotistas: inter Reformatos verò ita extenuat *Zuinglius* cum suis, ut in *nihilum* pænè redigit, ita cum *suis* exaggerat *Illiricus*, ut ipsum esse homini corrupto *substantiale*, & non *accidentale*, præfractè altercatur. Ergo cum nil *fixi* hâc de re statuatur, saltèm inter *confessionum Articulos*, prout in *Symbolis* etiam receptis non habetur, nullo modo videtur inter dogmata Christiana esse recensendum.

Sol. Diversitas *sententiarum* inter *Doctos* interturbet potiùs, quàm obruat in *Scripturis* consignatam veritatem, quin inde aliquoties evenit, ut defæcatior & limatior emergat *rei eventilatæ* manifestatio. Ergò hic tenendum, peccatum, de quo agimus, in suo ambitu includere 1. *Defectum* originalis *justitiæ*. 2. *Affectum* succedentis *depravationis*. 3. Et effectum, subsequentium peccatorum actualium, cum *reatu* ad pœnam obligante. Cætera, quæ controvertuntur de *formalitatibus*, & *corruptionis modalitatibus*, de *propagationis* vehiculis, & de *phrasibus* exprimendis, & similibus; non ita ad rem faciunt, ut condemnentur omnes, qui seorsim sapiunt, aut loquuntur, modo quod *certùm* pateat ex *verbo*, non evacuant. 2. Cum *Remissionem credo peccatorum*, ex *Symbolo* Apostolico & unum, *Baptismum* in peccatorum *Remissionem* ex *Nicæno*, non causari quis meritò potest, *originale* omissum esse peccatum, 3. Pie igitur & summo cum judicio *nostri*. Articulo *Confess. Anglicanæ*. 9°, quid de hac re statuendum, distinctim ponunt, (amputatis *subtilitatibus* & *supervacaneis*) ut sicut *cæcus sanatus* respondet de *servatore* sanante, urgentibus procacitèr *Pharisæis*. *An peccator sit* (inquit) *nescio*, *unum scio*, *me*, *cùm cæcus fuero*, *nunc videre* Io. 9. 25. haud aliter concludat quilibet *fidelis* (quicquid plurimi Philosophantur) mihi *certum* est, & *sentio*, quod utcunq; *condelector* lege *Dei*, quoad *interiorem hominem*, video tamen *aliam legem* in *membris meis belligerantem* adversus *legem mentis* meæ, & *captivantem* me in *lege peccati*, quæ est in membris meis, Rom. 7. 22. 23. à quo *mortis corpore* liberet nos *cœlestis Pater*, per *Jesum Christum Salvatorem nostrum* AMEN. Vide hæc plenius discussa in Lectione nostra 21.

QUÆST.

QVÆSTIO IV.

An Liberum Arbitrium ad Bonum salutare, per Lapsum erat prorsus sublatum?

NON de statu hominis *instituto* ante *Lapsum*, nec de *Restituto* postea per *gratiam*, sed de *Destituto* per *Lapsum* quæritur. 2. Nec in *isto statu*, quid in *Naturalibus*, aut *moralibus* potuit præstare, aut quid amiserit, præsentis est compendii. 3. Sed spiritualia tantùm hic respicimus, nec ea, quæ *deorsum* præcipitant, sed quæ ad *salutem* erigunt, non quoad *externos actus* in consuetudinaria Religionis *professione*, aut cultu, sed quoad synceram cordis *renovationem* per *fidem* non fictam, & *conscientiam* ad salutem repurgatam, sic ut Litis *cardo sit*, *An Arbitrium antè Lapsum Liberum*, per, & *post Lapsum*, sic manserit *depravatum*, ut ad *Bonum salutiferum* per *gratiam* ipsi oblatum in primâ *conversione passivè* se *tantùm* habeat? *Affirmatur* ex hisce fundamentis.

1. Cuncta *cogitatio* Cordis intenta est רק רע *tantummodò* ad *malum* omni tempore, Gen. 6. 5. Ergo ad *Bonum salutare* non potest assurgere.

2. Scio *Domine*, quia non *est hominis via ejus*, nec *viri est*, ut *ambulet*, & dirigat *gressus suos*. Jer. 10. 24. Ergo non potest pro *arbitrii* post lapsum *libertate*, absq; *renovante gratia* Deo magis inservire, quam *Æthiops* mutare *pellem*, aut *Pardus maculas*.

3. Petit *David*, *cor mundum* in se *creari*. Ps. 51. 12. quod pollicetur se daturum *Deus*, auferendo cor *lapideum* & *Carneum*

nem subſtituendo, *Ezech.* 11.19. Unde non *crediderunt Iſraelitæ*, quia non dedit illis *Deus* cor *intelligens*, & *oculos videntes*, & *aures*, quæ poſſunt audire, *Deut.* 29. 4. Ergo *reſtituendum* eſt Arbitrio tantummodo per *gratiam*, quod per naturæ corruptionem ex lapſu amiſit.

4. Non *Renati mortui ſunt in peccatis*, & *Naturâ* ſunt *filii Iræ*, Eph. 21.3. & Col. 2.13. Ergo non magis poſſumus, *Arbitrii corrupti* viribus, ad *bene agendum* noſmetipſos erigere, quàm *mortuus ſeipſum* ſuſcitare, aut non *genitus* ſeipſum *generare*.

5. Non ſufficientes ſumus *cogitare* aliquid ex nobis quaſi ex nobis, ſed ἡ ἱκανότης, *Idonietas* illa *noſtra* eſt ex *Deo*, 2. Cor. 3.5. quia *Infidelibus* nihil eſt *mundum*, Tit. 1. 15. Nec poteſt quis *mundum* ex *immundo* dare, Job. 14.4. aut Arbor *mala* fructus *bonos* facere, Math. 7. 17. Nec *Animalis homo* ea *quæ ſunt Dei* percipere, nec intelligere, quia *ſpiritualiter examinantur*, 1 Cor. 2.14. Ergo pro *arbitratu* nil confert *convertendus* ad ſuam converſionem.

6. *Deus* eſt, qui *operatur* in *nobis* & *velle*, & *perficere* pro *bona voluntate ſua*: *Phil.* 2.13. Fides eſt merum Dei donum, Epheſ. 2.8. ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, Heb. 11.6. Ergo quod Deo placeat non poſitum eſt in *noſtro arbitrio*, ſed à Deo *cæliùs* eſt expectandum.

7. Nemo poteſt *venire* ad *Chriſtum* niſi *Pater* eum *traxerit*, Io. 6.44. Nec *ſeipſum* ab impio ſecernere, quid enim *habes*, quod non *accepiſti*, & ſi accipiſti, quid *gloriaris*, quaſi non acceperis, 1. Cor. 4.7. Ergo nullus *liber* eſſe poteſt, niſi fuerit *liberatus* ab *ipſo*, qui dixit, *Si vos filius liberaverit*, tum verè *liberi eritis*. Aug. de correp. & gratia. cap. 1.

Io. 8.

Objiciunt

Objectiones.

1. PRoponit Deus *eligendam vitam* & *mortem* Israelitis, Deut. 30. 15. & optat *conversionem*, *Deut.* 32. 29. *Luc.* 19. 42. Quod frustra factum fuisset destitutis *libero* eligendi *arbitrio*. Ergo tale datur *arbitrium* ad bonum.

Sol. *Israelitas* compellat *instructos* & *illuminatos*, ut operentur pro *libertate* data, non *infideles*, & in *sordibus* & *tenebris* nativis volutantes, de quibus controvertitur.

Ob. 2. Deus expectat nostram *conversionem*, & vadit in *locum suum*, donec *populus* quærat ipsius *faciem*, *Hos.* 5. 15. & gratiam tantùm confert *seipsos expurgantibus*, 2. Tim. 2. 21. Ergo *liberum* est ipsis *Deum* quærere, & *gratiam* petere, & *seipsos* expurgare.

Sol. Liberum est, non ex *natura corrupta*, sed ex *gratia* gratis *collata*, non agitur istis in locis de *convertendis*, ut liberè ad gratiam *properent*, sed *conversis*, ut secundum *gratiam* gratis illis collatam *ambulent*.

Ob. 3. Non *Renati* faciunt Deo *grata*, & *Nebuchadnezar*, *Cyrus*, *Cornelius*. Ergo assurgere potest *natura corrupta* ad bonum *salutare*.

Sol. Grata in se nonnunquam faciant *Ethnici*, quoad *substantiam* operis, sed non *rata* ad salutem, quoad *intentionem agentis*, aut ἀκριβοδικαίαν præcipientis, 2. In *Cornelio*, Deus gradatim *fidem* (occultò antèà infusam) ad ἀκμὴν, & maturitatem perducit, ut pateat Act. 10.

Ob. 4. Dicimur *cooperatores* cum *Deo*, 1. Cor. 3. 7. Nam Qui creavit *te sine te*, non servabit *te sine te*. *Aug.* Ergo in conversione non *passivè* tantum se habet *voluntas*, sed *activè* concurrit, & *concausativè* cum *præveniente* gratia. *De verbis A- post. Serm.* 15.

Sol. In *conversione* concurrit voluntas, non *ad conversionem* h. e. *subjectivè* tantùm, non *effectivè*, quia *ut velimus*, sine nobis *operatur Deus*, cùm autem *volumus*, & sic volumus, ut facimus

cimus, *cooperatur*. *Aug. de grat. & Lib. Arb. l.* 1. *c.* 16. 2. Certum est nos *velle*, cum *volumus*, sed ille *facit*, ut *velimus*, ibid. 3. Et *tutiores* vivimus, si *totum Deo damus*, non autem, si nos *illi* ex *parte*, & *nobis* ex *parte* committimus. idem de Eccles. ast. dogmat. c. 6. Ergo sit *humilis* & submissa (ex parte nostra) *confessio*, & totum detur Deo. *Idem* de bono *Perseverantiæ*, cap. 13.

Ob. 5. Possumus resistere S. Sto vocanti, *Act.* 7. 51. ad *salutem* scilicet. Ergo (quod est ejusdem *facultatis*) liberè possumus S. Sto assistere.

Sol. S. Sto possumus resistere vocanti *externè* per verbum, non *internè* convertenti per *gratiam flexanimam*, & *vorticordiam*. 2. Alia est ratio *labilitatis* ad malum, alia *libertatis* ad Bonum. Lapsus enim induxit *pronitatem* ad *malum*, sed *abduxit* ab omni *bono* salutari omnes nostras *inclinationes* & *affectus*.

Ob. 6. Absq; *Libero Arbitrio* necessitas incumbit peccandi, qua *excusat* à peccato, & *Deum* facit ipsius *authorem*.

Sol. Necessitas illa erat contracta nostro lapsu voluntario, unde Homo *abutens* suo *libero arbitrio* & se *perdidit*, & *liberum arbitrium*. Non *Deo* ergo ascribatur illud *malum*, quia ille fecit hominem *rectum*, sed *ipse* se *infinitis* immiscuit *quæstionibus*. Eccles. 7. 30.

Aug. Enchirid. c. 30.

Ob. 7. Sublato *Libero Arbitrio* frustra essent ad bonum *suasiones*, aut ad malum avertendum propositæ *minæ* vel *pœnæ*.

Sol. Ostendunt *præcepta* hujusmodi, vel *monita*, 1. Non quid possumus, sed quid ex officio debemus præstare, vel quid per *gratiam* (non ex nobis) facere possumus. 2. *Minæ* & *monita* licet non *convertant* impios, *deterrent* tamen illos, ne *pejores* evadant, nemo enim tam *deploratæ* est conditionis, quin aliquid restat in eo, quod melioretur. 3. *Libertas* est triplex, 1. *à quo*, 2. *in quo*, 3. *ad quod*. Libertas *à quo*, est vel 1. *dependentiæ*, 2. coactionis, aut 3. impedimentorum. *Independens* est tantùm Deus; *Cogi* non potest *voluntas*. *Impeditur* tamen ex contractâ in lapsu *pravitate*. Unde sicut in

statu

ſtatu hominis *inſtituto* erat *integra*, & in ſtatu *reſtituto*, eſt per gratiam *rectificata*, ſic in ſtatu *deſtituto* manet in naturalibus, *læſa*, in moralibus, *illuſa*, in ſpiritualibus bonis *prorſus illiſa*; non quoad *facultatem*, quæ manet (ut in *Horologio* deordinato indicatur aliquid, ſed non quod indicandum) verum quoad *rectitudinem*, quam *ipſa* non poteſt ſibi reſtituere. Ubi interim non tollitur *potentia* indifferentiæ ad *hoc*, vel *illud* amplectendum, ſed deordinatur in bonis *executio*, & avertitur propenſio à gratia *penitùs redintegranda*, ut ea tandem *voluntas* ſit tantò *liberior*, quantò *gratiæ* eſt ſubjectior. *Aug. Epiſt.* 89. *Confer.* Lectionem noſtram Tertiam de converſionis modo.

QVÆSTIO. V.

An Concupiſcentia in renatis maneat peccatum? Aff.

COncupiſcentia vel *Licita* poteſt eſſe, vel *Illicita*. Licita ad Bona *animæ* aut *Corporis* conſequenda, de qua non agitur; ſed de *illicita*, 2. Quæ poteſt eſſe *cum conſenſu*, quod *peccatum* eſſe actuale agnoſcitur, vel *ſine conſenſu*, innata Carnis contra Legem dei Rebellio, 3. Hæc ſolummodo hic examen ſubit, an etiam in *Renatis* maneat *peccatum*. *Aff.* Quia

1. Concupiſcentiam *neſciebam* (eſſe peccatum) niſi *lex* dixiſſet, *Non concupiſces*, Rom. 7. 7. Sed omnis ἀνομία eſt ἁμαρτία. 1. *Joh.* 3. 4. A quo *mortis corpore* Apoſtolus exoptat *liberari*, *Rom.* 7. 24. Ergo.

2. *Carnalia* iſta *deſideria* adverſus *animam* militant. 1. Pet 2. 11. & φρόνημα σαρκὸς *legi Dei* non ſubjicitur, nec *poteſt*, Rom. 8. 7. quæcunq; autèm ſunt *hujuſmodi*, ſunt *peccata*.

3. Appellatur ἐυπερίστατος ἁμαρτία, *peccatum circumcingens*, &

pondere *deprimens*, ne per *tolerantiam* præpositum stadium decurramus. *Heb.* 12. 1. quod inhæret ut *rubigo* ollæ, quæ facile defricari non potest. Ezech. 24. 6. & licet respectu subjecti, quod inficit dicatur *morbus*, ratione tamen *Legis* quam violat propriè censeatur *peccatum*, ut peccatum originale, cujus est surculus.

4. Peccatorum est *fœta mater*, seu *scrofa*, Jac. 1. 15. quam *regeneratio* quidèm tollit, non ut *non sit*, sed ut non imputetur, & manet in *renatis*, sed non *regnat*, quia ad *luctam* tantùm manet & non ad *condemnationem*, nec *simul* & *semel* in via extinguitur, sed *gradatim*, ut prorsus aboleatur in transitu ad *patriam*.

5. Per hoc *caro* concupiscit adversus *spiritum*, ut spiritus adversus *carnem*, hæc enim sibi invicem *adversantur*, ut non quæcunq; volumus, ea faciamus. Gal. 5. 17. quæ peccati nimium manifesta sunt *Symptomata*.

6. Ob ἐπιθυμίαν καλὸν inter cætera peccata contaminantia, *ira Dei venit in omnes contumaces*, Col. 3. 5. 6. Ergo ejusdem census cum cæteris peccatis, quoad reatum saltèm est habenda.

7. Concupiscentia *carnis*, adversus quam *bonus* concupiscit *spiritus*, & *peccatum* est, quia illi inest *inobedientia* contra *dominatum mentis*, & *pœna peccati*, quia reddita est meritis *inobedientis*, & *causa peccati*, *defectione* consentientis, & contagione nascentis. Aug. cont. Julian. Pelag. lib. 5. unde *Cajetanus*, Peccatum est *formaliter*, pro quanto est *pars peccati originalis*, in cap. 7. ad *Rom.* v. 8. per quam *natura* nunc inficit *personam*, Ut *persona* primitùs infecit *naturam*.

Objiciunt Pontificii.

Ob. 1. OMne peccatum est *prohibitum*. Atqui *concupiscentia* non est *prohibita*, nam omnis *concupiscentia* est vel *ordinata* ad bonum, quæ *laudabilis*, vel *deordinata* ad *malum* idq;

idq; vel cum *consensu*, ut *concupiscentia* alicujus *uxoris* vel *domus*, & hæc prohibetur tantum in ultimo *mandato* ut *peccatum actuale*: vel sine *consensu*, & hæc est *naturalis pronitas*, nec prohibita, Ergo nec *peccatum*.

Sol. Mandatum interdicit in *effectu* conspicuo *causam* latentem. Ut non concupiscas *uxorem* proximi de *facto*, nec eò *appetitus* erit *inclinatus*. 2. *Concupiscentia* naturæ corruptæ est, vel ad sui *conservationem*, & ita non est *peccatum*; vel ad *illicitum* inclinatio, & ita est peccatum.

*Ob.*2. Peccatum illud non habetur *nostrum*, quod ipsi non patravimus, sed *concupiscentia* illa nos *invitos captivos* rapit, ut dicamus cum Apostolo. *Ego non operor* illud, sed quod *inhabitat* in me peccatum, Rom.7.17. Ergo utcunq; in se peccatum habeatur, resistentis tamen non videtur peccatum.

Sol. In *Adamo* nos omnes *rei* facti fuimus, quia *nos omnes fuimus*, quod ille *unus erat*, unde naturæ *corruptæ* ad nos *quatuor* emanarunt vulnera, *Ignorantia* in *intellectu*, *Malitia* in *voluntate*, *Infirmitas* in *irascibili*, & *Rebellio* in *concupiscibili*. *Aq.* 1. 2æ. *q.*85. ex Beda. 2. Apostolus non *se immunem* prædicat ab hoc *peccato*, sed id *agere* ex ductu *spiritus*, ut non regnet in eo *illud peccatum*.

*Ob.*3. *Pœna* peccati non est *peccatum*, sic enim *peccatum* esset *mors*, & *Deus* autor *peccati*, qui infligit *pœnam*. Sed *concupiscentia* tantùm est peccati *pœna*. Ergo non est peccatum.

Sol. Non tantum est *peccati originantis* pœna, sed etiam *causa vitiosa actualis* peccati, & ipsum etiam *peccatum*, quia adversus legem Dei obnititur. Aug. cont. *Julianum* Pelagian.l.5.c.3.

*Ob.*4. *Partus* cum *matre* non est *confundendus*, sed *concupiscentia* parit peccatum, quod priusquam *consummetur*, mortem non inducit, Jac. 1.15. Ergo *obstetrix* potius dicatur *peccati* quam *peccatum*.

Sol. Partus sequitur ventrē (ut loq. *Jur.*) & ejusdē est cum *parente naturæ* licet non sit *idem* numero. sic Arbor æstiman-

da est ex *fructu*, & qualis *Mater*, talis *Filia*, *peccatum* igitur *parit peccatum*. 2. Contradistinguit autem *Apostolus* concupiscentiam, non peccato in *genere* & *absolute* sumpto. Sed peccato *consummato*, ex opere externo protuberante.

*Ob.*5. Peccatum est *subjectivè* in *Animâ*, sed *concupiscentia* est tantùm in *carne*: nam Novi (inquit *Apostolus*) non *habitare* in me. hoc est in *carne mea*, *bonum*. Rom. 7. 18.

Sol. Subjectum, *Quo*, peccati est *caro*, subjectum vero, *Quod*, *persona*. quia *peccatum* primò intravit ratione *corporis* ad inficiendam *animam*. 2. Apostolus per *carnem* non intelligit propriè *molem corpoream*, sed tropicè *carnales affectus*.

*Ob.*6. Si peccatum illud esset *propagatum* à parentibus, tum *conjugium* esset *declinandum*, ut declinaretur *peccatum*. Sed illud non ferendum.

Sol. Concupiscentia non est effectus *conjugii*; sed *affectus* corruptæ *naturæ*, quem non intendunt *parentes*, licet per accidens *promovent*, ut natura producit *monstrum*, quod non *intendit*.

*Ob.*7. *Baptismus* nobis obsignat *regenerationem*, per quam *generationis* naturalis sordes abluuntur. Ergo *concupiscentia* hæc extinguitur in *renatis*, sic ut in *talibus* non potest esse *peccatum*.

Sol. Regeneratio ista *perficitur* non *simul* & *semel*, sed *gradatim*, per quam tollitur *reatus* à *persona*, ne illum *damnet*, non à *peccato*, ut non sit *damnabile*, Tolli igitur dicitur in *renatis*, non quia prorsus *eradicatur*, sed quia intervenit *venia*, ne noceat.

QUÆST.

QVÆSTIO VI.

An omne peccatum sit suâ naturâ mortale, & à Deo tantùm remissibile? Aff.

QVIA,

1. MInimum peccatum *execrationem* inducit, Deut. 27. 26. & *maledictus* omnis, qui non manserit in *omnibus*, quæ scripta sunt in *Libro* Legis, ut *faciat* ea, Gal. 3. 10. cujus non *Iota* vel *apex* violandum, quia qui solvit unum ex mandatis *minimis*, *minimus*, h.e. nullus erit in Regno cœlorum, Math. 5. 19. Deut. 27. 26. Gal. 3. 10.

2. Quisquis *totam legem* servaverit, impegerit autem in *uno*, damnas factus est *omnium*, Jac. 2. 10.

3. Omne *peccatum* est legis *transgressio*, 1. Ioh. 3. 4. qua *infiniti Legislatoris* autoritas violatur. Ergo *æternam* mortem demeretur.

4. Natura vel minimi peccati est *mortifera*, quia est *ejusdem rationis* cum *natura* peccati *atrocissimi*. Ergo implicat, ut ea ex parte *veniam* consequatur licet comparatè peccatum *levius*, graviori sit *minus* puniendum.

5. Ejusdem est *solvere*, cujus est *ligare*, sed obligat Dei tantum *mandatum*, ne *peccemus*. Ergo si *peccemus*, Deus *solummodo*, & non *alius* potest remittere, nisi ipsius *nomine*. Ego *sum*, qui deleo *iniquitates* tuas propter *me*, & *peccatorum* tuorum non recordabor, Isai. 43. 12.

6. Salvator probat hanc Judæorum Thesin Neminem posse peccata remittere nisi Deum, eoq; nomine probat se

autoritate

autoritatem habuisse *divinam*, quia peccata remittebat *Paralytico*, *Math.9.6.* Ergo *solius Dei* est vel *minimo peccato* veniam concedere.

7. Sanguis *Jesu Christi* Filii Dei mundat nos ab omni peccato, 1. Joh. 1.7. Ergo

Confiteor, tundo, conspergor, contero, fundo,
Signor, edo, dono, perq; hæc venialia pono.

Posita sunt tantùm *hypocriticè*, nisi à fide procedant, apprehendente & applicante Christi *propitiationem* pro omnibus peccatis nostris.

Objectiones.

Ob.1. QUædam tantùm peccata *gehennæ* addicuntur, *Mat.5.23.* Ergo *leviora* eximuntur ab *infernali pœna.* Ergo non sunt *suâ Naturâ* mortalia.

Sol. Parabolæ non urgenda sunt *verba* & *circumstantiæ*, sed *scopus.* Scopus autem *Servatoris* erat, ostendere *homicidium*, non tantùm consistere in *actu occidendi*, sed in *irritantibus contumeliis*, quæ licèt *peccata* sunt *leviora* patrato *homicidio*, reum tamen peragunt *violati mandati*, quod *æternum* supplicium meretur, licet non æquè *grave.*

Ob.2. Fœnum & *stipulæ* non condemnant, *detrimentum* enim patietur, *ipse* autem qui ista congerit, *salvus* erit, sic tamen quasi per ignem, 1.Cor.3.15. Ergo naturâ suâ non videntur hujusmodi esse gehennæ pabulum.

Sol. Non quæritur de *successu peccatoris*, sed *peccati demerito*, *condemnabile* est semper *peccatum*, licèt interveniente *resipiscentiâ* & misericordiâ, *peccatum* actu non condemnet.

Ob.3. Invincibilis *ignorantia*, ut peccatum *Abimelech*, Gen.20.4.6. & talia quæ Deus non respexit, Act. 17.30. sunt *venialia*, idq; naturâ suâ, quia ita Deus de facto *Abimelech*, scio (inquit) te in *integritate* cordis tui feciste *illud.* ideoq; *cohibui* te, ne *peccares* in me, Gen. 20.6.

Sol.

Sol. Invincibilis *Ignorantia*, excuſet à *tanto* non à *toto* (ut loquuntur Scholæ) *Abimelecum* labentē retraxit *Deus*, ne ulteriùs corrueret. Talia autem non ex *natura* ſua, ſed Dei *miſerecordia*, vel ex hominum *indulgentia*, non ex divinæ Juſtitiæ ſeveritate. In foro (ut loquuntur) *ſoli* non *poli venialia* habeantur.

Ob. 4. Datur *peccatum* non ad *mortem*. 1. Joh. 5. 17. ex quo *minimus* fit quiſpiam in *regno* cœlorum. *Mat.* 5, 19. Sed non *excluſus* à *regno*. Ergo hujuſmodi *peccata* non ſunt *mortalia*.

Sol. Non ad *mortem* dicitur, non quia tale eſt *ſuâ naturâ*, ſed ex *eventu*, ut opponitur peccato ad *mortem*, pro quo non eſt *orandum*, & *minimus* in regno cœlorum, ſenſu *Servatoris* eſt *nullus*.

Ob. 5. Quædam *peccata* expiari potuiſſent per *ceremonialia* Act. 13. 39. & per *eleemoſynas* redimi. *Dan.* 4. 27. Ergo fuerunt *venialia*.

Sol. Ceremoniæ adumbrabant *Chriſtum*, ſine quo nec *valebant* eleemoſynæ. 2. Eleemoſynæ abrumpunt *progreſſum* in *peccando*, non expiant *peccatum*.

Ob. 6. Ligata, & ſoluta à *miniſtris* in terrâ, ita *ligata* & ſoluta erunt in cœlis. *Mat.* 18. 18. & 19. 9. *Joh.* 20. 23. Ergo poſſunt *Sacerdotes*, præſertim *confitentibus*, *veniam* concedere, & ſolus *Deus* non remittit.

Sol. Abſolutio eſt *authoritativa* ſolius *Dei*, *miniſterialis* verò *præconum* Evangelii, qui remittunt pœnas *infligendas* ab *Eccleſia*, in cauſa *ſcandali*, quoad *cenſuras*, & *mulctam*, non *reatum peccati*, ut à *Deo* non puniatur, & *miniſtrorum* eſt ex *officio*, ſic *declarare* & *pronunciare* pœnitentibus *remiſſionem*, aliorum vero, ex *charitate*, & *occaſionaliter*.

Ob. 7. Patres, & *peccatum veniale*, & abſolutionem *ſacerdotalem* conſtanter aſſerunt.

Sol. Sed non *ſenſu Pontificio*; quòd ſit tale *ſuâ naturâ*, verùm quoad *eventum*, quia fidelis ob *commiſſum* impetrat *veniam*, 2. vel ſaltèm, quia *huiuſmodi* poteſt eſſe *delictum*, quod

benevolentia *humana* possit excusare. August. Enchirid. C. 22. juxta illud *Prudentii*.

——— *Te Judice eodem*
Spem capio fore quicquid ago veniabile apud te,
Quamlibet indignum venia, faciamve, loquarve.

Unde patet illos non absolutionem aliam unquam Agnovisse, præter *declarativam*, & *ministerialem*.

QVÆST.

QVÆSTIO VII.

An peccatum in S. Stum nunquam veniam consequatur? Aff.

QVIA,

1. QVisquis locutus fuerit *adversus* S. Stum, non *remittitur* ei, neq; in *hoc sæculo*, neq; in *futuro*, *Mat.* 12. 32.

2. Qui *blasphemaverit* S. Stum, non habet *remissionem* in *æternum*, sed *damnas* erit *æterni judicii*, *Mar.* 3. 29. *Luc.* 12. 10.

3. Impossibile est, ut sic *apostatantes* ad pœnitentiam *renoventur*, quia *crucifigunt* sibi ipsis *filium Dei*, & ad *ignominiam* exponunt. Heb. 6. 6.

4. Sic *prævaricantibus* nulla relinquitur *hostia*, sed horrenda quædam *judicii* expectatio, & *ignis fervor*, qui *devoraturus* est *adversarios*, Heb. 10. 26. 27.

5. Est illud *peccatum ad mortem*. 1. *Joh.* 5. 16. Ergo *æterna morte* puniendum.

6. Pro quo non *est orandum*, ibid. Ergo talis peccator est *conclamatæ spei*, & *deploratæ* salutis.

7. Excludit *ultimum* salutis *medium*, quia *sanguinem* pacti *profanum* ducit, & *Spiritum* gratiæ *contumelia afficit*. Heb. 10. 29. Ergo *impossibile* est ut remissionem & salutem consequatur.

Objectiones.

Ob. 1. NOlo *mortem peccatoris, Ezechiel.* 18. 32. Ergo nec *illius*, qui in *S. S.* peccaverit.

Sol. Nempe *pœnitentiam* agentis, sed *huic peccato* adhæret, 1. *finalis impœnitentia*, 2. *præsumptio*, 3. *obstinacia*, 4. *impugnatio* agnitæ veritatis, 5. *desperatio*, 6. *invidentia* fraternæ gratiæ, 7. transitus à *Christianismo* ad *Judaismum*, *Turcismum*, *Ethnicismum*, aut *Atheismum*, ex quibus *omnibus*, vel *aliquibus* conflatur, confer. *Aq.* 2. 2æ q. 14. *Ar.* 2.

Ob. 2. Quorum *remiseritis* peccata, *remittuntur* ijs, hoc *promissum Apostolis*, *Joh.* 20. 23. *Math.* 18. 18. & eorum *successoribus*, Ergo *Sacerdotes* hodiè possunt *peccatum* in S. S. remittere, alitèr non valeret hæc *promissio*.

Sol. Remissio talis præsupponit *resipiscentiam*, quam *peccatores* in S. S. nunquam *assequuntur*.

Ob. 3. Quodcunq; *solveris* in terra, *solutum* erit in *Cœlo*, *Math.* 16. 19. Hoc concessum erat *Petro*, & *Successoribus*. Ergo *Papa*, & *Episcopi* saltèm possunt hoc *peccatum* remittere.

Sol. Quodcunq; solvitur in terris per *claves Cœlestes*, datas à *Christo* juxta *verbum* ipsius, *solutum* erit à *Deo*, sed *claves papalium indulgentiarum* non aperiunt hanc *seram*, nec *claves* verbi divini, ubi opponitur ab *obstinato obex*, sive *pessulum*.

Ob. 4. Usq; ad *septuagies* septies indefinitè peccata sunt *remittenda*, *Mat.* 18. 22. Ergo etiam *hoc peccatum* inter cætera, Ergo etiam à *Deo* remittetur, quia promptior est ad *remittendum*, quam homines.

Sol. Remittendum est peccatum *pœnitentibus* in *Ecclesiâ*, sed *hoc* peccatum, quia excluſit *Deum* unà cum *Ecclesiâ*, & *pœnitentia*; excluſit *peccatorem* ab omnibus remissionis *mediis*.

Ob. 5. Paulus *vastans Ecclesiam*, Petrus *negans* Dominum contra *conscientiam*, consecuti sunt *misericordiam*, sed isti *peccarunt*

arunt in S. Stum, Ergo hoc *peccatum* est *remissibile*.

Sol. Paulus fecit *ex ignorantia*, *Petrus* ex *infirmitate*, & *pœnitentiam* postea egerunt, sed hoc *peccatum* est ex *destinata malitia*, ut *Judæ*, & *Juliani apostatæ*, quæ dedignatur pœnitentiam, & accumulat semper iram in diem iræ, Rom. 2. 5.

Ob. 6. Patres *asserunt* hujus peccati *remissibilitatem*, De nullo *desperandum* est (inquit *August*) de verb. *Dom.* Ser. 11. quia Deus *sanat omnes infirmitates*, Psal. 103. 3. & *propitiatur omnibus iniquitatibus*, & *potens* est *confractos* ramos oleæ rursus *inserere*. Rom. 11. 23. Ergo & *restituere* peccantem in S. Stum.

Sol. De nullo *desperandum* est, qui de *seipso* non *desperat*, 2. Sanat Deus omnes *infirmitates*, sed non obstinatas *malitias*, 3. non quæritur de Dei *potentia*, sed *voluntate*. Remissibile est *peccatum* ex parte *Dei*, sed non *rei*, ideoq; dicitur, Non *remittetur* actu, non *irremissibile* potentiâ, non negatur *posse remitti*, Potest *remitti*, si Deo *placuerit*.

Ob. 7. *Scholastici* huic peccato concedunt *extraordinariam remissionem*, Ergo actu potest remitti *extraordinario*, Aq. 22æ. q. 14.

Sol. Si aliquod peccatum *gravissimum* & *atrocissimum* actu remittetur, inde apparet, illud non fuisse *peccatum* hoc in S. S. dequo agitur: hoc enim *peccatum* videtur *non morum*, sed *fidei*, cum aliquis sic prorsus ex *destinata malitia* deserit *Christum*, & S. Sti. *ultimum ductum*; & transit in *Atheismũ*, seu *infidelitatem*, nam talis se privat *omnibus* salutis *mediis*, unde implicat, ut salutem consequatur. Confer. *Bucan.* Loc. 17. Sed præcipuè *Doctissimum Brochmandum* Selandiæ *Episcopum* Systemat. Theolog. vniversi. De peccat. Cap. 8ui. Q. 10. &c,

CAP. IV.

De ECCLESIA.

EX *Massa* peccati *Deus* pro infinita sua misericordia, quos voluit, evocavit, qui coetus *evocatorum* dicitur *Ecclesia*. 2. Est autem *Ecclesia* certus electorum *numerus* per æternum Dei *decretum* Prædestinatus, non ex prævisa *fide*, vel *operibus*, sed ex mero ipsius Beneplacito, ut conformes fierent *filio* ipsius, & ita *evocati*, *justificati*, & *sanctificati*, æternam tandem consequerentur *gloriam*. 3. Relictis interim in *sordibus* (in quas seipsos præcipitassent) *Reprobis*, ut *ob*, *per*, vel *propter peccata sua* justissimè damnarentur.

In *Ecclesia* despicienda sunt ipsius
1. *Natura*.
2. *Membra*.
3. *Disciplina*.

De

De ejus *Natura* præcipuè occurrunt discutienda.

An
1. *Ecclesia sit certus Electorum numerus ex massa peccati, pro mero Dei Beneplacito, totalitèr & finalitèr à Gratia nunquam excidens?*
2. *Ecclesia electorum in Militantem & Triumphantem rectè dividatur?*
3. *Ecclesia Militans semper sit gloriosè visibilis?*
3. *Visibilis Ecclesiæ cujusvis Determinatio in rebus fidei, sive in Concilio, sive alias, errori & examini sit subjecta?*
5. *Penes Concilium generale sit suprema in terris litium Ecclesiasticarum Decisio?*
6. *Ordinata Evangelii promulgatio, & solennis Sacramentorum administratio, in publicis conventibus, characteres sunt præcipui visibilis alicujus Ecclesiæ?*
7. *Extra Ecclesiam Catholicam salus unicuiq; in sua Religione sit expectanda?*

QUÆST.

QVÆSTIO I.

An Ecclesia sit certus prædestinatorum numerus, ex mero Dei beneplacito, finaliter aut totaliter à gratia nunquam excidens? Aff.

QVIA.

1. ELegit nos in *Christo* ante *jactum* mundi *fundamentum*, & ----- *Prædestinavit* pro sua *voluntate benevola* ----- secundum *propositum* ejus, qui *operatur omnia* secundum *concilium voluntatis* suæ, *Ephes.* 1. 4. 5. 11. Ergo ex *Electis* constat *Ecclesia*, qui *tales* fiunt, non ab externo aliquo *motivo*, sed ex *mero* Dei *Beneplacito*, quod firmatur.

2. Nondum *natis pueris*, & cum *nihil fecissent* boni, & mali, ut *propositum Dei*, quod est *secundum* ipsius *electionem*, non ex *operibus*, sed ex *vocante firmum* maneret, *dictum* est *Major serviet minori*, Rom. 9. 11. 12. Ergo *electio* non est *volentis* neq; *currentis*, sed *miserentis* Dei, v. 16. Qui cujus *vult miseretur*, & quem vult *indurat*, v. 18. pro *jure* suo in creaturas, quod infinities *majus est*, quàm *figuli* in *suum lutum* v. 21.

3. *Servavit* nos, & *vocavit* nos vocatione sancta, non ex *operibus* nostris, sed secundum *propositum* suum, & *gratiam*, quæ data est *nobis* in *Christo* Iesu ante *tempora secularia*, 2. Tim. 1. 9.

4. Quos præscivit, illos *Prædestinavit*, *conformandos imagini filii sui*, quos *Prædestinavit*, hos & *vocavit*, *justificavit*, *glorificavit*,

rificavit, juxta catenam *Apostoli*, Rom. 8. 28, 29, 30.

5. Impossibile est, ut *electi seducantur*. Mat. 24. 24. Mar. 13. 22. Ergo non possunt *excidere* à *gratia*, quia *illos* & non *alios*, quos *prædestinavit*, *vocavit*, *justificavit*, *glorificavit*, illo *utiq;* fine, qui non habet finem, ut habet *Augustinus*. *De Prædest. Sanct. c. 17.*

6. De eisdem *solidum stat Dei fundamentum* habens *sigillum* hoc, *Novit Dominus eos, qui sunt sui*. 2. Tim. 2. 19. quos *Datos* à *Patre*, *custodit filius*, ut *vitam* consequantur *æternam*. Io. 17. 2. 6. 9. 11. 20. & non *rapiet eos quispiam* è manu ipsius, Jo. 10. 28.

7. Qui natus est ex Deo, *peccatum* non *facit*, quoniam *semen* ipsius in eo *manet*, nec potest *peccare*, eò quod ex Deo *natus est*, 1. Joh. 3. 9. Ergo *finaliter* aut *totaliter* non *excidat*.

Objectiones.

Ob. 1. DEus elegit συμμόρφους quos *præscivit* conformes futuros *filio* suo. Ergo ex *præviſis operibus* Rom. 8. 29.

Sol. Indicantur ibidem *prædestinationis effectus*, & *media*, non *causæ*, aut *motiva*. 2. ut pateat, *ad quid prædestinamur*, & quibus *mediis* (nempe per *conformitatem* cum *Christo*) ad *gloriam* perveniamus, non ostenditur *quare* Deus *hunc* præ *alio* prædestinavit, quod controvertitur.

Ob. 2. Electio fit ex *præcognitione* Dei *patris* ad *sanctificationem spiritus*, qui nihil aliud intueri potuit, præter *fidem* in Christi *obedientiam*, & sanguinis *aspersionem*, 1. Pet. 1. 2. Ergo *prævisa fides* rectè estimetur *electionis motivum*, potiùs quam *medium*.

Sol. Non respexisse Deum *fidem*, ut *causam electionis*, sed ut executionis *medium*, ostendit textus *œconomia*, ubi totius *Trinitatis* dispositio quoad *efficientem media*, & *finem* dilucidè explicatur.

Ob. 3. *Elegit* nos Deus sicut *benedixit*. Eph. 1. 3. Sed

Christus est causa *benedictionis*, ibidem 4. Ergo est causa, cur *Deus* aliquem prædestinaverit.

Sol. Includitur *Christus* non ut *motivum electionis*, sed ut caput *mediorum* in exequendo.

Ob. 4. Decretum *electionis* comprehendit tantùm eos, qui *Deum diligunt*. Rom. 8. 28. hoc est *Sanctos*, & *fideles*, Eph. 1. 1. qui *credituri sunt*. 1. Tim. 1. 16. quia sine *fide impossibile* est Deo *placere*. *Heb.* 11. 6. Ergo nullos elegit sine prævio *fidei* & *dilectionis* intuitu, aut reprobavit ex mero beneplacito.

Sol. Includuntur hæc omnia ut ad salutem *media*, non ut electionis *motiva*. 2. Duplex est amor *Benificentiæ gratuitæ* ex amantis *dignatione*, aut *Complacentiæ*, ex *amati dignitate*. Placeat aliquis Deo ex *sua beneficentia*, ut *postèa* fiat *fidelis*, non quia fuit *anteà fidelis*, ideo Deo placuit. *Quales* igitur Deo placent, non *Quare* Deus elegit ut placerent, ex talibus infertur.

Ob. 5. Quod facit Deus *in tempore* illud decrevit *facere ab æterno*. Sed in tempore servat per *fidem* in *Christo*. Ergo propter *fidem* in Christo decrevit sic facere.

Sol. Alia est *decreti*, alia *executionis* ratio. Decrevit *Deus* servare per *fidem* ut *medium* ad salutem, non ob *fidem* ut decreti *causam*. 2. Decrevit servare *fideles*, sed non *quia tales* hoc decrevit, sed quia hoc *ipsi placuit*, sic ut fides sit causa instrumentalis *salutis*, non *procatarctica*, multo minùs *prægumena decreti*.

Ob. 6. Pugnat hæc doctrina cum *natura Dei*, qui non est 1. προσωποληπτης *Act.* 10. 34. 2. nec aliquem *deserit*, priusquam *deseratur*. 3. nec vult peccatum aut *peccatoris* mortem. Ezech 18. 20. & 33. 11.

Sol. Προσωποληψια culpanda est in *judicialibus*, non in *gratuitis*. 2. Deseruissent omnes *Deum* in *Adami lapsu*, unde omnes erant *condemnabiles*, *summæ* Ergo erat *misericordiæ* divinæ aliquos eximere per *electionem*, & *justitiæ*, alios in *sordibus* à se contractis relinquere, per *præteritionem*, seu *Reprobationem*. Cur autem *hos* potiùs quàm *illos* eligeret, vel *præterierit*

non

non invenitur *causa* alia, præter *liberrimam* εὐδοκίαν, eodem autem Actu, quo hos elegit, alios præterit, sic ut si detur electio *absoluta* à *motivis* non *Medijs*, necesse est, ut concedatur *Absoluta Reprobatio*. 3. ubi *Peccatum* rectè dicatur *Casus Reprobi*, non *causa Reprobationis*. Ut autem elegit Deus *aliquos*, ut *essent fideles*, non quia *erant fideles*, vel futuri erant, nisi ex *gratuita* ipsius donatione: Ita neminem *actu* damnat, nisi *præcedente peccato*, Reprobatio enim nil ponit in reprobato, sed relinquit, ut invenit in *sordibus*, quas in *ruinam propriam* contraxerat.

Ob. 7. Evertit hæc doctrina, *Pietatis* studium. 2. præcipitat *conscientias*, avertitq; eos qui *extra sunt*, & *Christianos* inter se committit, Ergo nulletenùs est ferenda.

Sol. Vitio hoc fit *hominum*, non vanitate *doctrinæ*, quâ rectè intellectâ *fiduciam* auget in salutis *certitudine*, ex indubitatis *criterijs*. 2. Tranquillat *conscientiam*, in Dei conservantis *immutabilitate*, excitat nos ad *media amplectienda* & *persequenda*, per quæ decrevit *Deus*, ut ad *salutem* perveniamus. Cumq; decretum hoc de *quolibet Individuo* sit Deo *tantummodò* notum, bene sperare *omnes jubet* de *seipsis*, & aliis, utcunq; *deviantibus*. Nam quis scit (secum quisque reputet) quid Deus de *nobis determinaverit*? siquidem qui nunc avertit faciem, potest *me* vel *alios* revocare, prout ipse *decreverit*, quando ipsi *visum* fuerit. Confer. de Absoluto Reprobationis Decret. Lect. nostram primam.

QVÆST. II.

An Ecclesia electorùm in militantem & triumphantem rectè dividatur? Aff. contra Socinianos.

QVIA,

1. OMnes animæ, ut *Abraham*, *Isaac*, & *Jacob* post *dissolutionem* à corpore, vivunt Deo. Luc. 20. 37. vivunt ergo ut membra alicujus *Ecclesiæ*, Sed non *militantis* hic, ergo *triumphantis* in cœlis, nec sufficit dicere ipsos *vivere*, quia *victuri* sunt post *resurrectionem*, nam ζῶσιν (inquit Textus) *actu* vivunt, id est non desinunt *esse* vel *subsistere* inter *dissolutionem*, & *resurrectionem* corporis.

2. Christus pollicetur *latroni*. Amen dico tibi. *Hodie mecum eris in Paradiso*. Luc. 23. 43. Non secundum *corpus* proculdubio, sed animam, Animæ igitur in Domino *morientium* transeunt in sedes *Beatorum*, cum omnium eadem sit ratio (ubi aggregatè triumphantem constituunt Ecclesiam) nec valet κρησφύγετον *Smalcii* à priscis emendicatum. Ego dico *Tibi hodie*, (ubi ponatur *distinctio*) & eris *mecum in Paradiso*, nempe post *diem Judicii*. Nam evertit hoc, 1. lectio *Syriaca*. Ego dico *tibi*, quia *hodie* eris mecum in Paradiso. & 2. *Hodie*] illud *Salvatoris* respondet *Quando*] latronis. Siquidem illud *Quando* erit *Hodie*.

3. *Paulus* cupit dissolvi. *Phil.* 1. 23. Sed cur? Ut *anima* ejus *soluta* triumpharet in *cœlis* cum *Christo*, non ut *extingueretur*, vel dormiret, vel deferatur hic triumphus, usq; ad ultimum *Judicium*, quod & confirmat ultima vox *Stephani*, *spiritum*

spiritum, non deponentis in Cœmiterio, sed *resignantis* in Christi *manus*. Act. 7. 59. Et *Angeli* promulgatio *Beati ἀπάρτι* Ab *hoc tempore*, qui in Domino *moriuntur*, ob requiem ipsis *concessam*, & operum *retributionem* ex Dei *misericordia*, quæ extinctis *animabus* aut *dormientibus*, nil omninò conferant. Apoc. 14. 13.

4. Hoc ad *oculum* quasi repræsentat *Abrahæ* & *epulonis* diversa conditio, Luc. 16. 19. nec obstat, quod sit *parabola*, nam licet omnes *circumstantiæ* non quadrent, ut de digito *Lazari*, & lingua *Divitis*, & hujusmodi, *scopus* tamen concludit, non *expectandam* esse à vivis mortuorum *institutionem*, 2. & ista habenda inter *credita* & *concessa*, dari *cœlum* & *infernum*, & hujus *gaudium* triumphale, illius vero *supplicium* exitiale.

5. Triumphans hæc *Ecclesia* graphicè delineatur in *turba* ista innumera, quæ evasisset *afflictiones*, & in sanguine agni *dealbasset stolas*; cujus sub *æterno* triumphant umbraculo. Apoc. 7. 9. &c. quod nisi de *triumphante* Ecclesia *intelligi* non possit.

6. Militantis Ecclesiæ *perpetuitas* stabilitur, Mat. 28. 20. Ego sum *vobiscum* usq; ad *consummationem* sæculi 2. Portæ inferorum non prævalebunt contra eam, *Mat.* 1. 6, 18. 3. Sinite *Zizania* crescere usq; ad *Messem*. Mat. 13. 30. quæ competunt regno spirituali à Daniele *delineato*. cap. 2. 44. Luc. 1. 33. h. e. *Militanti* Ecclesiæ.

7. Aliter Christus *sponsa* destitueretur in *terris*, & regno excideret ob defectum *subditorum*. Contra illud. *Eph.* 5. 27. Seipsum tradidit pro *ea*, ut eam sisteret sibi *gloriosam Ecclesiam*, non habentem *maculam* aut rugam. V. 25. 26. 27. & illud *Pauli*. Nunquid Deus *repulit* populum suum, *Rom.* 11. 1.

Objiciunt Sociniani, Arminiani, Anabaptistæ, Arabici.

Ob. 1. MOrtui amplius *non sunt*, Mat. 2. 18. Ergo non possunt Ecclesiam *triumphantem* constituere.

Sol. Non sunt *personæ*, ut antea erant, hoc tamen non *obstat*, quo minus *partes* separatim maneant. 2. Non sunt. i.e. *matri solamini*, quia inter *vivos* esse *desierunt*, utcunq; autem corpus *occidatur*, anima non potest. Mat. 10. 28. unde post mortē apparent *Moses* & *Elias* animati. Mat. 17. 3. & memi-nit *Petrus animarum* incarceratarum. 1. Pet. 3. 19.

Ob. 2. Suscitatio defertur ad *ultimum diem*. Jo. 6. 39. 40. ut & *vivificatio* ad *adventum* Christi. 1. *Cor.* 15. 23. Ergo in illo *interstitio* inter diem *Judicii*, & *mortem*, animæ *dormiunt*, aut plane *esse desierunt*, tum demùm *suscitandi* & *vivificandi*.

Sol. Suscitatio ista consistit non in animæ *vivificatione*, sed in *unione* rursus cum *corpore*, unde ad vitam restituitur persona.

Ob. 3. Mortui nil *noverunt* amplius, nec habent *ultra mercedem*. Eccles. 9. 7. Ergo *Ecclesia triumphans* non potest ex his coalescere.

Sol. Vel dicta hæc erant sub persona *voluptuarii*, qui de *sensibilibus* tantùm præsentibus philosophatur, 2, vel mortui nil *sciunt*, non *simpliciter*, sed de hujusmundi *negotiis* quia aliis occupantur, nec *mercedem* hic habituri sunt, quia ibidem illis reponitur. 3. Vel ex *externis eventibus* non æstimandus est *piorum* & *impiorum* status, flentibus enim & extremum quasi spirantibus Judæis celebrant *Assuerus* & *Haman* convivium. Hesth. 3. 15.

Ob. 4. Unus est interitus *hominum* & *jumentorum*, & æqua utriusq; conditio, sicut *moritur homo*, sic & *ista moriuntur*, similiter *spirant omnia*, & nihil habet homo *jumento* amplius, Eccles.

clesi. 3. 19. & Quis scit an *spiritus* hominum ascendat sursum & spiritus *jumentorum* deorsum ibid. v. 21. At spiritus *jumentorum separati* non vivunt. Ergo nec hominum.

Sol. Eadem est conditio *Brutorum* & hominum, quoad *externam mutabilitatem* & *vanitatem* hujus vitæ; in quibus *conferuntur* ab *Ecclesiaste*, non quoad *futuram fœlicitatem*, aut *infœlicitatem* in alio *sæculo*, 2. & *nemo novit* ex sensu externo, sed ex fide quid interest inter *spiritum hominis* & *bestiæ*, post ipsius à corpore *dissolutionem*.

Ob. 5. Injuriosum videtur *Triumphantes* in cœlis ad *judicium* & *examen* retrahere, & *præposterum* antea condemnatis, ulteriorem ferre sententiam. Ergo in die tantum *ultimo* omnes animæ subibunt *judicium*, cum rursus corporibus uniuntur.

Sol. Judicium hoc *publicum* totius *personæ*, & privatum illud, quod antecesserat *animæ*, non mutat aliquid, sed perficit & absolvit quod erat inchoatum, sine cujuspiam injuria.

Ob. 6. Si *animæ* eorum *triumphent* in cœlis, magno cum suo incommodo, revocati fuerunt *Lazarus* & *Tabitha* post mortem ad *irrequietam* hujus sæculi *militiam*, quod Dei *bonitati* non videtur convenire.

Sol. Extraordinaria *regulam* non constituunt, nec restitutio *Lazari* aut *Tabithæ* in vitam, ipsorum obfuit *fœlicitati*, quæ in tantum cesserit honorem *Salvatoris*.

Ob. 7. Patres *defuncti* ante Christi *adventum* non obtinuerunt *promissiones*, Heb. 11. 39. Ergo nec *animæ piorum* jam à corpore *separatæ*, quoniam eorum omnium *eadem* est ratio.

Sol. Non loquitur *Textus* de promissionibus *gloriæ*, sed ἐπαγγελίας de *Christo incarnato*, h. e. *Christum* non viderunt *missum*, quem præviderunt *promissum*. Non excluſi tamen fuerunt ab *incarnationis* beneficio, sed *reservati* ad illud, ut nobiscum *consummarentur*. v. 40.

QUÆST.

QVÆSTIO. III.

An Ecclesia militans semper sit gloriosè visibilis? Neg.
Contra Pontificios.

QVIA.

1. Ecclesia militans est vel *Catholica*, vel *particularis*. Catholica non est omnino *visibilis* oculis corporeis, quia *fidei* est objectum. Credo *Ecclesiam Catholicam*, in Symbolo Apostolico, & fides est *argumentum non apparentium*. Heb. 11. 1. *Particulares* autem omnes *Ecclesiæ* defectibus, & *mutationibus* sunt subjectæ, ut 7 *Ecclesiæ Asiaticæ*, Apoc. 1. 2. & istæ *Ecclesiæ Corinthiaca, Galatarum* &c. Et, reliquæ, ad quas scripsit S. *Paulus* Epistolas, Ergo nulla fuit *semper* gloriosè *visibilis* Ecclesia.

2. Non veniet *regnum Dei*, ita ut *observari* possit, neq; dicent, esse *hic*, aut esse *illic*, regnum enim Dei intra *vos est*, Luc. 17. 20. sed istud *regnum Dei* est *Ecclesia* Dei militans. Ergo non ex *pompa*, aut splendore externo est *æstimandum*, quæ patent oculis, sed ex *unione interna* cum *Christo* per fidem, & *communione* cum *proximis* per *charitatem*, & *consensu* cum verbo Dei quoad doctrinam.

3. Ecclesia est *corpus* Christi *mysticum*, 1. Cor. 12. 27. Eph. 1. 23. *Domus Dei spiritualis*, 1. Pet. 2. 5. Et non est Judæus, qui in *præputio* est, sed qualis est in *abscondito*, cujus laus non ab *hominibus*, sed ex Deo est, *Rom.* 2. 28, 29. Atqui talia *mystica* & spiritualia *aspectum* effugiunt. Ergo non sunt *gloriosè* visibilia.

4. Novit

4. Novit *tantùm Dominus*, qui sunt *sui*. 2. Tim. 2. 19. unde numerus istæ dicitur *hortus conclusus*, & *fons signatus* in Canticis, adeò ut de *membris* hujus Ecclesiæ nemo nisi ex *effectis* fidei & *charitatis* judicare possit. Aug. cont. *Donatistas*. l. 5. c. 2. intuetur enim Dominus non πρόσωπον, sed καρδιαν. 1. Sam. 16. 7. ideoq; *templum* quod hominibus videatur *speciosum* & *spatiosum*, à Domino visitante *spelunca latronum* inveniatur.

5. Prædicit *Christus* discipulis. *Amen* dico vobis, quia *plorabilis*, & *flebitis* vos, mundus autem *gaudebit*, Joh. 16. 20. 33. In mundo *pressuram habebitis*. Per multas *tribulationes* oportet nos intrare in regnum Dei, Act. 14. 22. Omnes qui *piè vivere volunt in Christo Jesu*, persecutionem patientur 2. Tim. 3. 12. ut sub *Pharaone*, *Nebuchadnezar*, *Antiocho*, Ecclesia Judaica. Sub *Ethnicis*, *hæreticis*, & *Antichristi* tyrannide Ecclesia Christiana, Quomodo igitur *felicitas externa temporalis*, quâ mundo fiat *visibilis*, vera ejus potest esse nota, ut vult *Bellarminus*, cum in hac *visibilitate* cedat hodie *Romana* Ecclesia *Mahumetanis* & *Ethnicis*.

6. Septem ista hominum *millia*, qui *Eliam* Prophetam latebant, veram constituebant *Ecclesiam*. 1. Reg. 19. 18. At in *publicum* non prodibant aspectum, ut essent *Ecclesia visibilis*. Ergo concedenda est aliqua *Ecclesia invisibilis*, non *in se*, sed *mundo*, quæ tantùm abest, ut sit *gloriosè* conspicua, ut locum ubi *caput* reclinet, cum servatore non inveniat.

7. Mulier fugit in *Eremum*, ibiq; latitat, *Draco* illam persequitur ut ποταμοφορητὸν eam efficiat, *Apoc.* 12. 15. h. e. *fluminе* ab eo *egesto* absorbeat. 2. Conculcanda est *Civitas sancta* ab hostibus, Apoc. 11. 2. 3. Occupabit ἄνομος iste *templum Dei*, 2. Thess. 2. 8. & *magnos* & *parvos* coget ad ipsius obsequium, aut *interficiet*. Apoc. 13. 15. Atquî ista omnia *certamina* & afflictiones prædicunt *militanti Ecclesiæ*. Ergo non *expectandum* est, ut ea sit in hoc mundo gloriosè visibilis, sed ut *Luna*, (cui conferunt illam *Patres*) modo nube *obducta*, modò *corniculata*, aut *dimidiata*, modò *laborans* sub *Ecclipsi* observetur.

Objectiones.

Ob. IN sole posuit *Tabernaculum* suum, Psal. 19.5. h.e. in manifesto posuit *Ecclesiam suam.* Aug. Bellar. de milit. Eccles. l. 3. c. 12. Ergo Ecclesia est semper *gloriosè* visibilis.

Sol. At *Sol* aliquoties *nubibus* occultatur, nonnunquam *Ecclipsin* patitur, quavis *nocte* sub *Horizonte* deprimitur, unde non semper gloriosè est conspicuus. 2. Textus non (ut *vulgaris*) *Hebraicè* sic se habet. *Soli* posuit Tabernaculum in ipsis, nempe in *cœlis.* Dedit *Deus* soli *locum glorioſum.* Quid hoc ad *Ecclesiam?* 3. *Augustini* accommodatio *Allegorica*, illustrat tantùm, non probat. Non negamus nos Ecclesiam *Catholicam* in multis *particularibus* esse *visibilem:* asserimus interim eam aliquando posse ad tales redigi *angustias*, ut *publicè* non appareat. Quemadmodum factum fuit in tempore *passionis Christi*, & futurum sub *Antichristo.* Nam cum venerit *filius* hominis, num *fidem* inveniet in *terra?* Luc. 18. 8.

Ob. 2. Civitas supra *montem* posita non potest *abscondi*, Mat. 5. 14. sic ut confluant ad eam *omnes gentes.* Isa. 2. 2. Sed ista *Civitas* est *Ecclesia.* Aug. de *unitate Ecclesiæ* cap. 14. Ergo *Ecclesia* non potest occultari.

Sol. Non *Ecclesiam*, sed *Apostolos* in primo isto loco respicit *Salvator*, quorum *doctrinam* & *conversationem* monet totius mundi censuris esse exposita, unde incumbit illis, ut *piè* & *sollicitè* se gerant. 2. *Mons* iste est *conspicuus* eum quærentibus in *Scripturis*, non in *pompatico* superstitiorum apparatu. 3. nihilominùs mons *talis* & *civitas* sic potest *nubibus* & *caligine* obduci, ut aliquoties *aspectum fugiat.*

Ob. 3. Atendite *vobis*, & *universo gregi*, in quo S. S. posuit vos *Episcopos*, regere *Ecclesiam Dei*, Act. 20. 28. Sed quomodo poterant regere *Ecclesiam* Dei, quam non noverant. *Bellarm.* V. S.

Sol.

Sol. Regunt Episcopi *Ecclesiam* quoad externam *professionem* & *disciplinam*, non quoad *internam* cum Christo *unionem*, ubi Rectores & *Subditi* possunt esse *Seductores*, & *Seducti*, ut videatur ibi *vera Ecclesia*, quæ non est 2. ubi non unus *Episcopus* Ecclesiam regit *Catholicam*, conspicuam & *gloriosam*, sed particularis *particularem* suam *Diocæsin*, pro ut S. Sto videbitur.

Ob. 4. Hæc tibi scribo *Fili Timothee*, ut scias quomodo te oportet *conversari* in *domo Dei*, quæ est *Ecclesia Dei* vivi, *columna*, & *stabilimentum veritatis*. 1. Tim. 3. 15. At sane non poterat in ea *conversari*, nisi sciret quænam esset, & *columna* & *firmamentum* sunt satis visibilia.

Sol. Non negaverit quispiam *Ecclesiam* aliquoties *florere*, in quâ pius *pastor* conspicuam navet operam, illud tamen non obstat, quo minùs percutiatur *pastor*, & distrahantur *oves*, dum *hypocritæ* Ecclesiæ obtrudunt *larvam* pro Christi *sponsa*, & *columnas* jactant, & *firmamenta*, absq; Scripturæ *fundamento*, sic ut talia *externa conspiciantur*, dum *opprimantur*, & lateant genuina membra vera Ecclesiæ.

Ob. 5. Dic Ecclesiæ, inquit *Salvator*, ubi finiantur *lites*, quod si litigantes *Ecclesiam* non *audiant*, sint tanquam *Ethnici* & *publicani*. *Mat.* 18. 17. At hoc fieri non potest, si *invisibilis* statuatur *Ecclesia*.

Sol. Per Ecclesiam hic *Salvator* non intelligit *Romanam*, quæ adhuc non vagiebat in *cunis*, sed quemlibet *particularem* cœtum, etiam ubi *duo* vel *tres* in nomine Domini *congregentur*, cujus litigantes sunt membra. V. 20. 2. Nil statuitur igitur hic, ut quelibet *particularis Ecclesia Romam* appellet, ut omnium *Dominam* spectatissimam, & *glorioßissimam* ad finiendas *lites*, cum duo vel tres juxta Domini *dictamen*, minori cum *molestia*, *strepitu* & impensis domi transigant negotium.

Ob. 6. Si opertum est *Evangelium nostrum*, iis qui pereunt *opertum est*. 2. Cor. 4. 3. Ecce *Pauli censuram* adversus omnes qui affirmant *Evangelium* posse abscondi.

Sol. Aliud est *Evangelium*, aliud *Ecclesia*, potest enim esse *factio* aliqua, *fastuosa* & *gloriosa*, quæ arroget sibi *nomen* Eccle-

siæ Catholicæ, dùm *Evangelium* è manibus expetentium prorsus subducat, aut commentis suis *traditionariis* penitùs *pervertat* & *abscondat*. Videat autem *Roma* ne pereat ob talem *impostu*ram. 2. Nec semper deprehenditur veram illic esse *Ecclesiam*, ubi cœtus aliqui *clamosiùs* crepant *Evangelium*. Videmus enim *cœtum hominum*, *qui* est *Ecclesia*, sed *quòd cœtus* iste sit *Ecclsia* non *videmus*, sed credimus, *Bell.* l. 3 de *milit. Eccl.* c. 15. Ergo *homines* tantum sunt objectum *visus*, *Ecclesia fidei*. Ergo *Ecclesia* quâ *Ecclesia* ex *Cardinalis* confessione non est *visibilis*, quòd nos verum esse contendimus.

Ob. 7. Si *Ecclesia* aliquando sit *invisibilis*, periclitabitur eorum salus, qui ab *extra* eam quærunt, vel cupiunt illi aggregari. 2. Deinde *invisibilis* ista *Ecclesia* vel *fidem* suam profitetur, vel *non*. Si *non*, non est *Ecclesia*, nam ut corde creditur ad *Justitiam*, sic ore fit confessio ad *salutem*. Rom. 10. Sin fidem *profiteatur*, quomodo est *invisibilis*?

Sol. Fidem profitetur *privatim*, ut potest, non *publicè* ut *cupit*, paratus semper ad *publicam* fidei *Apologiam*, & *Martyrium* ob eandem subeundum, si res exigerit. 1. Pet. 3. 15. 2. veritatem *profiteri* & *latere* non sunt ἀσύστατα, nam qui in *occulto*, cum aliter non potest, sic *profitetur*, palam à *Domino* remunerabitur. Summa est. Ecclesiæ *veritatem* non *æstimandam* esse ex *aspectabili*, & externa *pompa* & *gloria*, sed ex *pura* verbi *prædicatione*, & *sincera sacramentorum administratione*, juxta sacræ Scripturæ indubitatam *normam*, quod uberius patebit in *sequentibus*.

QVÆSTIO.

QVÆSTIO IV.

An Ecclesiæ visibilis determinatio, sive in Concilio, sive alias, sit errori, & examini subjecta? Aff.

QVIA.

OMnes homines *erroribus* sunt obnoxji, Rom. 3.4. 2. *Ex parte* tantum, scimus, & *ex parte* prophetamus. 1. Cor. 13.9. 3. Tu qui *fide* stas, noli *altum sapere*, sed *time*. Rom. 11. 20. & qui *existimat* stare, *videat* ne *cadat*, 1. Cor. 10. 12. Ergo vel *seorsim* vel *junctim* sumpti, omnes homines possunt *errâre*, *labi*, *decipi*,

2. Promissiones de *veritate* retinenda nou *absolutæ* sunt sed *conditionales*, ut *Dicebat*. Ergo *Jesus* ad eos qui *crediderunt* ei, si vos *manseritis* in *sermone meo*, vere *discipuli* mei *eritis*, & cognoscetis *veritatem*, & *veritas* liberabit vos. *Joh.* 8.31. quam neglexerunt conditionem, *multi discipulorum*, qui *pedem* retulerunt, nec *amplius* cum eo *versabantur*. Jo. 6.66.

3. De facto erravit U. T. *Ecclesia* in erigendo *vitulo aureo*. Exod. 32. 2. In *colendis idolis*, sic ut diu manserit *sine* Deo *vero*, & absq; *sacerdote*, *doctore*, & *absq; lege*. 2. Chron. 15. 3. Sic in N. T. sub *Apostolis*, Galatæ errarunt in *Justificationis*, Corinthii in *Resurrectionis* Articulo. Ergo hoc *Ecclesiis* cujusvis sœculi, potuit, & potest obvenire.

4. Prædictum erat à Servatore ut excitarentur *pseudochristi*, & *pseudoprophetæ*, & *ederent signa magna* & *prodigia*, ità ut seducant (si fieri possit) ipsos electos. Mat. 24. 24. sic à Paulo. Ego *scio* quoniam intrabunt post *discessionem meam* lupi

lupi graves intet vos, non *parcentes* gregi, & ex *vobis ipsis* exurgent viri loquentes *perversa*, ut discipulos post se *abstrahant*. Act. 20. 29. 30. 3. Nec aliter *Petrus*, fuerunt etiam *pseudoprophetæ* in *populo*, & inter vos *erunt falsi doctores*, qui subintroducent *hæreses exitiales*, & eum, qui emit eos Dominum negantes, quos sequentur multi, per quos via veritatis blasphemabitur fictis sermonibus, populum Dei negotiantes. 2. Pet. 2. 1. 2. 3. Ergo solicitè ab *unoquoque* omnia, pro cuiusq; *modulo* sunt *probanda*, ut quod bonum est retineant, 1. Thess. 5. 21.

5. Constat *Concilia generalia*, præcedentium *Conciliorum generalium* decreta in rebus ad *salutem* spectantibus *refixisse*, & *damnasse*, ut Concilium *Ariminense*, *Niceni* primi, *Chalcedonense*, *Ephesini* secundi, *Florentinum*, *Constantiense* & *Basilense* &c. sic *Orientialia* Occidentalibus, & *Papas* Papis contradicentes quis non observavit?

6. Jubemur *probare spiritus an* sint à Deo. 1. Joh. 4. 1. Scrutari *Scripturas*, Jo. 5. 39. & laudantur *Beræenses*, qui Doctrinam *Pauli* revocarunt ad Scripturæ *examen*, Act. 17. 11. Sed *Ecclesiæ* alicujus *infallibilitas* ista omnia excluderet, Ergo non est admittenda.

7. Si *infallibilis* sit Ecclesia, tum vel *Catholica*, vel aliqua *particularis*, sed de *Catholica* non est *controversia*, quæ includit *Christum* & *Apostolos* (& est omnium *locorum*, & *temporum*) nulli errori obnoxios, *Particularis* autem *quævis* ab *erroribus* non potest esse *immunis*, quia tum nunquam opus esset aliqua in illa *reformatione*, per *Concilia*, *Prælatos*, vel *Pastores*, quod est contra praxim ipsius *Romanæ Ecclesiæ*, quæ in *Concilio Tridentino* & aliàs, multa tàm in *moribus*, quam *doctrina*, reformanda decrevit.

Objectiones

Objectiones præcipuæ Pontificiorum.

Ob. 1. *Columna & firmamentum veritatis* non potest errare, nam ita citò rueret totum *ædificium*. Sed talis est Ecclesia. 1. Tim. 3. 16. Ergo non *potest errare*.

Sol. Textus hic *quamlibet Ecclesiam* æquè ac *Romanam* respicit, & *Ephesinam* potius, quam *Romanam*, quia *Timotheus* erat ipsius *Pastor*, eo tempore, quo *Paulus* hanc, ad illam scripsit *Epistolam*. 2. Annecti possunt hæc verba non *præcedenti* Ecclesiæ, sed *consequenti doctrinæ*, ut ita fluant. *Columna & firmamentum* veritatis & manifeste magnum pietatis mysterium, *Deum* manifestum esse in *carne*, justificatum in spiritu &c. 3. vel statuitur hic ipse *Timotheus columna & firmamentum veritatis*, juxta illud. Qui vicerit, faciam illum *columnam in templo Dei* mei, & *foràs* non egredietur amplius. Apoc. 3. 12. 4. vel ostendunt verba *ubi*, non *unde* quærenda sit *veritas*. Ubi? In *Ecclesia*. Unde? ex *Scriptura*, cujus *custos & præco* est *Ecclesia*. *Cameron.*

Ob. 2. Corpus *Christi* & *sponsa* non *errori* subjicitur, hoc enim cederet in *capitis & sponsi* opprobium; sed *Deus* dedit *Christum* caput super omnia ipsi *Ecclesiæ*, Ephes. 1. 22. 23. & 5. 23. Ergo Ecclesia non *potest errare*.

Sol. Haud aliter *Christus* est Ecclesiæ *caput*, quam vir *mulieris*, Ephes. 5. 23. at mulier semper *ductum* viri non sequitur. Ergo *viro* non *errante*, illa potest errare. 2. Alia est ratio membrorum corporis *Physici*, alia *mystici*; In *mystico* enim corpore quot *membra* sunt, tot possunt esse *voluntates* quæ *diversis* ferantur *motibus*, dum in *physico* membra singula ab una *voluntate* pendeant. Instant. Sed S. S. ducet *Ecclesiam* in omnem veritatem. *Joh.* 16. 13. *Resp.* Non dicit *Ecclesiam*, sed *vos*. i. e. *Apostolos* ducet in omnem *veritatem*, non omnes *successores* ad eandem *mensuram*; vel ducit *Ethicè*,

per-

per *præcepta* & *suasiones directivè*, non *physice*, & *effectivè* per *efficacem tractionem*. Unde cùm ad omnem *veritatem* S. S. ducat, pauciſſimi ſunt, qui ipſius *ductum* ſequantur, & *pauciores* forſan ex *Romana Hierarchia*, quàm ex aliis *obſcurioribus* Eccleſiis.

Ob. 3. Obligamur ſub *Anathematis* pœnâ credere *Eccleſiæ* in omnibus. Siquidèm *Eccleſiam* non *audiverit*, ſit tibi tanquam *Ethnicus*, & *Publicanus*. Mat. 18.17. At iniquum eſſet tam gravi pœna obligare ad *aſſentiendum* rebus *incertis*, & interdum *falſis*, *Bellarminus*.

Sol. Illud (*in omnibus*) Jeſuiticum eſt *additamentum*, non textus *firmamentum*. In omnibus autem obediendum eſt *Eccleſiæ* in *nomine* Chriſti congregatæ, & juxta *verbum* ipſius *præcipienti*, ibid. 20. non, coactæ cuivis *Synagogæ* ſua placita *intonanti* ſub *Anathematis* Fulmine, 2. loquitur *Textus* de *litibus privatis* componendis, non *publicis* fidei *negotiis*, Ubi minùs ſolet errare cætus quam *perſonæ* privatæ. 3. oſtendant *Papicolæ*, quare hoc (Dic *Eccleſiæ*) potius *Romanam*, quam *Anglicanam* aut quamvis *aliam* reſpiceret *Eccleſiam*, vel quo modo *diſſentientium* & *litigantium Eccleſiarum*, aut *Conciliorum* lites hoc *Dic Eccleſiæ* ſopiret.

Ob. 4. Eccleſia repræſentata in *Concilio* non poteſt *errare*, quia tum nil eſſet *certi*, quod populus ſequeretur, qui tamen tenetur ſuos ſequi *paſtores*. Qui *vos*, *audit me* audit. Luc. 10.16. & quæcunq; *dixerint facite*, Mat. 23.3.

Sol. In *Concilio* aliquoties *major* pars vincat *meliorem*; nõ neceſſe eſt igitur ut ad *Synodi* fiſtulã ſemper ſaltet *populus* qui nihilominùs ſemper inveniat aliquos *paſtores*, à partibus veritatis *proteſtantes*, adverſus *ſeductores*, & habet in medio Scripturæ *normam*, ad quam *expendant* cum *Beræenſibus* quicquid illis à *Prælatis* proponitur, 2. Tenetur igitur *populus* paſtores ſequi non *abſolutè*, dum *propria* cudunt *decreta*, ſed *conditionatè*, & *cautè*, quando quæ *Dei ſunt*, loquuntur 3. *Paſtores*, quos audiri vult *Chriſtus*, fuerunt *ſeptuaginta Diſcipuli* ab ipſo *immediatè* miſſi & inſtructi, quod omnibus *Succeſſoribus* non contigit. Nec *cathedram Moſis* occupantes

ulterius

ulterius fuerunt *audiendi*, quàm *Mosis* prædicarent *doctrinam*, quod ibidem per *cathedram* significatur; Alias *fermentum* ipsorum *cavendum* præcipit *Dominus*, Mat. 16.6. Eosq; *proprias* urgentes *Traditiones*, *cæcos*, & *stultos* appellat. Mat. 23. 17. Privilegium est igitur *doctrinæ Mosaicæ*, ut non esset *erronea*, non *Doctorum*, ut illi non *errarent*.

Ob. 5. Spiritus S. ita *papali cathedræ* alligatur, & assistit, ut licèt æque impius sit *Papa* ac *Caiaphas*, quia *Pontifex* tamen & *Petri Successor*, non potest aliquid contra *fidem* & mores *publicè* decernere, quo seducatur *obsequens* illi *Ecclesia*, quia ut *Caiphas* in tali *negotio* non à seipso loquitur, sed *prophetat*, Joh. 11.51,

Sol. Dignum patellâ *operculum*, ut *Cajaphæ* prophetia *papalibus* oraculis patrocinetur. Sed ex facto *particulari* & *extraordinario* non elicitur, & transmittitur *Jus generale*, non magis quam ex *Asnina* Prophetæ *reprehensione* expectanda essent hodie & admittenda *asinina* concilia. 2. Non adfuit postèa huic *Cajaphæ* spiritus *propheticus*, quando Servatorem postulat *Blasphemiæ*, eumq; *Cruci* addicit. Mat. 26.59. 3. Ex accidenti prophetavit *Cajaphas*, non ex *proprio sensu*, sed ex Dei *dispositione*, *Mori* enim pro *populo*, vel intelligatur ob *populi Redemptionem* à peccatis, quod voluit Deus, vel ob populi *conservationem* à *Romanis*, quod urgebat *Cajaphas*, sic ut mori ejus pro *populo*, sit mori præ populo, ne *Christus* ansam in *Romanos* rebellandi illis præberet, à *quibus* penitùs extirparentur.

Ob. 6. Promissum extat de *Ecclesia* sub *Christo*; Erit ibi *semita*, & *via Sanctitatis* vocabitur, non *transibit* per eam *pollutus* & hæc erit vobis *directa via*, & *stulti* non *errabunt* in ea, *Esa.* 35. 8. nec docebit *vir* ultra *proximum suum*, omnes enim cognoscent me, *Jer.* 31. 34. Heb. 8.11. Ergo multo minus *prælati*, aut *Ecclesia tota* potest errare.

Sol. Æquè hoc eximit *privatos* omnes ab errore, ac *prælatos*, vel *totam* Ecclesiam. 2. Non loquuntur prophetæ de *immunitate* ab errore, sed à legis *jugo*, & *obscuritate*, quod tolleret *Evangelium* sub *novo fœdere*; nam sequitur. *Ero propitius*

iniquitatibus

iniquitatibus ipsorum, & *peccatorum eorum* non *recordabor* amplius.

Oó.7. Christus seipsum tradidit pro *Ecclesia*, ut eam sanctificaret, mundans eam *lavacro aquæ* in verbo, ut sisteret eam *gloriosam* non *habentem maculam*, aut, *rugam*, aut quicquam hujusmodi, sed ut sit *sancta* & *inculpata*. Eph. 5. 25. 26. 27.

Sol. Æque omnes *particulares* Ecclesias ac *Romanam* respicit *textus*, & *Ephesinam* immediatiùs, quàm *Romanam*, quia illi datur hæc *Epistola*. 2. *Catholica* hic intelligitur *Ecclesia*, objectum *fidei* non *aspectus*, quam in via *gradatim* sanctificat *sponsus*, ut plenè appareat sine *ruga* & *macula* in patria. 3. unde habet Textus, ut sanctificaret & sisteret in futuro, non quod plenè sit *sanctificata*, & sine *ruga*, & *macula* in transitu.

QVÆSTIO V.

An penes concilium generale sit suprema in terris litium Ecclesiasticarum decisio? Aff.

COncilium hìc supponitur *legitimum* ratione, 1. *Convocantium*, 2. Convocatorum. 3. *rerum discutiendarum*. 4. *Scripturam habens pro norma* certissima. 5. non pro cujusvis captu vel raptu, sed *Antiquorum* & *Recentiorum collatione* interpretandum. 6. nec figitur hic *finalis* dogmatum *determinatio*, sed *dogmatizantibus* pro *tempore* & *loco* impositum *silentium* ne turbent *Ecclesiam*. 7. cujus *supremam* esse *decisionem* statuimus, quia non restat aliud *in terris* Ecclesiasticum Tribunal, ad quod fieri potest à tali Concilio Appellatio. Quod constat ex

1. Naturę & Rationis *dictamine*, ordinem expeditum litibus dirimendis in omnibus *Controversiis* necessariis ad salutem suggerente; Sic *Scriba Ephesinus* revocat tumultuantes ad *legitimam Synodum*. Act. 19. 39. *Politici* summi momenti *dissidia* ad *Dietas* & *Parliamenta* transferunt, à quibus non datur Appellatio, quod in Theologicis religionùs est observandum.

2. Ex sanedrim *Judæorum*, cui *delatæ* fuerunt omnes *lites*. * Quibus *fidem* facit illud *Servatoris*, *Reus* erit *Concilii*. Mat. 5. 22.

3. Ex Servatoris *præscripto*, Dic *Ecclesiæ*, *Mat.* 18. 27. quæ nisi *Authoritatem summam* haberet *contumaces* corripiendi, frustranea videretur *præscriptio*.

4. Ex Celeberrima Synodo Hierosolymitana, Act. 15. ad quam reliqua omnia *concilia* sunt conformanda.

5. Ex praxi *primitivæ Ecclesiæ*, quæ *Symbola* credendorum, *formulas* orandi, *Canones* Disciplinæ ex Scripturis concinnata reliquerunt *posteris*, ad pacis *vinculum* conservandum.

6. Ex continuatione sub *Imperatoribus Christianis*, ad *hæreses* exterminandas *Schismata* tollenda, *lupos* à caulis *arcendos*, & *luxata* consolidanda. Quòd factum fuit in quatuor primis conciliis, *Nicæno*, *Constantinopolitano*, *Ephesino* & *Chalcedonensi* & insequentibus aliquibus *Græcis*, & *Latinis*.

7. Ex consensu *Reformantium* eisdem vestigiis insistentium, ut patet in pluribus conventibus, & nupera *Dordracena* ad *Pelagianismum*, *Arminianismum*, & *Socinianismum* reprimendum.

* *Vide Conciones Episcopi Winton. Dr Andrewes in Exod. 17.*

Objectiones.

Ob. 1. SCriptura in medio posita, est *sufficiens* ad lites tollendas *medium*; Ergo *Concilia* sunt *supervacanea*.

Sol. Non controvertitur *Scripturæ authoritas*, aut *sufficientia*, sed *interpretatio*, & *applicatio*, de quibus litigant *instabiles*. 2. Pet. 3. 16. quos comprimant *Concilia authoritate reverentiali, directiva*, & *coactiva*, utcunq; non ad *credendum*, saltèm ad *cohibendum* ne ulteriùs spargant *Zizania*.

Ob. 2. *Concilia* possint *errare* & invicem contradicere: Ergo non innitendum est illorum *decretis* de Scripturę *sensu*, aut *Canonibus*, de *Disciplina*, aut in *cultu*, de agendi modo.

Sol. Fallibilitas hæc inculcat *cautelam*, & *jugem* Divini auxilii *imprecationem*, non excludit ab officii *executione* congregatis imposita, Sic *visus* falli potest. Ergo *oculis* non utendum? Sufficit frequentiùs non *falli*, immo vix unquam *piè*, & *sincerè* agentes in legitimis *Conciliis* cespitarunt.

Ob. 3. Impossibile est ut *concilia œcumenica* hodie coeant, ob. 1. *distractionem* convocantium. 2. *dissensum* de personis *convocandis*. 3. de *Præside* & suffragiis admittendis. Ergo frustrà erit hoc remedium ad *lites tollendas* aut *sopiendas*.

Sol. Oecumenicum habeatur non *absolutè*, in quo omnes coeant *Ecclesiæ*, sed *Synecdochicè*, vel *Antonomasticè*, ut *Nicænum* quia *eminentiorum* Ecclesiarum interfuerunt *Episcopi*. 2. Illi verò vel alii *Deputati* à principibus christianis, aut *Legati*, repræsentant Ecclesias *particulares*. 3. è quibus ipsi eligant *Præsidem* per *suffragia*, in sequentibus *decisionibus* admittenda.

Ob. 4. In suffragiis ferendis cum necesse sit ut *pauciores* cedant *pluribus*, sæpiùs contingat, ut pars *corruptior* vincat *puriorem*, (ut factum in *Conciliis Arrianorum*) & fieret hodiè à *Papistis*, *Orthodoxos* numero *superantibus*, contra illud, non sequeris *turbam* ad faciendum *malum*; nec in judiciò *plurimorum* acquiesces *sententiæ*, ut à *vero* devies. Exod. 23. 2.

Sol. Non *quæritur* quid hodie *potest fieri*, inter tot *præjudicia* & *partium* studia, sed quid *fieri debet*, aut potest inter *pios*, *sedatos*, & veritatis *cupidos*, ad normam Concilii *Apostolici*, Act. 15.

Ob. 5. Dubium semper remanebit de *Canonum Synodicorum*

rum sensu, æquè ac de *Scripturæ interpretatione*, sic ut progressus fieret in infinitum. Unde *Nazianzenus*, fructum nullum ex *Synodis* percipiendum prædicat. Et *Augustinus* profitetur se non teneri *Ariminensi* aut *Nicæna* Synodo, sed recurrere ad *Scripturas positas* in medio, ut juxta eas *res* cum *re*, ratio cum ratione decertet.

Sol. Perversis & *vitilitigatoribus* nil satisfacit: sed *ingenui* & ingenioſi *Patrum decisiones* reverenter habent. *Nazianzenus* autem & *Augustinus* non perstringunt *Conciliorum institutum*, sed *eventus infælices*, ex litigantium *factiosis studiis*. *Abusus* autem *aliquorum* non tollit rerum *usum* salutarem.

Ob.6. Cæcum excommunicatum per *Synodum* solatur & recipit *Salvator*. Joh. 9.38. Ergo authoritas *Synodi* in *Censuris* non est magni facienda.

Sol. Nil detrahit Salvator *Synodi authoritati*, sed *facto* illius Synodi *injusto*, cujus manifesta *tyrannis* in procedendi modo erat omnibus conspicua.

Ob.7. Suavius & certius lites componantur, vel per *recursum* ad Papæ *infallibilitatem*, vel ad Præsbyterorum *conventus*: Ergo non opus est hoc *ultimo* Concilii œcumenici *remedio*.

Sol. Papæ & Presbyterorum *tribunalia* erexit hominum non ferenda *ambitio*, de quibus compertum est quid expectandum. 2. inter dissidentes *Doctores* aut *Cœtus particulares*, interponant se conventus *Provinciales*, aut in *ditione sua Nationales* per *magistratum legittimum* convocati. 3. At ubi *Nationales Ecclesiæ* per *hæreses* & *schismata* in *partes* abeunt, non aliud occurrit exploratum *remedium*, præter *Concilium liberum* & *Oecumenicum* in *nomine Christi* congregatum.

QVÆST. VI.

An ordinata Evangelii promulgatio & solennis sacramentorum Administratio, in publicis conventibus, characteres sunt præcipui visibilis alicujus Ecclesiæ? Aff.

QVIA,

1. NOta præcipua *Ecclesiæ* est sequi *ductum*, & exequi *mandata* cœlestis pastoris. *Oves* enim *Christi* vocem ejus *audiunt*, & illum *sequuntur*, quia sciunt *vocem* ejus, alienum autem non *sequuntur*, sed fugiunt ab eo Joh. 10. 3-4. 5. *Corde* creditur ad *Justitiam*, ore fit *confessio* ad *salutem*. Rom. 10. 10. Si manseritis in *sermone meo*, verè *discipuli mei eritis*, Joh. 8. 31. At innotescunt ista præcipuè in *prædicatione verbi*, & juxta illud in recta *Sacramentorum administratione*. Ergo istæ sunt *præcipuæ* Ecclesiæ notæ.

2. Ista sunt notæ veræ Ecclesiæ, quibus positis ponitur *Ecclesia*, & *sublatis* tollitur, sed posità verbi *prædicatione*, & rectâ *Sacramentorum administratione*, Ecclesia *visibilis* agnoscitur; & iisdem *sublatis*, tollitur, *Mat.* 28. 19. 22. 29.

3. In quo *Apostolica Ecclesia* apparuit ab aliis cœtibus *distincta*, illud habendum pro certa *Ecclesiæ* nota; sed perdurabant *credentes* in *doctrina Apostolorum*, & *communicatione* & *fractione* panis, & *orationibus*, quæ sub verbi *prædicatione*, & sacramentorum *administratione* comprehenduntur. Act. 2. 42. Ergo istæ sunt *visibilis Ecclesiæ* notæ.

4. Verbi

4. Verbi *prædicationi*, & Sacramentorum *administrationi innititur* cujusvis Ecclesiæ constitutio & collapsæ *restitutio*. Eph. 2. 20. Joh. 8. 47. Ergo ista fundamenta conspicua præcipuè *Ecclesiam* quamvis *notam* reddant, quo spectant & ista, *Genui* vos per *Evangelium*, 1. Cor. 4. 15. *Genuit* nos in *sermone* veritatis, ut essemus *primitiæ*. Jac. 1. 23.

5. Quæ maximè manifestant *Unionem* cum *Christo capite*, & *communionem* membrorum inter se, habendæ sunt pro præcipuis *Ecclesiæ* notis. Sed hoc faciunt verbi *prædicatio*, & sacramentorum *administratio*, juxta Scripturę *normam*, ubi unus *Dominus*, una *fides*, unum *baptisma*. Eph. 4. 5. Ubi verò ista sunt *conspicua*, necesse est ut conspiciatur vera Ecclesia, quæ eò verior & sincerior est habenda, prout ista *verius* & *sincerius* in ea peraguntur.

6. Judaica Ecclesia habita erat *sapiens* & *intelligens* à populis *extraneis*, ex observatione mandatorum *cælestium*. *Deut.* 4. 6. Hoc autem ab *Ethnicis* observari non potuit, nisi in *Scripturæ* agnitione, prædicatione, & præceptorum impletione, Juxta *legem* & *testimonium*, quod si non dixerint juxta *verbum* hoc, non esset in ipsis *matutina lux*. Esa. 8. 20.

7. Ex iisdem & non *aliis* notis *patres* æstimandam & probandam docuerunt *veritatem*, & sinceritatem cujusvis *Ecclesiæ*. Græci, 1. Si discipuli estis *Evangeliorum*, per *Scripturas* incedite. Athanas. de Incarn. Dom. 2. Quicunq; discors est à *divina Scriptura*, idem *alienus* est à sancta *catholica Ecclesia*. Epiphanius contra *Montanistas* hæres. 48. 3. Ubi sunt qui *Ecclesiam* multitudine definiunt? Hi habent vulgus; nos *fidem*, illi *aurum*, & *argentum*, nos *repurgatam* fidei *doctrinam*, *Nazian.* oratione ad *Arrianos*. 4. Quænam sit *vera* aut *fucata Ecclesia*, quomodo decernendum sit, solummodò per *Scripturas* & *charitatem* ostendit autor operis *Imperfecti*, *Chrysostomo ascripti* in *Matthæum*: Hom. 49. & ipse *Chrysost.* in eundem Hom. 4. Latini. 5. Misera est *Ecclesia* & deploranda, ubi patrocinari Deo, *humana* creduntur, quæ à *palatio* sumit dignitatem, *edictis regum* congregatur, & *suffragiis* commendatur. Unum moneo. Cavete *Antichristum*, malè enim vos

parietum

parietum amor cæpit, malè *Ecclesiam* Dei in *Tectis, ædificiisq;* veneramini. ---- *Montes* mihi & *sylvæ* & *lacus*, & *carceres*, & *voragines* sunt tutiores. *Hilarius* contra *Auxentium Arianum*. 6. Ecclesia non in *parietibus*, sed dogmatum veritate *consistit*, Hieron. in Psal. 133. 7. In Scripturis didicimus *Christum*, in *Scripturis* didicimus *Ecclesiam*. Aug. Epist. 166. Has *Scripturas* communiter habemus, quare non *in iis*, & *Christum* & *Ecclesiam* communitèr retinemus? ibid. Et in *verbis capitis sui Domini nostri Jesu Christi* quærenda est *Ecclesia*, qui optime novit *corpus suum*, contra *Epistolam. Petilliani Donatistæ* cap. 2.3.4.

Objectiones.

Ob. 1. NOtæ quæ incertò tantum & probabiliter indicant *Ecclesiam*, pro *genuinis* non sunt habendæ. Atquî tales sunt *verbi prædicatio*, & *Sacramentorum administratio*, non enim indicant, quinam sunt *electi*, qui *veram* solummodo constituunt *Ecclesiam*, sed ostendunt solum *cœtum*, inter quos *forsan* inveniatur Ecclesia, unde habeatur ex istis notis, ubi lateat *potiùs*, quam ubi pateat *Ecclesia*. Videmus *Cœtum qui* est *Ecclesia*, sed *quod* Cœtus iste sit *Ecclesiæ* non videmus. *Bellar.*

Sol. Quæstio non est de notis Ecclesiæ *Invisibilis*, quam *Deus* tantum novit, sed *visibilis* cui nos tuto possumus adjungere. Tutò autem hoc à nobis *fiat*, ubi conspicua est pura *verbi prædicatio* & recta *Sacramentorum* administratio.

Ob. 2. Notæ debent esse *propriæ* non *communes*, alitèr cœtum *fidelium*, à cœtu *malignantium* non distinguerent, sed omnes *sectæ* jactant se habere *puram* verbi *prædicationem*, & *Sacramentorum* administrationem, æquè ac ij qui ipsis adversantur. Ergo istæ non sunt notæ distinguentes.

Sol. Aliud est *jactare*, aliud *habere*, aliud *arrogare*, aliud *possidere*, omnes sibi vindicent *Catholicam veritatem*, sed an

possideant

possideant nec ne expendendum est ad *Scripturam*, infallibilem Sanctuarii *statêram*, cui ut magis vel minus *quadrent* variantes sententiæ, eo magis minusve probandæ habeantur.

Ob. 3. Notæ debent esse *notiores* ea re cujus sunt *notæ*, nam à *notioribus* ad *ignotiora* semper assurgit *cognitio*. At *Ecclesia* ipsa est *notior* hisce notis, nam ex *Ecclesia* discendum quænam sit *pura* verbi *prædicatio*, & Sacramentorum *administratio* & non *econtra*. Ergo *Ecclesia* potiùs est nota veræ *prædicationis*, & *administrationis*, quam istæ statuantur notæ *Ecclesiæ*.

Sol. Non credenti aliquando notior esse potest *Ecclesia* quam *Scriptura*, sed non verbi *prædicatione*, quia per actum talem *Ecclesia* non *credentem* ad se allicit. At *fidelis* hoc habet semper *pro fundamento*, Scripturam esse Ecclesiæ κριτήριον. Ergo cum inter *discrepantes* cætus, hasitet cui se tutò *adjungat*, ut *veræ* Ecclesiæ, facile percipiet ex verbi *prædicatione*, & administratione *Sacramentorum*. Nam prout ista *consentiunt* vel *discentiunt* à verbo Dei, sic *æstimanda* est hæc vel illa particularis *Ecclesia*. Ecclesia autem est τὸ ζητούμενον, illud *quod* quæritur, unde non potest esse *medium per quod* quæratur.

Ob. 4. Notæ debent esse *inseparabiles* à re cujus sunt *notæ*, alitèr non *semper*, sed *aliquando* tantùm eam indicarent, sed Ecclesiæ nonnullæ destituuntur *verâ doctrinâ*, & usu *Sacramentorum*, dum manent tamen *Ecclesiæ* Dei, ut *Galatæ* infecti *Judaismo*, & *Corinthii* negantes *Resurrectionem*, quæ tamen *Ecclesiæ* Dei ab *Apostolo* appellantur. Gal. 1. 2. 1. Cor. 1. 2.

Sol. Non omnis corruptio *Ecclesiam* evertit, sed *fundamentalis*, & *totalis*. 2. *Corinthii* & *Galatæ* non planè *Christianismum* excussissent sed *contaminassent*, in *aliquibus* periculosè, non in *omnibus* exitiosè, nec hoc factum fuit, ab *omnibus* communi consensu, sed à *quibusdam*; quos *errones* potius dixeris in *Ecclesia*, quam ipsam *Ecclesiam*.

Ob. 5. Vitæ *Sanctimonia* & φιλαδελφία proponuntur in *Scriptura*, ut præcipuæ *Ecclesiæ notæ*. Sic luceat lux vestra coram *hominibus*, ut videant *vestra bona opera*. Mat. 5. 16. ex

hoc cognoscent *omnes* vos esse meos *Discipulos*, si *charitatem* invicem habueritis, Joh. 13.35. His accidunt *disciplina Ecclesiastica*; *Antichristianismi* detestatio, Liturgia *lingua nota* peracta, quæ habeantur etiam veræ Ecclesiæ γνωρίσματα.

Sol. Istæ non sunt *notæ Ecclesiæ*, sed vel *fructus* prædicationis, & administrationis *Ecclesiasticæ*, vel *addantur*, ut notæ minus *principales*, non *palmares*.

Ob. 6. Inter *Pontificios* notas *tres* obtrudit *Catechismus Tridentinus*, *Hosius quatuor*, Sanderus *sex*, Valentianus *octo*, Medina *decem*, Bellarminus *quindecim*, Bozius *centum*, Ergo plures videntur Ecclesiæ notæ.

Sol. Ista omnia vel *phaleræ* sunt meretricis *Babylonicæ*, vel adjuncta Ecclesiæ, non *necessaria* & *ambulatoria*, vel cum hisce nostris *coincidunt*, ut patet ex *Whitakero*, *Vorstio*, *Scharpio*, *Camerone*, *Alstedio*, &c.

Ob. 7. Notæ Ecclesiæ *nullæ* sunt, nec ut sint *necesse* est, nam vera *doctrina* est Ecclesiæ *forma*, non *nota*, æquè enim incertum est an *doctrina* sit *vera*, ac ubi *quærenda* sit Ecclesia. Prostant etiam apud *illos* Sacramenta, ubi *prostrata* jacet, & latet *Ecclesia*. Smal. cont. *Franzium Disp.* 8ua.

Sol. Non doctrinam, sed ipsius *promulgationem*, Ecclesiam *notificare* dicimus, nec Sacramentorum *spectra*, sed veras *species* in Scriptura traditas pro *notis* non *fallentibus* agnoscimus. Unde *Romanam* talem esse *Ecclesiam* asserimus, qualem se ostendit in doctrina & Sacramentis. h. e. *Superstitiosam*, *Idolatricam*, & *Antichristianam*. Et distinguimus inter *Ecclesiam*, & Romanam *Curiam*. *Curia Romana* non *quærit oves sine lanâ*, hanc *Papatum* continere dicimus, quod ulcus & *carcinoma* est Ecclesiæ, vel *Antichristianismus* opprimens Ecclesiam, non ipsa est *Ecclesia*. Unde Ecclesia dicatur *latere* sub *papatu*, haud aliter ac saniora *frumenti grana* sub *paleæ* cumulo: sed *papatus* non est *Ecclesia*, nec pars *Ecclesiæ*, siquidem Ecclesia potest esse *Romæ*, dùm *Roma* interim non sit *Ecclesia*, 2. nec *Sociniani* qui *Tri-unum Deum* nobiscum non *colunt*, vel *Filium* θεάνθρωπον, vel S. S. *personam* à Patre, & Filio procedentem, nec *Christi* agnoscunt *satisfactionem*, nec per

fidem

fidem, *Justificationem* pro Ecclesiæ *membris*, multo minùs pro *vera* aliqua, & *reformata* Ecclesia, ex hisce nostris notis sunt agnoscendi.

QVÆSTIO. VII.

An extra Ecclesiam salus unicuiq; in sua Religione sit expectanda? Neg.

QVIA.

1. ANimalis homo *non percipit* ea quæ sunt *spiritus Dei*, stultitia enim *sunt ei*, & non potest *intelligere*, quia spiritualitèr *dijudicantur*. 1. Cor. 2. 14. venundatus est *sub peccato*. Rom. 7. 14. Mortuus in *delictis & peccatis*. Eph. 2. 1. Col. 2. 13. *captivus tenetur* à *Diabolo*. 2. Tim. 2. 26. Omnis ipsius *cogitatio est* רק רע omnimodò mala omne die. *Gen.* 6.8. Ergo impossibile est, nisi *convertatur*, ut *salutem* consequatur.

2. Omnis *nostra* justitia (multò magis *Ethnicorum*) est tanquam *pannus* menstruosus. Isai. 64. 6. Nunquid colligunt è *spinis uvam*, aut è *tributis ficum*. Mat. 7. 16? quare videant nonnulli, ne dum *Platonem* faciunt *Christianum*, seipsos probent esse *Ethnicos*, *Bernard*.

3. Qui non *crediderit* condemnabitur, Mar. 16.16. & sine *fide* impossibile est *placere Deo*. Heb. 11. 6. unde optima Ethnicorum *opera* sunt tantum, secundum *Augustinum*, *Splendida peccata*.

4. Non est aliud nomen *datum* hominibus sub *cælo*, in quo oportet nos *salvos* fieri, præter Nomen *Jesu Christi* Act. 4.12. Nemo venit ad *patrem* nisi per *Christum*, Joh. 14.

6. Incredulis assignata est *portio* in stagno *ardente* igne, & sulphure, quod est mors *secunda* Apoc. 21.8.

5. Dominus quotidie addebat *Ecclesiæ* qui salvi *fierent*; Ergo qui salutem consequuntur necesse est ut priùs fiant membra alicujus *Ecclesiæ*, & *ethnicismum* abjiciant. Act. 2.47.

6. Quos Deus tandem post tempora *glorificabit*, illos & non *alios* (interprete *Augustino* de Prædest. Sanct. c. 17.) *vocavit*, & *justificavit* in *tempore*. Rom. 8. 29. At *Ethnicos* subponimus non *justificatos*, vel *sanctificatos*, Ergo non patet illis *aditus* ad salutis *adyta*. Eadem est *Patrum*, *Scholasticorum*, & eminentiorum *Romanensium* sententia, ut patet ex Lectione nostra. 8. *de salute Ethnicorum*.

7. Sunt & illi *Anathematizandi*, qui dicere audent, *unumquemq;* in *lege* aut *secta* (quam profitetur) esse salvandum, modò juxta *illam* & *lumen naturæ* accuratè vixerit, cum sacræ Scripturæ tantum *nomen* Christi prædicant, in quo homines *salvos fieri oportet*. *Art. Eccl. Angl.* 18.

Objectiones.

Ob. 1. GEntes quæ *legem* non habent *naturaliter* ea quæ sunt *legis* faciunt, isti *legem* non habentes, sibi ipsis sunt *lex Rom:* 2.14. Ergo possunt ex *naturæ ductu* ad salutem pervenire.

Sol. Aliud est facere quædam *quæ legis sunt*. h.e. quę cum lege consentiunt: aliud *legem implere*, ut inde *justificentur*. Aliud naturæ *integræ*, aliud *depravatæ* ductum sequi, ratio in *mente*, & *conscientia* in *corde* debilitata licet inveniuntur in *omnibus* post lapsum; tamen ad *salutem* non *assurgunt* sed tantùm ad ἀναπολογίαν, ut *homines* reddant *inexcusabiles*, qui aliquoties peccent contra *scientiam* & *conscientiam*. Rom: 2.1. Aliud igitur *quærendum* est per Christum, *medium*, & *remedium*; aliter de salute *æternâ* penitùs est desperandum.

Ob. 2. Accedentem ad *Deum* oportet *credere quia est*, & inquirentibus se *remunerator sit*. Heb. 11.6. Sed hoc *præstiterunt*,

runt, vel saltèm præstare potuerunt ex *Ethnicis* plurimi, Ergo datur *fides naturalis*, per quam salutem consequantur.

Sol. Accedens ad verum *Deum*, & illum *remuneratorem* agnoscens, desinit esse *Ethnicus*; unde de talibus *textus* non loquitur. 2. & si verum *Deum* esse quis credat omnium *remuneratorem*, nisi *fides* in *Christum* superveniat, *impossibile* est ut *Deo placeat*, quærendus est igitur *Christus* non in *naturæ* scrutinio sed in *Evangelii* mysterio, aliter salus æterna non invenietur.

Ob. 3. Adamus in *innocentia* nunquam habuit *fidem* in Redemptorem, quia non opus erat *redemptore* ubi peccatum non induxisset miseriam, Ergo humanum genus *fidem* in *Adamo* non amisit. *Remonstrant.*

Sol. Habuit *Adamus* innocens *potentiam* credendi dato *objecto*, licet ob *defectum* objecti, actu tunc in *Redemptorem* non crediderit, quam facultatem per *lapsum*, amisimus non quoad *essentiam*, sed *rectitudinem*, per *gratiam divinam*, ut inde salutem consequamur, rectificandam.

Ob. 4. Placuit Deo *Cornelius* ante institutionem in *Christianismo*, Orationes tuæ, & *eleemosynæ* tuæ ascenderunt in *memoriam* in conspectu *Dei*. Act. 10. 4. Sic *Scipiones* & *Catones* juxta *Zuinglium*, locū in *cœlo* inveniunt, quin & prostat, liber de *salute Aristotelis*, & *Erasmus fatetur* alicubi, se vix posse *seipsum* continere, quin exclamet. *Sancte Socrates* ora pro nobis.

Sol. Si Cornelii *orationes* & *eleemosynæ* in *Ethnicismo* ad salutem fuissent satis, quid opus erat *Petri* institutione *pleniore*, unde oportuit ipsi juxta *Angeli* dictamen discere, quid *esset faciendum*? Act. 10. 6. 2. Quin credibile est *Cornelium* ex conversatione *Judæorum*, fidem de *Messia* venturo aliquam saltèm concepisse, quæ tamen ab *Apostolo* ulterius erat corrigenda, & dirigenda, priusquam *salutem* attingeret. 3. *Zwinglii* charitas non ponit *Ethnicos* in cœlo absq; *Christo*, sed putat tales *heroas* in mortis saltèm *Articulo occulto* quodam *modo* factos fuisse *christianos*, vel non intelligit *personas*, sed per ἀπαναμαξίαν, virtutibus illis *heroicis præditos*. 4. *Peripato*potius

tius quam *Evangelio* erat is addictior, qui salutem spondebat *Aristoteli*. 5. nec seriò proculdubio *Erasmus Socratem* invocandum innuit, sed invocatis quibusdam sanctis à *Papicolis* illum falsè præfert, tacitè perstringens *Invocationem* tam stupidè *idololatricam*.

Ob. 5. Detrahit *amplitudini* regni Dei plures esse *damnatos*, quam *salvatos*, quod necessariò fieret, nisi quam plurimi qui de *Christo* nunquam *audiverunt*, Salvarentur *Cœlius Curio* de *amplitud. reg.* Dei.

Sol. Si *Deus* sic statuerit, quid illud *ad te?* Quis novit *sensum Domini*, aut quis fuit ei *consiliarius*. Rom. 11. 33. exclamandum hic, ô *altitudo*, &c. 2. quæritur hic *factum*, *quare* autem *factum* Deus noverit, qui in numerato habet solummodò *oves* & *hædos*.

Ob. 6. Deus salvabit hominem & *jumentum*. Psal. 36. 7. Ergo multo magis *homines*, quam *jumenta*. Et Tempora ignorantiæ *Ethnicorum* non respexit, Act. 17. 30. Ergo nec *vindicabit*, nec προσωποληπτης est, sed acceptū habens quemvis eum *timentem* & *justitiam* operantem in omni *gente*. Act. 10. 35.

Sol. Loquitur *Psalmista* de conservatione *creaturæ* pro *conditione* sua in hac vita, non de *felicitate* consequenda in *patria*, hæc enim *jumentis* non competat. 2. Deus erat ὑπεροπτων. i. e. non *respexit* gentes, ut *vocaret* ipsos ad *lucem Evangelii* ante *Christi* adventum, nunquam autem sic neglexit *gentes*, ut in ipsos ob *peccata* justitiam non exerceret. 3. Timere autem *Deum*, aut operari *justitiam* non potuerunt *gentes*, vel *Judæi* absq; Evangelio, quibus ex æquo sine προσωποληψία profitetur *Petrus* patere *Evangelium*.

Ob. 7. Satius fuisset *Ethnicis* nunquam *nasci*, quam non *renasci*, ut sic essent *damnati*, antequam nati. Deus autem tot *gentes* non creavit, ut *perdere*, sic enim plus *damni* acciperent à *creatore*, quam *boni* in *creatione*, quod *bonitati*, & φιλανθρωπία divinæ contradiceret.

Sol. Quicquid Deus *creavit* erat velde *bonum*, malum *culpæ*, & *pœnæ* sibiipsi homo accersivit, perditio igitur tua ex te ô *Israel*, apparet autem in hoc *infinita Dei bonitas* tam misericordiæ

ricordiæ, quàm *philanthropiæ*, ut cùm omnes in *massa peccati* per propriam *apostasiam* reos teneret, & *damnandos* per justitiam; *electos* tamen *seposuit*, & ad salutem *redemit*, per proprii filii *satisfactionem*. Plenius ista discutiuntur Lect. nostra 8va, de *Salute Ethnicorum*.

CAP.

CAP. IV. SECT. II.

DE MEMBRIS ECCLESIÆ.

MEMBRA ECCLESIÆ uniuntur *Christo* Capiti per *Fidem*, & inter *Se*, per *Charitatem*, mutuis *Officijs*, & *conventibus* expressam, 2. Ex hisce quidam *comprehensores* sunt in *Cœlis*, alii *viatores* in Ecclesia *Militanti*.

De hisce Controvertuntur.

An.
1. *Sancti in Cœlis, vel Angeli sint invocandi?*
2. *Reprobi Athei, aut apertè Impii, membra militantis Ecclesiæ censeantur?*
3. *Clerici sint exempti à Regimine sæcularis potestatis?*
4. *Clericis liceat Matrimonium contrahere?*
5. *Monachatus sit Religiosus vitæ status, in quo inveniatur Supererogatio?*
6. *Juramentum fidelitatis laicis Magistratibus, tàm à Clericis, quàm à Laicis, sit præstandum?*
7. *Aliqua sint membra Ecclesiæ laborantia in Purgatorio?*

Quæst.

QVÆSTIO I.

An Sancti in Cœlis vel Angeli sint Invocandi? Neg.

QVIA,

1. DOminum *Deum tuum* adorabis, & *illi soli* servies, Mat. 4. 10. nec valet κρυζούμενον de δουλία, ὑπερδουλία & λατρεία, quia *Latria* hic tantùm *Deo* vindicatur, & non *Dulia*, nam *Dulia* plus est quam *Latria*; nec vendicat hic *Sathan Latriam*, sed tantùm προσκύνησιν, quam non magis ei *Christus*, quam *Latriam* concedit.

2. Non facietis singuli quod sibi *rectum videtur*, Deut. 12. 8. Sed quod *ego* præcipio *tibi*, hoc *tantùm* facito Domino *Deo tuo*, nec addas quicquam, vel *diminuas*, ibid. 32. & *Fruſtra* me colunt docentes *doctrinas* quæ sunt *præcepta hominum*, *Mat.* 15. 9. ex *Isai.* 29. 14. At *invocatio* Sanctorum nusquam *exemplo*, aut *promisso* est *suffulta* ex *Scripturis*, *Ædificarunt* excelsa *Balaim*, quæ ego *non præcepi*, nec *locutus sum*, nec *ascenderunt* in in cor meum. Jer. 19. 5. Ergo præcepto nititur Cultus *religiosus*, quod ad *Angelorum*, aut *Sanctorum* Cultum desideratur.

3. Nemo adversum nos *Rectoris partes* sibi sumat *in humilitate*, & *religioso cultu Angelorum*, gradum *inferens* in ea quæ *non videt*, & *temerè turgens carnis* suæ *intelligentia*. Col. 2. 18. quæ *rationem* quidem habent in *cultu voluntario* (ἐθελοθρησκίᾳ) & *submissione animi*, & in eo quod *corpori* non parcant, nec tamen *ullius* sunt *pretii*, cum ad ea spectant, quibus *farcitur caro*. ibid. 22. Ergo *invocatio* ista *voluntaria* non tantùm est *inutilis*, sed *futilis*.

4. Is est tantùm *invocandus* in *quem credimus*, & à quo *salutem* consequamur; nam quomodo *invocabunt eum*, in *quem* non *crediderunt*, Rom. 10. 14? Nec satisfacit, *Sanctos* non *invocari*, ut salutis *autores*, sed *mediatores*, nec ut *mediatores Redemptionis*, sed *Intercessionis*; quia *Christus* constitutus est à patre *unicus noster Mediator*, 1. Tim. 2. 5. *Advocatus* qui est *propitiatio* pro *peccatis nostris*. 1. Joh. 2. 1. in quo habemus *accessum* & *fiduciam* in confidentia per fidem ejus, Ephes. 3. 12. qui ubi *præscriptam* exhibet *orandi formam*, *patrem solum*, & non *Sanctos* invocandos esse docet. Mat. 6. 9. Luc. 11. 2.

5. Angeli aversantur omnem *adorationem*, quia *conservi nostri sunt*, ideoq; *soli Deo* deferendam docent. *Apoc.* 19. 10. & 22. 9. Ergo invocatio *Sanctis multò* minùs competit, quia minùs quam *Angeli* habent nobiscum commercij.

6. Invocatio requirit in *invocando Scire*, *Posse*, *Velle*, *Debere*. Sed Sancti non sciunt *cogitata nostra*, an sint *sincera*, vel *hypocritica*, cum Deus solum sit καρδιογνωστης, 1. Reg. 8. 39. Quod *fundamentum invocationis* faciunt *Apostoli*, Act. 1. 24. 2. Non possunt Sancti *ubiq;* interesse *supplicantium* diversorum *precibus*, quia solius Dei est *esse ubiq;*, & ridiculum est *absentes*, nec quid agimus *sentientes*, compellare. 3. De *voluntate* etiam ipsorum non *constat*, an *cupiunt* potiùs *nobis*, quam *Deus* succurrere. 4. An deceat ipsos Christi munus *mediatorium* in se *suscipere*, maximè ambigi potest.

7. Constat *Patres* & *Concilia* vetustiora & illustriora *hanc invocationem* non probasse. Quia 1. Defunctos omnes *fideles* non statim *cœlum* petere crediderunt, sed in *occultis* quibusdã *receptaculis* usq; ad *diem Judicji* remansuros, unde *præsentiæ* Dei gloriosæ non *patebat* ipsis aditus. 2. *Arrium* damnabant & *Nestorium* ut *Idolalatras*, quod cum *Christum* negabant esse *Deum*, eum tamen (ut hodie faciunt *Socinianj*) invocandum statuebant, hoc nixi fundamento; quòd *invocatio* sit tantùm *Deo* debita. 3. *Collyridianos* Hæreticis accensebant apud *Epiphanium* l. 5. Hæres. 79. ob *cultum religiosum* B. Virgini delatum. In honore autem sit *Maria*, (inquit *Epiphanius*,) sed *Dominus* adoretur.

Objiciunt

Objiciunt Pontificii.

Ob. 1. SAncti æquè *invocandi* sunt ac *Angeli*, quia sunt ἰσάγγελοι. Luc. 20. 36. Sed *Jaacob* Angelum invocavit. Angelus qui *eripuit me* è cunctis malis *benedicat pueris istis*. *Gen.* 48. 16. Ergo *sancti* etiam sunt invocandi.

Sol. Sancti sunt ἰσάγγελοι quoad *immortalitatem* & *cælibatum*, non *officium* & *ministerium*, unde non de illis est *eadem ratio*. 2. *Jaacob* non invocavit *Angelum*, sed *Deum*, ut per *Angelum* qui ipsum *eruisset* è *cunctis malis*, benediceret suis. 3. Qui quidem non tàm *Angelus* Dei videtur *multis*, quam *Angelus Deus*: sc: *Christus*, quem meritò *Jaacob* potuit invocare.

Ob. 2. Recordare *Abraham*, *Isaac*, & *Jaacob* servorum tuorum. Exod. 32. 13. Ergo Moses *Deum* oravit per *intercessionem* Patriarcharum.

Sol. Patriarchæ istæ in *limbo erant* non in *cælis* juxta *Pontificios*, non *dispositi* igitur ad *intercedendum*. 2. Hic semper *Deus* fit *invocationis objectum*, non *Sanctus* aut *Patriarcha*. 3. Aliud est commemorare *personas*, quibus *promissa* erant facta, aliud urgere *merita*, quod hic non factum.

Ob. 3. Voca, si *est qui tibi respondeat*, & ad *aliquem sanctorum* convertere. Ergo *Eliphaz* expressè *Sanctos* præcepit *invocandos*. Job. 5. 1.

Sol. Eliphæ *praxis* non sufficit ad *præceptum*. 2. non loquitur de *invocatione* defunctorum, sed *advocatione* vivorum *suffragantium*, è quibus dicit *Jobum* nullum *sanctum* secum consentientem posse producere, qui affirmaret *Deum* innocentes *affligere*. *Mariana Jesuita* in notis perstringens *Bellarminum*.

Ob. 4. Dives *Abrahamum* invocat unà cum *Lazaro*, Luc. 16. 24. Puderet ergo *Christianos* damnatis in *Sanctos* esse iniquiores.

Sol. Argumentum *parabolicum* à *Tartario* Topico petitum nil concludit, vel concludit ipsorum *miseriam*, qui *Acheronta* coguntur *movere*, ad afferendum *religioni* subsidium. 2. *Dives Lazarum* non compellat omninò, sed *Abrahamum*, à quo nil *impetrat*: nec plus sperent *Sanctícolæ* ab invocato *Christophero*, aut Georgio. 3. nec petit ut *mediatorem* agat *intercessionis* apud *Deum*, sed ut mittat *Lazarum*, & sic quidem, vel *guttam refrigerii*, non obtinuit.

Ob. 5. Invocandi sunt *vivi* à *viventibus*, unde sæpiùs petimus à *fratribus* ut pro nobis *orent*. Ergo multò magis *defuncti* sunt à nobis *compellandi*, qui majore flagrant *charitate*, & plus *possunt* apud *Deum*.

Sol. Advocamus potius *vivorum* preces, quam *invocamus* personas. 2. Nec *personas* advocamus *absentes*, sed *eos* tantùm, quibus quod *cupimus*, actu possumus *significare*, ut intelligant quid *volumus*. At inter *nos* & *sanctos defunctos*, nil talis intercedit commercii.

Ob. 6. Illi possunt à nobis *invocari*, in quos *fidem habeamus*, & qui *autoritatem* habent ligandi *reges* in *compedibus*, & *nobiles* in manicis *ferreis*. & regendi *gentes* in virga ferrea, sicut *Christus* accepit à *Patre*, sedentes cum ipso in *eodem throno*, ut ipse sedet *cum patre* & *eandem gloriam* cùm *Christo* possidentes, ut sint *unum* (sicut & ipse *cum* patre. Sed hæc est *sanctorum gloria*, ut patet *Philem.* v. 5. Psal. 149. 8. *Apoc.* 2. 27. & 3. 21. Io. 17. 22. Ergo sunt *invocandi*.

Sol. Fides *Philemonis* rèferatur ad *Christum*, *Charitas* ad *Sanctos*, quæ *fidelitatem* in *vivos* potius ibidem significat in *obeundo munere*, quàm *fiduciam* ad *Justificationem*. 2. magnifica ista *privilegia* sanctis collata, non impertiunt ipsis *Dei honorem*, ut *invocentur*, sed à Deo *honorem*, ut *maximi* à nobis fiant, & *reverentèr* imitemur eorum *exempla*. 3. Illud Johannis non urget unitatem essentiæ sed consensus.

Ob. 7. Patres *invocationem* hanc probarunt, Et devotè exercuerunt, ut nube testimoniorum suadere sudant Adversarii.

Sol. Non in *tribus* primis *sæculis*; in sequioribus autem ostenderunt

ostenderunt *sanctos* ex κακοζηλία fuisse *invocatos*, non probarunt *invocandos*, & invocarunt *hypotheticè* & *hæsitanter*, sub talibus *limitationibus*, ut *opinor*, *ni fallor*, εἰ τις αἴσθεσις, εἰ τις σὺν καὶ τῶν ἑμετερῶν ἐστι λόγος. Si quis *sensus*, si aliqua *ratio* verborum nostrorum,, non compellarunt *fiducialiter*, & *catagoricè*. Videat ergo *Fisherus* nostras, quo novo *decreto* asserat illud esse *de fide*, quod *Concilium Tridentinum* & *Bellarminus*, ut *bonum* tantum & *utile* nobis commendant. Quare cum ex *his constat*, *sanctos* non esse *invocandos*, concludamus, *Templa*, *Festa*, *Statuas*, *Peregrinationes*, *Oblationes*, à *superstitiosis* fuisse *introducta*, & ad *lucrum tantum* comparata. Recolimus autem *nos* in aliquibus *festis* & *templis nonnullorum* sanctorum *memoriam*. Colimus autem *Deum* & laudamus in *Sanctis*. Consule: De sanct. Invocat. Lectionem nostram 15.

QVÆST. II.

An Reprobi, Athei, & aperte impii, sunt membra militantis Ecclesiæ? Neg.

QVIA.

1. NULLUS *filius Diaboli* potest esse *membrum Christi*, cujus corpus *mysticum* est *Ecclesia*, & ipse est *caput*, & *Salvator* ejus, *Ephes.* 5. 23. unde crescit in *augmentum* Dei, *Col.* 2. 19. Sed *Reprobi*, ἄθεοι, & apertè *impii*, non sunt tales. Vos ex *patre Diabolo* estis, & desideria *patris* vestri *vultis facere*. Joh. 8. 44, Ergo non pōssunt esse membra Ecclesiæ.

2 Nullam habent cum Christo *communionem*, quænam enim participatio *Justitiæ* cum *iniquitate*, aut quæ societas

luci ad *tenebras*? Quæ autem conventio *Christi* & *Belial*? Aut quæ *pars fideli* cum *infideli*? 2.Cor.6.14.15. Volunt facere ut *obliviscatur* populus meus *nominis mei* propter *somnia ipsorum*, quæ narrat unusquisq; ad proximum suum. *Jer.*23.27. Quid *paleis* ad *triticum*? ibid. 28. Ergo *membra* ipsius, vel *sponsæ* esse non possunt.

3 Christus ipsos *non novit*, vel *agnocit*. Joh.10.14. *Mat.* 7.23. Nunquam *novi vos*, nec qui in manifestò is *Judæus* est, sed qui *talis* est in *obscondito*, in *spiritu* non in *litera*. Rom.2. 28. Qui autem *spiritum Christi* non habet, non est ejus, *Rom.* 8.9. Ergo non possunt esse *membra Christi*, & per consequens non *Ecclesiæ*.

4 Ecclesia est *Sanctorum Communio*, At isti, ex *Thesi*, non sunt *sancti*. Sed. 1. *Canes*, 2. *Venefici*. 3. *Homicidæ*, 4. *idololatræ*. 5. *Scortatores*. 6. *Mendaces*. 7. *Timidi* & *increduli*, *execrati* foris, ad stagnum *ignis* ardentis *ablegandi*. Apoc.21.8.& 22.15. Ergo non habeantur *membra* veræ Ecclesiæ.

5 Christus ipsos *execratur*, & *denuntiat* ipsis *Vee Mat.*23. 13. corripiuntur ob introitum sine *veste nuptiali*, & in *ignem inextinguibilem* conjicientur. Mat.22.13. Sed hoc membris *Christi* non competit. Ergo *Christi* non sunt membra.

6 Nullum verum *Christi membrum* amputetur & nullus *ovem* aliquam ipsius eripiet *è manu ejus*. Joh.10.29. Sed tales ex *Thesi*, recta tendunt in *Gehennam*, ubi horrendum est existimare, pati aliquod *Christi* vel Ecclesiæ *membrum*. Ergo Ecclesiæ vel Christi *membra* non possunt esse.

7. Exeunt è *Christi ovili*, quia nunquam fuerunt *ex ovili*, nam quia non fuerunt *ex nobis*, sed tantùm *inter nos*, exierunt à nobis. 1. Joh.2.19.

Objiciunt

Objiciunt Romanenses.

Ob. 1. Ecclesia comparatur 1. *Areæ*, Mat. 3. 12. 2. *Agro* Mat. 13. 24. 3. *Sagenæ* ibid. 47. 4. *Convivio nuptiali* ibid. 22. 2. 5. *Decem virginibus*, Mat. 25. 1. 6. *Magnæ domo*, 2. Tim. 2. 20. 7. *Corpori humano*. 1. Cor. 12. 15. Sed in *Area* sunt *triticum* & *palea*. In agro *bonum semen*, & *zizania*. In *Sagena* pisces *probati* & *noxii*. In convivio *veste* nuptiali *destituti*, & *pji*. Inter *virgines*, *prudentes*, & *fatuæ*. In magna *domo* vasa in *honorem*, & *contumeliam*. In corpore humano *membra solida*, & *ulcerosa*. Ergo & in *Ecclesia* non tantùm sunt membra *genuina*, sed etiàm *putrida* & amputanda.

Sol. Sunt in *Ecclesia*, sed non ex *Ecclesia*; *videntur*, sed *non sunt*, vel (ut relata) habeantur secundum *Dici*, non secundum *esse*. Ex nobis prodierunt, sed non erant *ex nobis*, nam si fuissent ex nobis, permansissent utiq; *nobiscum*. 1. *Joh.* 2. 19. Siquidem quædam sunt *in domo*, quæ non sunt *domus Dei*. *August.* cont. *Donat.* l. 7. c. 51. aliud est *inter membra* Ecclesiæ versari, aliud *esse membrum*.

Ob. 2. Paulus *persequebatur* Ecclesiam, & tamen tunc temporis erat *vas electum*. Incestuosus. 1. Cor. 5. *abstrahebatur* ab Ecclesia, Ergo erat *membrum Ecclesiæ*. Ergo quivis *facinerosi* quàm diù se subjiciunt *externæ* Ecclesiæ *dispositioni*, & religionis *professioni*, *vera* habeantur, licet non *viva* membra Ecclesiæ.

Sol. *Verum* illud haberi *membrum* non potest, quod non est *vivum*, nisi *æquivocè*, quia unitur tantùm *materialiter* Toti, ut *res rei*, non ut *membrum integro*. *Paulus* & *Incestuosus* fuerunt membra Ecclesiæ *invisibilis censu divino*, licèt pro tempore oppugnâbant Ecclesiam *visibilem*, & pro hostibus istius Ecclesiæ, quamdiu sic fecerunt, fuerunt æstimandi.

Ob. 3. *Judas* erat *reprobus*, Jo. 17. 12. & tamen erat *membrum Ecclesiæ*, quia *Apostolus* & *Episcopus*, Act. 1. 20. Ergo Reprobus,

probus, & *filius perditionis* potest esse membrum verum *visibilis* Ecclesiæ.

Sol. Membrum erat externa tantùm *professione*, & *titulo*, non *verâ* cum Christo *unione*, & *reipsa*, *numero*, non *merito*, *commixione corporali*, non *conjunctione spirituali*, carnis *adjunctione*, non cordis connexione. *Aug.* in *Joh.* Tract. 61.

Ob. 4. Si soli *electi* Ecclesiæ sunt *viva* & *vera* Ecclesiæ membra, tum impossibile esset ostendere, *ubinam* sit *vera Ecclesia*, ut aliquis seipsum illi *adjungat*; quia novit tantum *Dominus* qui *sunt ejus*. 2. Tim. 2. 19. Sed *absurdum* est ita homines relinquere in *incerto*, ut nesciant quibus *Professoribus* adhæreant.

Sol. Ex judicio charitatis *æstimandi* sunt illi vera *Ecclesiæ* esse membra, qui *Christianismum profitentur*, & cum *fidelibus* palàm communicant, licèt *judicio veritatis* aliter *Coram Deo* scrutatore cordium appareant.

Ob. 5. Omnes qui *Christum induunt* sunt *vera* Ecclesiæ *membra*. Sed omnes *Baptizati* Christum induunt *Gal.* 3. 27. Ex quibus tamen plurimi *hypocritæ* possunt esse, & ἄθεοι, Ergo possunt esse *Ecclesiæ* membra.

Sol. Christum *induunt* quoad *externum ritum*, licet non quoad *internam veritatem*, per *Baptismum* à Christo *institutum*, utcunq; non sunt *in Christo*, quod requirit *Textus*.

Ob. 6. Omnis *pars partis* est *pars totius*, sed *reprobi*, & *hypocritæ* (in confesso est) possunt esse partes Ecclesiæ *visibilis*, quæ est pars *Catholicæ Ecclesiæ*. Ergo sunt partes vera *Catholicæ Ecclesiæ*.

Sol. Videntur partes cum *non sunt*, unde *Participes* potiùs sunt *externorum rituum*, quàm *partes* Ecclesiæ.

Ob. 7. Soli *Excommunicati*, *Hæretici*, *Schismatici*, non *Baptizati* & *Infideles* excludendi sunt ab *Ecclesia*, sed quam plurimi ἄθεοι, *reprobi*, & *hypocritæ*, non incurrunt *talem censuram*. Ergo pro *Ecclesiæ membris* sunt habendi.

Sol. Infideles Ecclesiæ esse *membra* nullus dixerit, non Baptizati Ecclesiæ *visibilis* possunt esse *membra*, non enim *defectus*, sed *contemptus Baptismi* excludit ab *Ecclesia*. Justè *excommunicati*

communicati privantur *Ecclesiæ visibilis*, & *particularis privilegijs*, non abscinduntur tamen à *corpore*, vel desinunt esse membra universalis Ecclesiæ, modò per *pœnitentiam* conantur *restitui*. *Schismatici*, & *Heretici* non desinunt esse membra *Ecclesiæ*, licèt sint *ulcerosa*, & *molestissima*, nisi *fundamentum* prorsùs *evertant*, & Ecclesiis *Orthodoxis* bellum palàm indicant.

QVÆSTIO. III.

An Clerici sint exempti à Regimine sæcularis potestatis? Neg.

QVIA.

1. OMnis anima *potestatibus sublimioribus subdita* sit, non solùm propter *iram*, sed propter *conscientiam*, quia sunt à *Deo*, nec *fruſtrà* gerunt *gladium*. Rom. 13. 1. ad 8. *Omnibus* hoc præcipitur, *Sacerdotibus* quoq; & *monachis*, etiamsi *Apostolus*, etiamsi *Evangelista*, etiamsi *Propheta*, aut quivis *alius* fuerit; Subjectio enim ista *pietatem* non evertit. *Chrysost.* in locum. Si *omnis*, Ergo & *vestra*, quis vos *excepit* ab *Universitate?* si quis tentat *excipere*, conatur *decipere*, *Bernard. Epist.* 42. confer. *Tit.* 3. 1. & *Subditi estote* omni *humanæ ordinationi* propter *Deum*, sive *Regi*, sive *Præfectis* ab eo *missis*. 1. Pet. 2. 13. ad 18.

2. Reddenda sunt *Cæsari* quæ sunt *Cæsaris*, *Mat.* 22. 21. Ipse *Salvator* solvit *vectigal* pro *se* & *Petro*, *Mat.* 17. 27. & agnoscit *Pilati potestatem* à Deo *datam*, Jo. 19. 11. & *regnum* ipsius non esse ex *hoc mundo*, Joh. 18. 36. Ergo *Clerici* subjiciantur *Laicis*.

3. In V. T. *David* disponit de *rebus Ecclesiasticis*. *Solomon*

deponit *Abrathar* summum *Sacerdotem*. *Ezekiah* disponit *personas* & res *Ecclesiasticas* 2. Chron. 31. 2. *Josias* reformat *Ecclesiam*, mactavitque *omnes Sacerdotes* excelsorum, super *altaria* idolatrica· 2. Reg. 23.20. In N. T. *Paulus* appellat *Cæsarem*, ut omnibus *Prælatis Ecclesiasticis* superiorem *Act*. 25. 12. Ergo exemptio *Clericorum* tunc temporis à *sæculari* potestate prorsus erat inaudita.

4. Constat ex *historjis Ecclesiasticis*, quando exemptiones istæ *Clericorum* per *Constantinum* M. *Carolum* M. *Lodovicum Pium*, alioſq; *principes*, & *magnates* fuerunt concessæ, Ergo non fuerunt *Jure Divino*, sed ex *Principum* indulgentia.

5. Constitutiones *Imperiales* in *criminalibus*, & *tributis*, *clerum* legibus *Politicis* subjiciunt. Omnes secundum *leges* vivant, etiamsi ad *Domum Divinam* pertineant. L. 10. C. de *mandatis* & L. *Præsbyteri* C. de *Episcopis Novel*. 123.C. 21.22. unde *Gregorius* M. *Papa*, *Mauritium Imperatorem* agnoscit *Dominum* suum. Eandem *subjectionem* asserunt *Medina*, *Covaruvius*, & 146. Autores *Pontificii*, apud *Goldastum* tribus vol. in *folio*.

6. Lex *Evangelica* & *Baptismus* non eximunt *homines*, à Jurisdictione *Civili*, Ergo multò minus *Clericatus* aut *monachatus*, quia ista sunt *minoris* extensionis, dignitatis, & necessitatis; *Quod* si *clericatus* aut *monachatus*, aliquem à *Politica* subjectione immunem redderet, unusquisq; poterit à *pœnis* ob faciniora debitis, & magistratus *Justitia* seipsum subducere, Sacros *Ordines* vel *monachatum* suscipiendo, quod Rempub. everteret.

7. Si Jus Divinum *Clericos* & *monachos* à civili Jurisdictione liberaret, tum privaret principes *suis subditis*, sic ut nec *Juramentum Suprematus*, nec *Fidelitatis* esset illis imponendum, nec pœnæ ob delictas, nec Tributa in Reipub. *discrimine*, (ut à cæteris subditis & civibus) essent exigenda, sed tantùm *directive*, non *coactive*, *precariò*, non *autoritativè*. Quod *imminutæ majestatis* crimen incurrit, & *usurpationi Papali* divinas *leges* & *Politicas* mancipat.

Objiciunt

Objiciunt Romanenses.

Ob 1. REspectu *clericorum* non sunt *principes* Superiores Potestates, ac proinde non *tenentur Clerici* principibus *parere*, neq; Jure *humano*, neq; Jure *divino*, nisi quantum ad leges *quasdam directivas*, siquidem *Sacerdotes Judæorum*, *Exod.* 30. *Num.* 1. Ezra: 1. 7. 2. *Ægyptiorum*, Gen. 47. 3. *Ethnicorum*, Aristot. 2. Oecon. *Cæsar* de *Bell. Gall.* l. 7. *Plutarch.* in vit. Camil. 4. veterum *Christianorum*, Euseb. hist. Eccl. l. 10. c. 7. quoad *personas* & *facultates* erant à *subjectione*, & *tributis* immunes. Ergo hoc factum fuit *Jure divino*, vel *Gentium* omnium animis insito Bell. de Cleric. 28.

Sol. Exemptio ista non erat *universalis*, nec in *omnibus*, sed in *aliquibus* tantùm, præsertim *Sacris* & *Sacramentis*, ut *majori* cum *securitate*, & *alacritate* munus suum obirent; quod si minùs facerent, & Leges *Civiles* violarent, *officium* ipsorum *personas* non eximebat, quominus *gladio* magistratus subjicerentur.

Ob. 2. Clericis concessum est ligare *Reges* in *compedibus*, & *nobiles* eorum in *manicis ferreis*, Psal. 149. 8. sic *Jeremias* constitutus erat super *gentes* & *supra regna*, ut *evelleret*, *destrueret*, *dissiparet*, *ædificaret* & *plantaret*, Jer. 1. 10. quo nituntur privilegio *Pontifices* in *deponendis* principibus.

Sol. Hoc faciendum *gladio oris*, non *ore gladii*, *spiritualiter*, denuntiando ipsis *judicia divina*, non *temporaliter* exercendo in illos *tyrannidem*, sed *Jeremias* qui prædicit regi suo impendentem *captivitatem*, subjicit se regis sui *imperio*, nec conatur *ipsum* quovis modo è *solio suo* deturbare.

Ob. 3. Erunt *reges nutritii* tui, & *Reginæ nutrices tuæ*, vultu in terram demisso *adorabunt* te, & pulverem *pedum* tuorum lingent, Isai. 49. 23. Ergo non possunt *reges* tales *legibus* coercere, quibus tenentur præstare tantam *reverentiam*.

Sol. Non loquitur *Propheta* de *personis* sed de *Ecclesia Orthodoxa*, quæ tàm ex *laicis* constat quàm *clericis*, à *gentibus* tandèm summa *veneratione* amplectanda, non lege aliqua *coercente*, sed *allicio* suaviter ducente.

*Ob.*4. Non tantùm reprehendunt *regem suum Uzziam Sacerdotes*. Non est tui officii *Uzzia*, ut adoleas *incensum Domino*, sed *sacerdotum*, 2.Chr.26.18.Cæterùm vim intulerunt. *Egredere* è *Sanctuario*.Vers.19. & festinatò *expulerunt* eum; V.20. Ergo ipsius *imperio* non fuerunt *subjecti*.

Sol. In *legatione* sua *subjecti* non sunt, sed verbi *prædicationem*, & sacramentorum *administrationem* ex *officio* sibi ipsis vendicent, *magistratumq;* sacra *violantem* juxta *verbum Domini* liberè redarguant. Hoc tamen non obstat, quo minùs *personæ* & *facultates* ipsorum *principibus* subjiciantur, qui *delinquentes* pro merito, *gladio* & *sceptro* coerceant. 2. *Sacerdotes* isti *Regi* non intulerunt *manus violentas*, sed *increparunt* tantùm, & sponte fugientis leprâ à deo percussi, *cursum* accelerarunt.

*Ob.*5. Filii *liberi* sunt à regum *tributis*, Mat. 17.26. Sed *tales* sunt *clerici*, Ergo *regibus* non subjiciuntur.

Sol. Omes *Christiani* hoc sensu sunt *clerici*, & *liberati* ut patet 1.Pet.2.9. Jac.1.25 per *legem libertatis*, Apoc.5.10. unde clerici hinc habent nil *peculiare*. 2. Filii *liberi* sunt, qua *Christiani*, non quâ *membrâ Reipub.* cui *scandalo* essent, si *debitum* non præberent *consilium*, & *auxilium*. 3. Quo nomine *Christus* pro se & *Petro* stateram solvi voluit.

*Ob.*6. Clerici sunt *Pastores*, *Piscatores*, *Patres* Laicorum, etiam *principum*. Sed *præposterum* est ut *Pastores Ovibus*, *Piscatores Piscibus*, *Patres Filiis*, vel *anima corpori* subjicerentur. Ergò non jure tantùm divino sed naturali eximuntur.

Sol. Diverso respectu *clericus pastor* est & *ovis*, neq; *pugnat*, ut quem tu *judicas* in *spiritualibus*, judicet te in *temporalibus*.

*Ob.*7. Spiritualis *homo* omnia *dijudicat*, & ipse à nemine *dijudicatur*, 1.Cor.2.15. Ergo nec subjicitur.

Sol. Æquè hoc omnes *fideles* ac *Clericos* respicit. 2. non *dijudicatur* ut *spiritualis*, sed ut *membrum Reipub.* civilis. 3. nec casibus *conscientiæ*, sed in causis *externis* & *civilibus*.

QVÆST.

QVÆSTIO IV.

An liceat Clericis matrimonium contrahere? Aff.

QVIA:

1. HOnorabile est *connubium* inter omnes & torus *immaculatus*, *fornicatores* enim & *adulteros* judicabit *Deus*, Heb. 13. 4. Ergo nulli hominum conditioni interdicitur *conjugium*.

2. Ad *vitandum scortationem* unusquisq; *suam uxorem* habeat, & unaquæq; suum *virum*. 1. Cor. 7. 2. quia unusquisq; habet *proprium donum* ex Deo, alius quidem *sic*, alius *autem* sic. Donum autem non *habentibus* in quacunq; vitæ *conditione*, melius est *nubere*, quam *uri*, Vers. 9. Ergo æquè hoc licet *clericis* ac *laicis*.

3. Apostolus prohibitionem *coniugii* inter doctrinas *Diabolicas* recenset. 1. Tim. 4. 3. Quia legi naturæ in *primævâ institutione* contradicit. Non est *bonum hominem* esse *solum*. Gen. 2. 18. Faciamus ei *adjutorium*, simile sibi, quod firmatur, 2. ex Praxi *Patriarcharum*, *Enochi*, *Abrahami*, *Jobi*, & summorum *Sacerdotum* in V. T. unde Solomon, væ soli & melius est *duobus* quam *Uni*. *Concessioni* etiam repugnat *Salvatoris*. Qui potest, inquit, *cælibatum* capere, *capiat*. Mat. 19. 12. Ergo *nemo* aliquibus illud juste *interdicat*, quod salvator *liberum* esse voluit.

4. 1. *Tim.* 3. 2. & Tit. 1. 6. *Apostolus* de *Episcopis*, *Presbyteris*

teris, & *Diaconis* clare affirmat *licere* ipsis *conjugium* contrahere, quatenùs eorum unumquemq; unius uxoris *virum* esse jubet, damnata *Polygamia*; & ulterius præcipit, quomodo *propriæ familiæ* consulant, ut *liberos* rectè educant, & in officio *contineant*. Ergo *licitum* erat ipsis ex præscripto *Apostoli* gaudere *uxore*, & *liberis*. Unde *Rithmi* cujusdam (ut aiunt) *Oxoniensis*.

5. *Zacharias habuit prolem & uxorem*
Per vitium quem genuit adeptus honorem.
Baptizavit etenim mundi salvatorem,
Pereat qui tenuit novum hunc errorem.
Paulus rapitur ad cœlos superiores,
Ubi mulias didicit res secretiores,
Tandem ad nos rediens instruensq; mores,
Suas inquit, habeat qui libet uxores.

Sic *Petri socrus* à salvatore sanatur. Mat. 8. 14. qui & uxorem *circumduxit* in *Apostolatu*. 1. Cor. 9. 5. *Paphuntius* cælebs in *Concilio* primo *Nicæno* libertatem nubendi clericis *sartam tectam* asseruit *Sozom.* l. 1. c. 22. Uxorati etiam fuerunt *Irenæus*, *Spiridion* cum aliis *Græcis*, & *Latinis Episcopis*, & uxores ipsorum *Episcopissæ*, *Presbyterissæ* & *Diaconissæ* appellabantur.

-----Non horruit illa
Tempestate Deus thalamos, tædasq; jugales:

Ergo nunc & *Clericis* uxores habere licet.

6. Sacerdotum *conjugiis* favet *Jus Canonicum*, quia ex *Sacerdotibus* nati de *legitimis conjugiis*, in summos Pontifices *promovebantur*, quod *sacerdotibus* ante *prohibitionem* ubiq; erat *licitum*, & in *Orientali* Ecclesia, usq; *hodie obtinet*, Dist. 56. C. *Cenomanensem*. Unde miratur *Leo Imperator* illorum *impudentiam*, qui (ac si *divinæ leges* non essent *absolutæ*) *liberis* hæc ex parte *jugum* imponere auderent. Novel. 2.

7. Cælibatus iste coactus *cleri* & *monachorum* introduxit 1. *fornicationem*. 2. *Adulterium*. 3. *Incestum*. 4. *Sodomiam*. 5. *Bestialitatem*. 6. *Nothismum*. 7. *Infanticidium*. Ut videre licet in *Visitatione* Hen. 8. apud *Balæum*, & *Speedum*, & ex epistola *Udalrici*

ci *Episcopi Augustani* ad *Nicholaum Papam*, de sex *millibus* infantum *craniis*, in *piscina* quadam *Cænobiali* repertis, apud *Magdeburg.* Cent. 9. cap. 10. quæ si *ficti itia* sit, Pontificiorum est *figmentum* non *nostrorum*.

Objectiones Romanensium.

Ob. 1. ESTote *sancti*, quia ego sum *sanctus*. *Levit.* 20. 26. Et qui in *carne sunt Deo* placere non possunt, Rom. 8. 8. ita argumentatur *Syricius Papa* in epistola ad *Himerium Taraconensem Episcopum*. §. 7. 2. *Bonum* est *mulierem* non *tangere*, ergo *malum* est tangere. *Hieronymus* in illud. 1. Cor. 7. 1. Ergo *Clerici*, qui *Deo* peculiariter inserviunt, à *mulieribus* debent præcipuè abstinere.

Sol. Generatim. Textus isti, & alii *omnes*, quos urgent *Pontificii* in hoc *argumento*, æquè *Laicos* ac *Clericos* respiciunt, unde *nullis* omninò *licitum* esset *conjugium*. 2, speciatim, conjugium *in Domino* includit potiùs, quam *excludit* sanctitatem. 3. In *carne esse* non significat esse *conjugatum*, sed *carnalibus* affectibus deditum. 4. *Bonum* non opponitur hic *malo* aut *vitio*, sed *utili*, & *commodo*; ut idem sit quod σύμφερον, *commodum* & *expediens*, ver. 35. unde non dicit esse καλὸν *simpliciter*, sed *bonum* esse *homini* in *tali statu* ancipiti, mulierem non tangere. vers. 29.

Ob. 2. Accedentes ad *Deum* jubentur non *appropinquare uxoribus*, Exod. 19. 15. nec *panem sanctum* potuissent comedere, nisi abstinuissent à *mulieribus*, 1. Sam. 21. 4. Ergo *uxores* videntur *impedimento* esse, quo minus sacra officia exequãtur.

Sol. Ista non concludunt contra *Sacerdotum conjugium*, constat enim illos tunc temporis fuisse *uxoratos*, sed monent tantum *abstinendum* esse ab *uxoribus*, & omnibus aliis, quæ maxime *afficiunt*, cum Dei *cultus sit* præ manibus. 2. Samuelis textus à *salvatore* repetitus. Mat. 12. 4. respicit potius laicos, Et Davidem & pueros quam Sacerdotes.

Ob. 3.

*Ob.*3. Non dicat *Eunuchus*, Ego sum *arbor arida*, quia *dabo* eis *nomen* melius quam *filiis* & *filiabus*. *Isai.*56.4.5.& quidam *seipsos castrarunt* propter *regnum cœlorum*.Mat.19.12.Sed ista præcipuè *clerum* respiciunt;Ergo *clerici* non debent esse *uxorati*.

Sol. Imò æquè ad *omnes* pertinent ac *clericos*.2.Loquitur *propheta* de piis ἀτέκνοις, non de *innuptis*. 3. & *salvator* de iis qui *præferunt* cœlum *uxoribus* & *liberis*, quod ab *omnibus fidelibus* est faciendum,si casus tulerit.*Mat.*19.29.

*Ob.*4. Apostoli reliquerunt *uxores*,postquam ministerio *Christi* se addixerunt,Luc.18.29.Mat.19.29.*Hierom.* cont. *Jovin.*l.1.Ergo *uxores* à clericis sunt relinquendæ.

Sol. Aliud est *uxores* relinquere, ut præteratur religionis *negotium* pro tempore,aliud *dimittere*,& repudiare. Separationem *quoad tempus* cum *consensu* probat *Apostolus*.1.Cor.7.5. *dimissionem* nisi ob *scortationem* nō permittit *Salvator*.Mat.19.9. 2.*Apostolos*,præsertim *Petrum* uxores *circumduxisse* constat, 1.Cor.9.5.non enim verisimile est *alienas* secum *habuisse*. 3. *Hieronymo* opponimus *Clementem Alexandrinum*, & *Tertullianum*,qui & fatetur ipse contra *Helvidium*, ἀδελφὴν γυναικὰ *uxorem* apud *Apostolum* denotare.4. nec aliter *secundum Salvatorem* relinquendæ sunt *uxores*, quàm *parentes* ac *liberi*,idq; ab omnibus æquè ac *ministris*, cum relinquendus sit *Deus* vel *uxores*.

Ob. Nemo *militans* implicat se *negotiis sæcularibus*, ut ei *placeat*,à quo delectus est *miles*.2.Tim.2.4. at qui duxit *uxorem* sollicitus est *de iis* quæ sunt *mundi*,qui *cælebs* est, *sollicitus* est *de iis* quæ sunt *Domini*.1.Cor.7.32.33. *sacerdotis* ergo est se *exuere* præcipuè ab omnibus istis negotiis.

Sol. Uxorem ducere *in Domino probam*, non est implicare *se negotiis secularibus*, sed *adjutorem* in *talibus* sibi *adsciscere*. 2.sollicitus est *uxoratus* de rebus *mundanis* communiter, quando *talem* habet *uxorem*, quæ suum non præstat *officium*, non *universaliter*,quia hoc *necesse est*, sed quia sæpius *accidit*. 3.ista uon magis *clericorum*,quam *Laicorum* obstant *connubiis*.

*Ob.*6. Id quod est *melius*,est *eligendum* à *clericis*,sed qui *abstinet*

stinet à *nuptiis* melius *facit*. 1. Cor. 7.38. quam qui ducit uxorem, Ergo hoc à Clericis præcipuè est præstandum.

Sol. Omnes æque spectat hoc ac *Clericos*. 2. *Melius* facit, i. e. commodiùs tempore *persecutionis*, ob præsentem *necessitatem*, ut restringit *Apostolus*, non *absolutè*, præsertim si non sit *instructus* castitatis *dono*, ita enim est melius *nubere*, quàm *uri*.

Ob. 7. *Patres* à conjugio *abstinuerunt*, & *cœlibatum* conciliorum decretis *Clericis* injunxerunt, quibus est obsequendum.

Sol. Hoc factum non ab *omnibus*, sed *plerisq;* (aliis *reclamantibus*) idq; ex *consuetudine* ob rerum *angustias*, idq; ex *privato liberoq; proposito*, non ex *imperio*, *præcepto* aut *interdicto*, 2. quia *decreta* hujusmodi matrimonium *prohibentia* ab *antiquis* non erant *lata*, sed sub recentiori Antichristi *tyrannide* inventa, quibus semper erat à *sanioribus* reclamatum.

QVÆSTIO V.

An Monachatus sit religiosus vitæ status in quo quis superoget? Neg.

QVIA,

1. ARguit *Scripturam* esse *imperfectam*, ac si non tradidisset *omnia* ad salutem *necessaria*, contra illud, 2. *Tim.* 3. 16. 17. Omnis *Scriptura Divinitùs* est inspirata, & *utilis* est ad *Doctrinam*, ad *redargutionem*, ad *correctionem*, ad *Disciplinam*, quæ est in *justitia*, ut *perfectus* sit *homo Dei* ad *omne opus* perfectè instructus. Alitèr Christus tandèm cum *Prophetis* & *Apostolis* esset quoad *regulas credendi*, aut *vivendi*, à *Dominico*, *Francisco*, aut *Ignatio Loyola* corrigendus.

2. Irritum facit *mandatum* Dei in honorandis *parentibus*,

& *adjuvandis*; Ingrediens enim *religionem*, eximitur posteà ab omni *parentum* obsequio quod *Pharisaicum* istud refert à *servatore* reprehensum. *Mat.* 15. 4. *Mar.* 7. 10.

3. Privat homines *primævâ benedictione*, *Crescite & multiplicamini*, & replete *terram*. Gen. 1. 28. & contradicit creatoris *sententiæ*. Non est bonum *hominem* esse *solum*. Gen. 2. 18. & *sapientis*. Væ *soli*. Eccles. 4.

4. Non licet vovere *aliquid* quod *Deus* non præceperit, aut quod in *damnum* Reipub. aut *proximi* cedat; sed damnantur omnes cultus *electitii*, quia planè *hæretici*. Quod præcipio tibi, hoc *tantum facito Domino*, nec addas *quicquam*, nec minuas. *Deut.* 12. 32. Col. 2. 23. sed *monachismi votum* nusquam habet *præceptum*; Reipub. *membrum* subducit, & separat, juxta illud *Apostoli*. Ego sum *Pauli*, ego *Apollo*, ego *Cephæ*, 1. Cor. 1. 12. & contra illud *Salvatoris*. Ne vocamini *Magistri*, quia *magister* unus est. Mat. 23. 10. nec permittit ut erga *proximum* exerceatur *hospitalitas*, & aliæ virtutes *Homileticæ*, præsertim si in *Anachorismum*, aut *Eremitismum* obbrutescat. Ergo non *omninò* est ferendum.

5. Vota *Paupertatis*, *Obedientiæ*, & *perpetui Cœlibatus* verbo Dei adversantur, quia 1. *Mendicum* noluit esse Deus in *Israel*, Ecclesiastic. 40. 28. 2. *Emptos* pretio non vult fieri *servos* hominum. 1. Cor. 7. 23. subeuntes *Præpositorum* jussa, sine *examine* ex *cæca obedientia*. contra illud *Christi*. Qui potest *capere*, *capiat*. Mat. 19. 13. Sed *monachatus* ad hæc omnia mancipat *incommoda*, cum *supererogationis* opinione, Ergo non est *ferendus*, aut aliter *instituendus*.

6. Supererogatio est *superarrogans commentum*, quod *consiliis* nititur *fictitiis*, à quorum *observatione* plus præstatur quam *lex* requirit. Atquî nemo potest *implere legem* Dei, ut indè *justificetur*, multò minùs excedere *dilectionem*, quæ ex præcepto. *Toto Corde*, *toto Animo*, & *totis veribus Deum*, & *proximum* sicut *seipsum* debet amplecti. Ergo *impossibile* est *supererogare*, ex observatis votis *monasticis*, & per *consequens*, Ecclesiæ (ut loquuntur,) *Thesaurus*, & *Papales* inde eductæ *indulgentiæ* prorsùs in *fumos* abeunt.

7. Votum

7. Votum in *Baptismo* nuncupatum, & posteà ab adultis *ratihabitum*, supervacanea reddit *omnia* vota *monastica*, nec enim plus requiritur, quam ut *Diabolo*, & *omnibus* ejus *operibus*, *mundo* & ejus *pompis*, & *vanitatibus*, *carni* & omnibus ejus impis *concupiscentijs* abrenunciemus; fidei omnes *articulos* credamus, & in omnibus *mandatis* Domini ambulemus. Monachi autem religioni *palpum* obtrudunt, dum possident omnia *securiùs*, & *liberius* in *cœnobio*, ex aliorum vivunt sudore, quam ij qui fundarunt talia *monasteria*, aut alij qui *stipem*, & *eleemosynam* conferunt.

Objiciunt Romanenses.

Ob. 1. ENosh. *Gen.* 4. *Nazaræi*, *Num.* 6. *Elias* & *Elizeus*, unà cum *filiis* prophetarum è *libris* regum. Rechabitæ. *Jer.* 35. *Baptista*, Mat. 3. *Apostoli*, Act. 4. unà cum aljis *Sanctis* & *patribus* celeberrimis, hunc vitæ statum *instituerunt* & *coluerunt*, Ergo est probandus.

Sol. Aliena sunt ista *omnia* à statu *monachorum* votivo, nam 1. qualis erat *Enosh* monachus, qui *uxorem* habuit, & liberos? nec ille cultum *seperatum* instituit, sed *cæpta* est ipsius *tempore*, publica seorsim à *Caianitis* invocatio; De inde verba *textus* æquè ferunt *prophanationem* ac *invocationem*, juxta *Tremellium*, *Broughtonum* & alios, ut sit legatur tum *cæptum* est *profanari nomen Domini*. 2. *Nazaræorum* peculiaris erat à *Deo*, non ab hominibus *institutio*, qui & bona *possidebant*, & *uxores* habuerunt, quemadmodum, 3. *Rechabitæ*, quorum *observationes* non *perpetuæ* erant, nec *uniusmodi*, sed tempori accommodatæ 4. *Eliæ* & *Elizei* vocationes erant à Deo *extraordinariæ*, nec in *exemplum* trahendæ; nec *filii* prophetarum in *monasteriis*, sed *scholaticè*, pro tempore simul *instituebantur*, ad munia fæliciùs obeunda, in *Ecclesia*, vel *Republica*, 5. *Baptistæ* conditio divinitùs injuncta, non *eremum* constantèr tenuit, sed & *aulam* petiit. 6. Communio bonorum inter Apostolos, pro tempore erat

arrepta, non præcepta, ut continuaretur. 7. Ex *necessitate*, non ex *voto* factiſunt Eremitæ, *Paulus*, *Antonius*, & *Hilarion*, & *Scholæ* fuerunt *institutæ* à patribus, in quibus *discipuli* educarentur ad *ministerium*, non *monasteria*, in quibus *superstitiosè* saginarentur, ut in *otio* non *ferendo* consenescerent.

Ob. 2. Si vis *perfectus* esse, *vade*, & *vende* omnia, & da *pauperibus*, & habebis *thesaurum* in Cœlo. *Mat.* 19. 21. Ergo qui exuunt *sæcularem*, & induunt *monachum*, assequantur eam religionis *perfectionem*, quam cæteri *fideles* non attingunt.

Sol. Præceptum hoc personale erat ad hominem, & διακεκριτικὸν, ad detegendam interrogantis *latentem avaritiam*, non *generale*, quod quosvis obligat, nisi in tali *casu*, ubi aut omnia sunt *deserenda*, aut *Christus* relinquendus, monachatus igitur *vota* non omnino astruit.

Ob. 3. Beati pauperes, Mat. 5. 3. Ergo paupertas *monachalis* est expeteuda.

Sol. Non *pauperes* πτώματι, sed *pauperes* πνεύματι à *Salvatore* fælices pronunciantur, non ob divitiarum *defectum*, sed animæ *affectum* humilem, quod non *claustralibus* solùm, sed omnibus *Christianis* competit.

Ob. 4. Opportet *nosmetipsos* negare, Mat. 16. 24. & obedire *Præpositis*. Heb. 13. 17. Sed ista exactius cæteris præstant *monachi*. Ergo probanda est ista vitæ ratio.

Sol. Abnegatio *suiipsius* & præpositis debita *obedientia* æquè omnibus *Christianis* pro ratione suæ *conditionis* præcipiuntur, nec minùs exerceantur à *sæcularibus*, quam à *superstitiosis* monasteriorum *votariis*.

Ob. 5. *Castratio* voluntaria laudatur. Mat. 19. 13. & perstringuntur *viduæ*, quæ *primam fidem* deseruerunt. 1. Tim. 5. 12. Ergo *castitas monachalis* est *commendanda*, & *vota* monachorum non *deserenda*.

Sol. Castitas illa *permittitur*, sed non *præcipitur* à *Salvatore*, idq; dono *instructis*, non aliter *dispositis*. Illi autem se *castrant* propter regnum cœlorum, qui deserunt *uxores* & omnia quæ *impediunt*, quo minus *Christum* sequantur, sed uxor potest esse talis, quæ viri pietatem *promoveat* & infidelem *sanctificet*.

1. Cor.

1. Cor. 7. 14. 2. *viduarum* ante non reprehenditur *conjugium*, sed *levitas*, quæ absq; *ratione* satis *probata* mutant *conditionem*.

Ob. 6. De virginibus *præceptum* Domini non habeo, *consilium* do. 1. Cor. 7. 25. unde *Paulus* gratis prædicans, plus *præstitit*, quam erat *præceptum*. 1. Cor. 9. 12. Ergo *consilia* dantur *Evangelica*, & *supererogationis* opera, *monachatus* fundamenta.

Sol. Consilia ista sunt *præcepta*, quæ non *omnibus* competunt, sed *capacibus*, nec sunt ultra præceptum *generale*, sed *citra*, ut *media* ad præcepti *impletionem* ducentia. 2. *Paulus* supererogat non *absolutè*, respectu *generalis* præcepti, Diliges *Dominum Deum tuum toto Corde*, &c. *proximum* sicut *teipsum*, sed *comparatè*, quatenus *gratis* prædicabat, cum *stipendium* potuisset *jure* postulare, quod tamen *debitum* Deo *obsequium* non excedit, sed infrà subsidit.

Ob. 7. *Supererogationem* defendunt *Patres*, Ergo non à nobis est *sufflaminanda*.

Sol. Defendunt *comparatè*, vel, 1. ad præcepti partem *negativam*, ut qui *Eleemosynas* largitur plus præstat, quam *litera* præcipit, Non *furaberis*, vel 2. ad *actus externos*, ut cum *animitùs* quispiam implet *literam* non consuetitudinariò. vel 3. ad *unum aliquod mandatum*, ut jubes quod *Adulterè* non simus? Amando *plus* facimus quam *jubes*, aiunt *virgines* apud *Augustinum*, de *verbis Apost.* Serm. 18. vel 4. Ad *mandatum* cæteris *commune*, sic *Paulus* supererogat, dum *gratis* prædicat, sed non *absolutè*, ac si aliquis potuit *Deum* plus quàm *toto animo*, *mente* & *corde* diligere, quod *expressè* præcipitur, omnia enim cum *fecerimus*, dicanus, quod *servi inutiles sumus*, quia fecimus *tantùm*, quod *debuimus*. Luc. 17. 10.

QVÆST. VI.

An Iuramentum Fidelitatis Magistratibus Laicis à clericis æquè ac à Laicis sit præstandum? Aff.

QVIA.

1. IVramentum illud nil præter *veritatem, judicium* & *justitiam* proponit quæ sunt *omnes conditiones* juramento legitimo requisitæ. Jer. 4. 2.

2. De *fide subditorum* Magistratum reddit *certiorem*, ut mutua *pax* in *Repub.* conservetur, dum *legitimam* ipsius agnoscunt, *potestatem*, & *debitam* spondent obedientiam juxta illud Rom. 13. 1.

3. Detrahit *Anichristo* & *Fanaticis* larvam, qui sub prætextu *suprematus* à *Christo* ipsis concessi, detrahunt *Cæsari* quæ sunt *Cæsaris*. contra illud. *Mat.* 22. 21. & *subditos* animant & *armant*, vel occultis *cuniculis*, vel aperta *rebellione* in *Unctos* Domini.

4. Discrimen ponit *apertum* inter *Papicolas errones*, & *turbones*, dum constet, qui hoc sincerè *præstant juramentum* (non *obstante* in aliis *superstitione* aut dissensu) habendos esse pro *fidelibus subditis*, *recusantes* verò *perfidiæ* esse postulandos.

5. Ante *mille annos* consimile *juramentum* ab Hispanis *Pontificiis* sanctitur *exigendum*. Concil. Tolet: 4to. Can. 74. Ergo nec *nostrum*, nec *novum*, nec *iniquum* habendum est inventum.

6. Idem etiam decreverunt *Galli Papicolæ* in Conventur trium *ordinum* Ann: 1614. ubi *Bellar: Suarez*, & *Sanctarellæ* aliorumq;

aliornmq; oppugnantium hoc *juramenrum* Tractatus *Vulcano* adjudicantur. Vid. libellum cujus Titulus DEUS & REX.

7, Quibus consentiunt *Barclæi Pater*, & *Filius*. 2. Apud nos *Sacerdotes* 13. regnante Elizabethâ apud *E. J. Pontificium*, in peculiari *Tractatu Anglicè* p. 10. 3. *Blackwellus Archipresbyter*, cum sequacibus *juramentum* illud *præstitit*, ut Rogerus *Witheringtonius* adversus *Fitz-herbert*, *Sculkenium*, & alios ex *Conciliis* & *Patribus copiosè* & *nervosè* defendit.

Objectiones Adversantium.

Ob. 1. NOn *præstandum* est *juramentum* quod privat *Pontificem* suo *jure*, quo potest Reges *Christianos* deponere ex pacto in *Baptismo*, per quod Christo & suo in terris *vicario* se subjiciant Bellar.

Sol. In *Baptismo* nomen dant omnes *Christo*, non *Papæ*, qui est Christi potius *Rivalis*, quàm *Vicarius*, & generale est Axioma. Lex *Christiana* nullum privat *suo* jure *Ecclesiastico* multo minùs *temporali*.

Ob. 2. Potestas *Temporalis* potestati *spirituali* est *subjecta*, quod negatur in hoc *juramento*. Ergo non est admittendum.

Sol. Subjicitur quoad *directionem*, non quoad *imperium* & *coactionem*, diverso enim *respectu* & *Gladius* subjicitur *Clavibus*, & *Claves Gladio*, exemptio enim *Clericorum* est ex principum *indulgentia*, non ex *vocationis*, aut *personarum* privilegio.

Ob. 3. Constitue super te *regem* ex *fratribus* tuis. *Deut.* 17. 15. i. e. ejusdem *religionis*. Ergo si *christianus* rex dilabatur in *hæresin*: aut *atheismum* regni sui *jure* excidit, & per *consequens*, potest à *Papa* excommunicari, & deponi.

Sol. Impiè facit populus qui regem *infidelem* (cum aliter potest) sibi ipsi constituat, sed si legitimo *titulo hæreditario*, vel *aliàs* à Deo sit constitutus; ferendus est, sive *Tyrannus*

sive

sive *Hæreticus*, vel *alias*, non à subditis suis *feriendus*, multo minus à *Papa* exauctorandus.

Ob. 4. Damnat *Juramentum*, ut *impiam* & *hæreticam*, hanc *doctrinam*, quòd *principes* per *Papam* excommunicati possint à *subditis* deponi; sed hoc non est *hæreticum*, quia nullum tollit fidei *Articulum*, sed *regimen* tantùm *Ecclesiæ* respicit.

Sol. Hæresis non tantùm fidei respicit *Articulos*, sed *veritates* omnes in verbo divino *expressas*, de quibus hæc est. *Obedientiam* principibus nostris esse *præstandam*, Rom. 13. 1. &c. nec hanc *opinionem* directe *damnat* ut *hæreticam*; sed ac si esset *hæretica*, detestandam.

Ob. 5. Negat hoc *juramentum* jus *Absolutionis*, quod omnibus ministris conceditur. Ergo *iniquum est*, & non suscipiendum.

Sol. Aliud est absolvere *pœnitentes* à *peccatis*, aliud ab *obedientia* principibus suis *debita*; hoc facere possunt omnes *ministri* æquè ac *Papa* (declarative *tantùm*, non *autoritative*) non illud, Vel Papa vel quivis alius præter Deum.

Ob. 6. Ut *Petro*, sic *Papæ* ejus *successori* injunctum erat *triplex* Pasce, Joh. 21. i. e. *triplex* concessa *potestas*. 1. circa *lupos* ut istos abigat. 2. circa *arietes* petulcos, ut *eos* excludat. 3. circa *oviculas*, ut *pabulum* salutare illis præbeat, sed hoc impedit hoc *juramentum*. Ergo non suscipiendum.

Sol. Nihil peculiare *Petro*, quod cæteris *Apostolis* non erat *commune* multo minùs *Papæ*, in verbis illis Christi erat *concessum*. 2. Aliud autem est *pascere*, aliud *deglubere*, & *deponere*, rectiùs faceret *Papa*, si suos *pasceret*, & non immitteret *falcem* in alienam *messem*. 3. Oves enim non *Papæ* sunt, sed *Christi*, quas pro virili tenentur omnes pastores spirituales verbo pascere, & non bonis suis *temporalibus* exuere.

Ob. 7. Surge *Petre*, *occide*, & *manduca*. Ergo potest *Papa* ipsius *successor* principes *rebelles* pro arbitratu *deponere*. Baronius.

Sol. Si sic *occidat*, tenetur eodem præcepto *manducare*, sed forsan tum ossa hærebunt in *gula*, ut contigit *lupo* ovem voranti in *fabula*.

QUÆSTIO

QUÆST. VII.

An aliqua sint membra Ecclesiæ laborantia in Purgatorio? Neg.

QUIA.

1. SCriptura tale *Purgatorium* circa *centrum* terræ, Gehennæ *attiguum* non agnoscit, sicut patet ex *ductu* utriusq; *Testamenti*, sive in *exequiis* celebrandis, sive in *sacrificiis* offerendis, ubi ne vola quidem talis *purgatorii*, vel minimum occurrit *vestigium*. Ergo est *figmentum*, *poeticum*, & *ethnicum*, non *dogma* Christianum.

2. Duo tantum statuuntur post *mortem* animarum *receptacula*, *cœlum* credentibus, & *gehenna* incredulis. Mar. 16. 16. quod in parabola *Divitis* & *Lazari*, ad oculum quasi exprimitur. Luc. 16. 22. Ergo locus *tertius* non est *fingendus*, quod sit laboratorium animarum *purgatorium*.

3. Qui credit, in judicium non *venit*, sed per mortem transit *ad vitam*, Joh. 5. 24. 2. Beati *mortui*, ἀναπαύεσθαι etiam dicit spiritus, ut *requiescunt* à laboribus, Apoc. 14. 13. 2. Scimus cum hæc terrena domus dissoluta fuerit, habere nos *ædificium* in *cœlo*. 2. Cor. 5. 1. Ergo non *carcerem* in *purgatorio*.

4. Sanguis *Jesu Christi* (καθαρίζει) *purificat* nos ab omni *peccato*, 1. Joh. 1. 7. 2. quem prōposuit, Deus ἱλαστήριον *placamentum*, per *fidem* in sanguine ipsius, ad *demonstrationem* justitiæ suæ, prætereundo *peccata* quæ anteceserunt in illa Dei *tolerantia*. Rom. 3. 25. Ergo non punit in alio sæculo. Sed detrahit hæc ficta expiatio *Christi satisfactioni meritoriæ*, & *mediatoriæ*, & Articulum *Remissionis* peccatorum, quem habemus in *symbolo* Apostolico, prorsus evertit.

5. Dum tempus habemus, operemur *bonum* apud omnes, Gal. 6. 10. venit *nox*, in qua nemo potest operari, Joh. 9. 4. Quodcunq; *facere potest* manus tua, *instanter* operare, quia nec *opus*, nec *ratio*, nec *sapientia*, nec *scientia* erunt apud *inferos*, quo tu properas. Eccl. 9. 10. Sed immutabilis est *status* ut arboris *cadentis* ad *austrum*, vel *aquilonem*, Eccl. 11. 3. Ergo non expectanda *post hanc vitam* purgatio, ubi nullus est locus *operandi*, sed *recipiendi* secundum opera.

6. Consentiunt *Patres* postquàm hinc *excessum* fuerit, *nullus* pœnitentiæ aut *satisfactionis* locus relinquitur, *Cyprian* ad *Demetrianum*. 2. Hic *luctæ*, & *certamini* locus est, illic erit *coronæ*, & *præmio*, *Chrysost.* de *Lazaro*, *Homil.* 2. 3. Nemo se fallat, *fratres*. Duo tantum *loca sunt*, *tertius nullus invenitur*. Aug. de Tempore. Ser. 132.

7. Aut expiat *Purgatorium* post hanc vitam *culpam*, aut *pœnam*; non *culpam*, quia ista tollitur per pœnitentis *Absolutionem* & *extremam Unctionem*, non *pœnam*, quia ista exigitur severissimè in *Purgatorio*, contra illud, *Peccatorum* ejus non *recordabor amplius*, Ezec. 18. 22. quod si sublata sit *culpa* in hac *vita*, quare non & *pœna*? & si deleatur *culpa mortalis*, cur non & multo magis peccati *venialis*, sic ut non opus sit apud *inferos Purgatorio*, præsertim à *Dæmonibus* torquentibus, qui potiùs polluant, quam *purgent*, unde hæsitant de *Purgatorio Lombardus* cum plurimis aliis *Papicolis*, nulli urgent ut *Articulum* fidei præter *Jesuitas*.

Contra urgent Romanenses.

Ob. 1. EX V. T. *Sancta* & *salutaris* est *cogitatio* orare pro *defunctis*, 1. Mac. 12. Sed non *salvatis*, quia non opus est, vel *damnatis*, quia non *prodest*. Ergo pro *purgatis*. 2. Quem in finem panis, & vinum expendenda essent in *sepulturis* justorum? Tob. 4. 3. *David* jejunavit pro *Saul*, & *Jonathan*, 2. Sam. 1. 4. *Agnoscit* se per *ignem* & *aquam* eductum fuisse

fuisse in locum *refrigerii*. Psal. 38. 5. in quo non erat *aqua* Zach. 9. 6. E loco ubi accensus erat *ignis* spinas devorans, Psal. 66. 7. Ubi *sedebit* Deus quasi *ignis conflans*, & purgabit *filios Levi*. Unde petit *David*, ne illum in ira sua *castiget*, Psal. 6. Sed omnia ista *loca*, vel seorsim, vel simul *sumpta* probant *Purgatorium*. Bell.

Sol. Duo prima loca sunt *Apocrypha*, nec probant *Purgatorium* post hanc vitam, sed piorum promovent *castigationem* & *consolationem*. 2. reliqua vel sunt prorsus *aliena*, vel respiciunt tantum *afflictiones*, quibus *Deus* suos *castigat*, vel *exprimunt* pium affectum *vivorum* erga *mortuos*. 3. Nec *Patres* ante Christi *adventum* juxta *Pontificios* fuerunt in *Purgatorio*, sed in *Limbo Patrum*, unde dicunt *Christum* illos eduxisse.

Ob. 2. N. T. exhibet *carcerem*, unde post redditam ultimam *quadrantem* erit liberatio, Mat. 5. & *mitiorem pœnam*, quàm in *gehenna* irascenti temerè. ibid. 2. *Peccata* quædam esse *remittenda* post hanc *vitam*. Mat. 12. quod non *potest fieri* in cœlis, aut *gehenna*, Ergo in *Purgatorio*. 3. Per *Mammona iniquitatis* posse nos facere *amicos*, qui post mortem recipiant nos in *cœlestia habitacula*. Luc. 16. 4. Orasse latronem, ut *Christus* esset ipsius *memor* in regno, sic ut evaderet *Purgatorium*, Luc. 22. cujus dolores *Christus* dicitur *solvisse*. Act. 2. 5. ubi purgandorum *peccata*, ut *fœnum* & *stipulæ*, quasi per *ignem* absumuntur. 1. Cor. 3. 6. Pro quibus *lachrymis* se *baptizant* vivi, ut *liberentur* à pœnis. 1. Cor. 15. 7. Eandemq; ob causam in *purgatorio* laborantes Christo *geniculantur*. Phil. 2.

Sol. Torquentur ista omnia adversus Textus *scopum*, ut patet ex *antecedentibus*, & *consequentibus*, nec gry de purgatorio post hanc *vitam* potest ex illis *extundi*.

Ob. 3. Concilium *Carthaginiense* tertium, *Bracarense* primum, *Cabilonense*, *Wormasiense*, *Lateranense*, *Florentinum*, & *Tridentinum*, Purgatorium asseruere, Ergo est *credendum*.

Sol. Prima ista *Concilia particularia* de *commemoratione mortuorum* statuunt, non de purgatione. 2. Tria *sequentia* pro libitu decreverunt quicquid maxime ipsorum commodis

conveniebat.

Ob. 4. Patres *Orationem, Sacrificiorum, Oblationum* pro *defunctis*, adeoq; purgatorii post *hanc vitam* mentionem faciunt. Ergo *receptum* fuit ab illis ut Ecclesiæ dogma.

Sol. In alium finem hoc fecerunt, vel ad *testificandum* pium erga mortuos affectum. 2. vel ad *exoptandam* illis *beatam resurrectionem*, 3. vel ad *Deum celebrandum* pro mortuis in *domino*. 4. vel *loquuntur* de *igne tribulationis* in hoc sæculo, vel *conflagrationis* in die *judicij*, vel 5. *hæsitanter* asserunt. *Incredibile non est*, Quia *forsitan verum est*, ut Augustinus, nunquam *urgent* ut fidei *dogma*, nam priscis (uti fatetur *Roffensis* contra *Lutherum*. Act. 18.) erat *incognitum*, & serò ad *ignem Purgatorij* est *trepidatum*. confer. Sixtum. *Senen. Biblioth.* lib. 5. Num. 17.

Ob. 5. Confitentur *Purgatorium Hebræi*, ut *Josephus* Ben *Gorion*, *Mahumetani* in *Alcorano*, Philosophi, ut *Plato* in *Gorgia*, & *Phædone*. *Cicero* in somnio Scipionis. Poetæ ut *Virgilius*.

Ergo exercentur pœnis, veterumq; malorum
Supplicia expendunt. Æn. 6.

Claudianus.

Quos ubi per varios amnes, per mille figuras
Egit lethæo purgatos flumine-----

contra *Ruffinum*. l. 2. Ergo *dictamen* est quasi naturæ, dari purgatorium. Bellar. de Purgat. l. 1. c. 11.

Sol. Prodigiosum videtur *Christianæ* fidei *dogma*, quod talibus nititur *patronis*. 2. & Purgatorium hoc *Judaicum*, *Ethnicum*, & *Turcicum*, toto (ut loqui liceat) inferno, à *Papistico* discrepat.

Ob. 6. Animarum *apparitiones* purgatorium variis *modis* & *singultibus* demonstrarunt, ut patet ex *Gregorii Dialogis*, 2. *Gregorio Turonico*, 3. *Petro Damiani*. 4. *Beda*. 5. *Bernardo*. 6. *Anselmo*. 7. *Vincentio* in *speculo* Historiali, ut habet Bellar. ibid. Ergo *credendum* est esse Purgatorium.

Sol. Fabulæ istæ *anniles Diaboli* potius produnt *impostu*ras, quam *Articuli* Christiani ponunt *fundamentum*.

Ob. Purgatorium, hoc est locus intra *terræ viscera*, ge-

henæ

hennæ *vicinum*, colligi potest ex *irruptionibus* ignis Ætnæ in *Sicilia*, & *Heclæ* in *Islandia*, unde conspecta fuit *anima Theodorici Ariani* in foveam *Vulcani* præcipitata, apud *Gregor.* Dialog. l. 4. c. 35. & *audiuntur* ex *Hecla*, tonitrua horribilia, & sæpe apparent *animæ*, quæ dicunt *se mitti* in istum *montem*. Bellar. de Purgat. l. 1. c. 6.

Sol. Ex venis *terræ Sulphureæ* erumpere tales *ignes* ostendunt *Physici*, & *naso* caret, vel laborat *nimia gravedine*, qui olidas hujusmodi *impostoras* statim non subolfaciat.



LOCI IV. SECT. III.

DE DISCIPLINA *ECCLESIASTICA.*

DISCIPLINA in qualibet *particulari Ecclesia* est necessaria, 1. *deducenda* ex verbo divino, 2. *dirigenda* ad τάξιν & εὐχημοσύνην 3. *liberanda* à cumulo *rituum* & ceremoniarum *onerantium.*

In hac *discutienda* præcipuæ occurrunt hæ Quæstiones.

An
1. *Regimen Ecclesiæ Catholicæ per Papam, tanquam Christi Vicarium debeat esse Monarchicum?*
2. *Ex Institutione Christi, aut Apostolorum, Episcopatus sit Ordo, sive gradus, à Præsbyteratu distinctus, eoque superior?*
3. *Clerici Jure Divino exerceant Jurisdictionem Temporalem, aut Laici spiritualem?*
4. *Liceat subditis contra legitimum suum Magistratum*

tum, sub prætextu quovis Religionis, arma movere?
5. Statæ Liturgiæ in diversis Ecclesiis diversæ, modò Sacris Literis non repugnant, sint probandæ?
6. Liturgia Anglicana sit Sacris Literis Conformis?
7. Vocatio Cleri Anglicani ad Sacros Ordines post Reformationem fuerit Legitima?

QVÆSTIO. I.

An regimen Ecclesiæ Catholicæ per Papam, tanquam Christi Vicarium, debet esse monarchicum? Neg.

QVIA.

1. POntifex *Ecclesiæ Judaicæ*, utcunq; typus erat *Christi*, *monarcham* nõ agebat pro *arbitratu suo*, sed *legi* & *regi politico* erat subjectus, unde *David* de rebus disponit *Ecclesiasticis*, *Sacerdotibus* & *Levitis Paralip.* 1 15.16. *Solomon* deponit *Abiathar* summum *Sacerdotem*, & surrogat *Sadoc* in ipsius *locum*. 1. Reg. 2. 26. 27. cogitq; *Concilium* ad Templi *Consecrationem*. 1. Reg. 8. quod *monarchiam* summi Pontificis prorsus eliminat.

2. In N.T. *primatum* in Ecclesia *Salvator* prorsus prohibuit. Scitis quod *principes gentium dominantur eorum*, & qui *potestatem* habent *super* eos, *Benefici* vocantur, *vos* autem non *sic*: Mat. 20. 26. Luc. 22. 26. neq; inter *ordines Ecclesiasticos*, *Papam* ullum, aut *Oecumenicum Episcopum* recenset *Apostolus*, 1. Cor. 12. 28. Eph. 4. 11.

3. In Concilio *Hierosolymitano*, Act. 15. nullus præ cæteris

ris *præsidet* vel *primatum* exercet; sed *Apostoli* pari *jure* decernunt, & *decreta* sua cum assensu *Præsbyterorum* & *fratrum* absq; *Anathemate* syderante promulgant, Vers. 22. 23.

4. Petrus ipse hanc *monarchiam*, & *supprematum* prorsus aversatur dum Συμπρεσβύτερον se appellat, & κατακυριεύειν *dominari* in clerum, & ἀλλοτριεπισκοπεῖν prorsus interdicit, 1. Pet. 4. 15. & cap. 5. 1. 3. cur igitur *Papa* arrogat, quod *Petrus* abhorret? Et cur vendicat sub titulo *Petri* primatum, potius quam quivis alius *orthodoxus* Episcopus?

5. Christus solus est *monarcha*, *caput* & *sponsus catholicæ Ecclesiæ*, cui profitetur se semper *adfuturum* usq; ad *consummationem* sæculi. Mat. 18. 19. & 28. 20. sed ista sunt ἀσύστατα cum *vicario*, qui absentis vices tantum supplet, sic enim *monarcha* non esset μονος, & *corpus* esset *biceps*, & *sponsus* admiteret *tori socium*, quod non est ferendum.

6. Papali huic usurpationi restiterunt *Concilia* omnia *antiquiora*, & *liberiora*, è quibus *nonnulla hæreticos* aut *schismaticos* Papas denunciarunt, & deposuerunt; nec *Ecclesiæ Patriarchales* eminentiores usq; ad hunc diem Papæ *jugum* subierunt. Legatur *Philippi Mornæi mysterium iniquitatis*, qui *sexaginta* circiter *instantias* adversus hoc *monarchicum papale regimen* adducit.

7. Patres oppugnant. 1. *Cyprianus*. Cæteri *Apostoli* erant *quod fuit Petrus pari consortio præditi honoris*, & *potestatis*. lib. de Simplicitat: Prælatorum. 2. *Hieron*. Ubicunq; fuerit *Episcopus*, sive *Romæ* sive *Eugubiæ*, sive alibi, ejusdem est & *Sacerdotii*, Ep. ad *Evagrium*. 3. *Gregorius Papa*. Ego *fidenter dico* quia quisq; se *universalem Episcopum*, vel *Sacerdotem* vocat, vel vocari *desiderat* in elatione sua, *Antichristum* præcurrit. lib. 6. ep. vid. *Perkins: Problem.* Tit. *Suprematus*.

Objectiones

Objectiones Romanensium.

1. CHristus reliquit suæ *Ecclesiæ* optimum *regimen*, tale autem est *monarchicum*, quod obtinet in *cælesti Hierarchia*, ubi *Michael Lucifero* est *suffectus*, & inter *apes*, *grues*, & cætera *pecora campi*, quæ sortiuntur ex naturæ dictamine unum *Rectorem*. Ergo hoc in Ecclesia catholica est tenendum.

Sol. *Monarcham* agnoscimus *Ecclesiæ*, sed *Christum*, non *Papam*. 2. Quem per *Michaelem* designatum existimamus non *Lucifero* (quod blasphemum est) successorem, sed è sinu Patris *hæredem*. 3. nec *apes* una, aut *grus* &c. omnibus *alveariis* & gregibus præficitur, sed diversæ *diversis*; ut regnum unumquodq; *distinctum* in *Politicis* habet suum *distinctum regem*, non *unum* omnia.

Ob. 2. Regimen *Judaicæ Ecclesiæ* à Deo ipso constitutum erat *Monarchicum*, sub uno *summo sacerdote*. Hæc autem omnia *in figura* facta sunt nostri. Cor. 10. 6. Ergo huic *Ecclesiæ* confirmanda est *Christiana* gubernatio.

Sol. Summus Judæorum *Sacerdos* Christi erat *typus*, qui *Monarcha* solus est Christianæ Ecclesiæ. 2. non quærendum hic à nobis quid *politicis placeat*, sed quid *Christus constituerit*.

Ob. 3. Christus constituit *Petrum* talem *Monarcham*. Mat. 16. 18. Tu es *Petrus* & supra *hanc Petram* ædificabo *Ecclesiam* meam & *Joh.* 21. 15. Triplex *pasce agnorum*, & *ovium* illi *injungitur*, aliasq; in N. T. 28. *prærogativæ* præ cæteris *Apostolis* Petro ascribuntur.

Sol. De *officio* Petri cum cæteris Apostolis communi aperta est scriptura, sed nil habet de *Monarchatu*. 2. nec Petri *personam* fundamentum *Ecclesiæ* statuunt *Patres*, sed *confessionem* de Christo, nomine omnium *Apostolorum* exhibitam. Vel *Petro* tantùm *personaliter* hoc dicamus concessum, ut *primus* esset Evangelii *præco* post S. Sti *descensum*. quod *Act.* 2.

præstitum fuisse legimus. 3. *Triplex Pasce* triplicem *negationem* respicit, ob quam *Salvator* non ipsum pro merito *rejecisse*, sed pro summa sua *misericordia* in integrum restituisse declarat, ut pasceret ipse cum *cæteris*, non præ *cæteris*, inter *cæteros* ut *socius*, non *cæteros* omnes, ut monarcha. 4. Corrasæ vero istæ 28. *prærogativæ*, si *primatum* ordinis *Petro conferunt*, *suprematum Jurisdictionis* nullatenùs deferunt. 5. Quem si salvator *Petro*, & *Pontificibus Romanis* in cæteras omnes *Ecclesias* contulisset, mirum videtur. S. *Petrum* in concilio *Hierosolimitano*, aut *Epistolis* suis Catholicis, ne verbo quidē hanc *prærogativam* insinuasse, nec B. *Paulum* hoc *Romanis* in Amplissima sua *Epistola* significasse. Nec *Zozimùm*, *Bonifacium*, aut *Cœlestinum* hos *Scripturæ* textus contra *Africanos* in Concilio *Carthaginensi*, 6. in causa *Apiarii* pro suprematu tam Catholico produxisse potiùs, quam *Canonem suppositinium* Concilii *Nicæni* obtrusisse, tam expositum *sannis* & *sibilis*, & qui titulum à *Scripturis* hodie deductum, cassum redderet.

Ob. 4. Successorem Petro in primatu fuisse *Pontificem Romanum*, constat ex quatuor primis *Consiliis Oecumenicis*, *Nicæno*, *Ephesino*, *Constantinopolitano*, & *Chalcedonensi*, Ergo ipsi hodiè non est *detrahendus*.

Sol. Confusionem in cœlo est *inventurus* quicunq; *primatum* in terris *desideraverit*, Chrysost. in Mat. cap. 20. 2. Detorta sunt vel *fictitia* ea quæ ex *Conciliis* adferuntur, ut patet vel obitèr *expendenibus*. 3. vel εὐταξίας tantum causa, vel ob sedis *eminentiam*, ut habet *Concilium Chalcedonense*, cap. 28. & Act. 25. 4. vel ob Pontificum priorum *pietatem*, & *patientiam*, hoc *illis* non *jure*, sed *arbitrario* erat delatum; constat enim *primatum autoritativum* per *Bonifacium* primum à *Phoca Imperatoricidâ*, malis *artibus* fuisse impetratum, apud *Sigebertum*. ad An. 607. antea enim parvus *respectus* ad *Romanam Ecclesiam* habebatur, fatente *Æneæ Sylvio*, postea *Papa Pio* secundo lib. 1. ep. 288.

Ob. 5. De facto *Pontifices* Romani Concilia *coegerunt*, ipsis *præsiderunt*, aut per *se*, aut *legatos*, eademq; *confirmarunt*.

Ergo

Ergo agnitus fuit ab omnibus ipsorum suprematus.

Sol. Quæstio est de *jure*, non de *facto*; nec *factum* hoc placuit cæteris *Ecclesiis*, sed cesserunt publicæ pacis causâ, *ambitioni Romanæ*, & *tyrannidi*, quia non tutò potuissent resistere.

Ob. 6. In fidei *controversiis* vel disciplinæ, appellatum fuit ad *Romanem sedem* ab aliis *Ecclesiis*, 2. à *Græcis* etiam ad *Romanos* translatum erat *imperium*, quod fieri non *potuit* absq; *suprema* autoritate.

Sol. Appellationes hujusmodi *ad Papam* fuerunt factæ, non ut ad *Judicem supremum*, qui pro *autoritate* cæteris imperitabat, sed ut ad *Arbitrum honorarium*, qui *consilio*, & *auxilio* poterat ipsis *subvenire* præ cæteris, 2. & ex *consensu* partium, vel aliis rationibus *politicis*. Non ex *autoritate* Papali transacta fuit illa imperii translatio, ut constat ex historiis.

Ob. 7. Nulla ratio reddi potest *Quare*, vel tempus designari *Quando* Papa hunc obtinuit, quem semper exercuit sic *primatum*, qui *Titulis quindecim* à priscis illi attributis agnoscitur.

Sol. Patet hujus *supremat*ûs, 1. initium à *Phoca*, 2. *augmentum* per *fraudes*, *impudentiam*, & *tyrannidem*, & 3. *αχμὴ* ex *ignorantiâ secularium*, & timore *Excommunicationis*, & *depositionis*, à quibus ut à *mormoluceis fascinati* quasi & inebriati, principes terræ resilierunt.

QVÆST. II.

An ex Institutione Christi, aut Apostolorum, Episcopatus sit ordo, sive gradus, à Presbyteratu distinctus, eoq; superior? Aff.

COnstat 1. *Episcoporum, Præsbyterorum* & *Diaconorum* nomina, distinctè occurrere in N. T. & *Episcopatum* Inspectionem quandam *authoratativam*, Presbyteratum *ætatem Senatoriam*, *Diaconatum*, Ministerium *obeundum* juxtà literam denotare. *Convenit*, 2. Aliquam saltèm *Disciplinæ* εὐταξίαν & εὐχημοσύνην juxtà *Apostolum*, 1. Cor. 14. 40. in qualibet *visibili* Ecclesia esse observandam. Quia Deus non est author ἀκαταστασίας, *status incompositi* in Ecclesiis Sanctorum. Ib. v. 33. sed constituit primum *Apostolos*, secundo *Prophetas*, tertiò *Doctores*, &c. ut corpore humano subordinata membra, 1. Cor. 12. 28. vel ut in ordinato exercitu essent qui *imperent*, & *pareant*. Mat. 8. 9. Nec lis est, 3. De Episcoporum *Titulis*, *Reditibus*, aut *aliis Prærogativis* à *principibus* secularibus illis diversimodè *concessis*, sed de *Ordine* seu *Gradu*. An hoc Respectu, *Jurisdictionem* in *Præsbyteros* ex Christi *Institutione*, aut *Apostolorum* praxi, justè vendicent. Negant hic *zelotæ* nonnulli *Recentiores*. Affirmarunt nobiscum per 1500 annos, omnes *Ecclesiæ* intra *Christianographi* limites *Celebratiores*, his & consimilibus nixæ fundamentis.

1. Quod ab *ipso Deo* quoad *substantiam* in V. T. fuit sancitum, & *Analogicè* à *servatore*, & *Apostolis* probatum & observatum,

observatum, *Institutum Christi*, aut *Apostolicum*, jure divino esse asseratur, sed tale est *regimen* per *Episcopos*, *Præsbyteros*, & *Diaconos*, *principibus Sacerdotum*, *sacerdotibus*, & *Levitis*, prorsus analogum, unde *principes* isti *sacerdotum*, *Prælati*, *Antistites*, *præsules sacerdotum*, & *Levitarum* appellantur, qui prospicerent ut sacra illis injuncta obirent munia. *Num.* 3. 24. sq. inter quos *Eleazar* filius *Aaronis Prælatus Prælatorum* audit, quasi *Archiepiscopus* lb. v. 32. de his autem dum vaticinatur *Isaias*, sub Christianismo Gentibus transferendis c. 60. 21. exprimunt 72. per δώσω τοὺς ἐπισκόπους, dabo illis *Episcopos*, & dum pugnat *Apostolus* pro portione *Ministris Evangelicis* non *arbitraria*, sed *jure* divino debita, nonne (inquit) qui altari deserviunt, de *Altari* participant? Ita & *Dominus* ordinavit iis, qui *Evangelium annuntiant*, de *Evangelio* vivere. 1. Cor. 9. 13. quod non rem tantum, sed arguendi modū à *V. T.* satis corroborat. *excipiunt*. Mutato *sacerdotio* mutari etiam & *legem*. Heb. 7. 12. *Reponimus*, *Regimen* à *lege* distingui, unde mutata *lege*, *Regimen* manere potest, quoad *substantiā* saltèm & *Analogiam*, licèt in *circumstantijs* quibusdam & ceremonijs pro libertate *Christiana*, diversimodè varietur, ut in *politicis* secularibus. nec lex ipsa sub Evangelio tàm *mutari* dicatur, quàm à Christo *impleri*, Math. 5. 17. & mutari tantùm quoad *usum*, ne *justificet*, non quoad *directionem*, ne sanctificet. Distinctio autem *Episcopatus*, & *Præsbyteratus*, nervosiùs sub Evangelio confirmatur.

נשיאים
נגרים
פקידים

נשיא
נשיאים

2. Ex ipsius Salvatoris *Institutione* hunc in modum. *Capitis* factum *corporis* suæ *Ecclesiæ* debet esse certissima *directio*: At *Christus* Apostolos quibus succedunt *Episcopi*, *Septuaginta* discipulis *Præsbyterorum* primipilis, prætulit & *præordinavit*, ut patet ex collatis Mat. 10. & Luc. 10. Ergo hunc *Primatum Episcopi* idq; *Institutione Divina* in suorum gregum præsbyteros jure vendicent, *Excipiunt Præsbyteriani*. 1. septuaginta *discipulos* æquali *authoritate*, & donis cum *Apostolis* fuisse instructos, ut patet ex iis, quæ *communiter* habebant in mandatis. Nec constare. 2. *Apostolos* potiùs fuisse *Episcopos* quàm septuaginta *discipulos*, unde non vident. 3. cur *Præsbyteri* æ-

què non succederent *Apostolis* ac *Episcopi*, vel cur *Episcopi* prosapiam à *Discipulis* æquè ac ab *Apostolis* non deducerent. *Contra:* Textus ostendit Apostolos fuisse ex Discipulorum *classe* peculiari modo selectos & promotos, & nominatim designatos & constitutos, ut essent *cum illo*, & mitteret eos ad prædicandum, Mar. 3. 14; quod *discipulis* 70. non erat concessum, de quibus posteà in scriptura nulla mentio, cum *eminens* sit ubivis *Apostolorum* Ministerium. 2. An *Apostoli* autem fuerunt *Episcopi* quis dubitare potest, qui legerit *Judæ* τὴν ἐπισκοπὴν *Episcopatum*, ex *Psalm* 109. 9. פקדתו confirmatum, Act. 1. 20. quod autem *Judas* erat quoad dignitatem, erant & reliqui *Apostoli*, Episcopus ille per *Episcopatum*, Ergo & hi. Quem titulum etiam salvatori attributum invenimus. 1. Pet. 2. 25. quem nusquam *Præsbyterum* nominatum legimus. Quod si *Apostolatus* & *Discipulatus* esset *ejusdem* sensus, Cur *Mathias* tanta cum *solennitate* à *Discipulatu* (erat enim *unus*, qui versabantur cum *Apostolis*, Dominum ante passionem *sequentibus*) ad *Apostolatum* evehitur? Act. 1. 21. quid opus erat ut *Samaritanis* per *Philippum Diaconum* conversis, mitterentur *Apostoli*, ut ulterius pro iis orarent, & per manuum *Impositionem*. S.S. illis communicarent? Act. 8. 15. 17, Nec desunt inter *veteres* & *Recentiores*, qui promissum illud *salvatoris*. Mat. 19. 28. de 12. *Thronis* Apostolis 12. erigendis, cùm ipse locatus erat in *Throno* gloriæ, non ad ultimum differunt Judicium, sed de tempore *Regenerationis* per Evangelium interpretantur, ad quod opus primitùs quasi inthronizati fuerunt Apostoli, ad ponenda fundamenta, quæ *successores* illorum *Episcopi* firmiter tenerent, & cum *dignitate* conservarent, juxta illud pro *Patribus* tuis nati sunt tibi filii, quos *principes* constitues super *omnem* terram. Psal. 45. quod de *successione Episcopali* omnes ferè exponunt.

Ἐπισκοπον τῶν ψυχων reddit Beza Curatorem animarum quo genio curati observent.

Patres, missi sunt Apostoli pro Apostolis, filii nati sunt tibi, constituti sicut Episcopi. Aug. in locū.

3. Praxis *Apostolica* in *Agendis*, ad totius Ecclesiæ εὐταξίαν & Disciplinæ *conservationem* (ut *præcepta* in *credendis*) pro canone divino est tenenda. Atqui *Antiocheni* ἀποστολικοὶ viri *Apostolici* ex Spiritus sancti expresso *dictato* Barnabam &,

Saulum

Saulum, *Paulus Timotheum*, & *Titum* per *preces*, & *manuum Impositionem Episcopos* constituerunt, qui posteà per singulas Ecclesias *oppidatim* ordinarunt *Presbyteros*. Act. 13. 2. & 14. 23. 1. Tim. 5. 22. Tit. 1. 5. Ergo *Presbyteri* sic constituti ab *Episcopis* constituentibus, *ordine* saltèm aut *gradu* differunt, & illis sunt superiores. Excipiunt. 1. *Barnabam* & *Saulum* Apostolos fuisse, *Episcopis* sublimiores. Ideoq; ad ipsorum cathedras Episcopos nõ esse evehẽdos. *Contra*. Constat ex prædictis *Apostolos* fuisse *Episcopos*, & *Episcopos* illis succedere, licet non immediatione *Vocationis*, aut *amplitudine donorum*, aut *jurisdictionum*, quæ erant pro tempore illis *extraordinaria*; potestate tamen *Ordinationis* Presbyterorum, & Diaconorum, *gubernationis*, *correptionis*, & cæteris officiis Ecclesiasticis *necessario continuandis* vicem supplerunt *Apostolorum*, absq; ulla *Presbyterorum* ab ipsis *constitutorum* detractione. 2. *Timotheum*, & *Titum* subducunt sub *Evangelistarum* titulis, ac si *Episcopum* & *Evangelistam* esse, essent ἀ σύστασιν. Sed nec illud *Pauli* ad *Timotheum*. 2. Tim. 4. 5. fac opus *Evangelistæ*, plus probat ipsum fuisse tantùm *Evangelistam*, quam illud quod sequitur immediate. πλὴν διακονίαν σου πληροφόρησον, eundem tantùm fuisse *Diaconum*. *Titus Evangelista* nusquam dicitur, uterq; verò in Epistolarum *subscriptionibus*, hic *Ephesiorum*, ille *Cretensium Episcopus* appellatur, ut & Judas in Epistolæ suæ *titulo Syriaco* Episcopus insignitur. Quæ utcunq; non convincant, ut *Canonica*, sensum tamen *Ecclesiæ* superiorum Temporum ostendunt, ut *Historica*, prout tituli. 4. *Evangeliorum*; quibus *exauctoratis* quis *Matthei* à *Marci*, aut *Lucæ* à Johannis distingueret Evangelium?

Ex Edit. D. M. Pococke.

4. Qui compellat *Episcopos* per cœlitùs datas illis *Epistolas correptivas*, *erectivas*, & *directivas*, eorum probat *vocationem*, & *prælaturas*, sed hoc ab ipso *salvatore* factum legimus, *Apoc.* 2. & 3. ubi ad *Angelos* septem Ecclesiarũ *Asiaticarum*, distinctas totidem dictat à *Johanne* scribendas *Epistolas*. Excipiunt, *Angelos* hic intelligi non ἰδιωτικῶς sed συλλητικῶς, non *individualiter*, sed *collectivè*, quod patet ex cap. 2. v. 24. ὑμῖν δὲ λέγω καὶ τοῖς λοιποῖς, *vobis* autem *dico*, & cæteris qui *Thyatyræ* estis

tis,& ex cujusq; *Epistolæ clausula*, qui habet *aurem* audiat quid *spiritus* dicat *Ecclesiæ*. Unde sub *Angeli* nomine, non *personam* aliquam *particularem*,sed *totam Ecclesiam* compellari, videtur manifestum. *Contra*, 1. *Angelus* quilibet hic seorsim compellatus,Angelus dicitur *Ecclesiæ*,non *Angelus Ecclesia*, cui in mandatis datur(ut *legato* aut *nuncio*) ut monitus ipse *moneret Ecclesiam*. Ecclesia igitur *monenda* est ab *Angelo*, non *monens Angelus*. 2. suos ὑμῖν δὲ λέγω & reliquis *Thyatyrensibus*, ostendit *Epistolam* ad omnes *Thyatyrenses* pertinere, sed per *Angelum* illis (cui dirigibatur) *communicandam*, aliter idem esset *monens* & *monitor*, & *Angelus* æque *monendus*, ac *monens*. 3. Angelum autem illum *Thyatyrensium* tunc fuisse *Carpum* colligunt nonnulli ex *Martyrologiis*, quemadmodum *Polycarpum Smyrnæ*,*Melitonem Sardensibus*,*Gaium Pergamo* post occisum *Antipam* deputant alii. Atq; hinc è reformatis *Beza*,*Marloratus*,*Brightmannus*, *Raynoldus*, *Deodatus*, per *Angelos* designare *Episcopos* absq; scrupulo statuunt. Addit *Parcus*, *Episcopos* vocat *Stellas*,quia prælucere aliis doctrinæ puritate,morum integritate,& fulgere debent in *Ecclesia*, sicut *Stellæ* fulgent in Firmamento,vocat eosdem *Angelos* quia sunt legati Dei ad *Ecclesiam*. in Apoc. c. 1. v. 20.

5. Eandem *Episcoporum* supra *Presbyteros prælaturam* deducit per 1500. annos,ab ipsis Apostolis *continuata* Disciplinæ διαδοχὴ. Hinc. 1. *successionem Episcoporum* ad conterendas Hæreticorum & Schismaticorum *irruptiones*. Constanter oppositerunt *Patres*,*Irenæus*, *Tertullianus*, *Epiphanius* alii compendio non coarctandi. 2. Quin & tritum est *Aerium* pro *Hæretico* fuisse condemnatum, quòd *Episcopo* æquasse *Presbyterum*,sanè ob *Humani* instituti violationem,à tot & talibus *Ecclesiarum* quasi *columnis*, tam *gravis* non fuisset inflicta *censura*. Sed Ἐπίσκοπον εἰς πρεσβυτέρου βάθμον φέρειν ἱερουσυλία ὄντιν. *Episcopum* ad Presbyteri deprimere *subsellium sacrilegium* habebatur istius seculi. 3. Hinc *ordinantes* & *ordinati* à *Presbyteris* Sacerdotes,*Degradatione* aliisq; censuris percelluntur ab Ecclesia. Occurrunt his & similibus *Novatores*. 1. Adductos hic tantùm esse ex sinu *testes* & ancipitis fidei

Historicos

Historicos Apocryphos. 2. *Episcopos* illos, de quibus loquuntur *veteres*, dominantibus nostris *prælatis* admodum fuisse *dissimiles.* 3. *Aerium* non eo nomine pro *hæretico* fuisse notatum, quod *Præsbyterum Episcopo* æquasset. Sed quia in *Arianismum* & alios exitiales *errores* incidisset. *Contra.* Rectè quidam, Qui *authoritatem* (inquit) omnem *majoribus* suis adimit, sibi ipsi nullam relinquit. 1. *Historici* & *patres* adducuntur ut *testes* sensus Ecclesiæ & temporum, in quibus vixerunt, non ad *dogmata* statuminanda à scripturis aliena. 2. *Quæstio* præ manibus est de *Episcopali* vocatione, *ordine*, & *Jurisdictione*, *in* & *supra Præsbyteros*, non de *Titulis*, *reditibus*, aut *privilegiis* aliis *honorariis* à principibus aut Rebuspublicis indultis. 3. De *Aerio* sufficit dogma illud de *paritate Episcopi* & *Præsbyteri* inter *Hæreses* ipsius, ab *Epiphanio* & *Augustino* memorari, nec valet, *Hæreticus* erat quâ *Arianus*, Ergo Hæreticus non erat, quâ *ordini Episcopali* injurius.

6. Adversantium confessio non parum conducet ad *præcedentia* stabilienda, ex his autem qui videntur inter *Reformatos* aliam amplecti *disciplinam*, sunt vel. 1. *Lutherani* (ut loquuntur) vel .2. *Zuingliani*. vel. 3. *Calviniani*. *Lutherani* per suos *superintendentes*, & *praxin* (quemadmodum per professionem in confessione *Augustana*, parùm aut nihil à nobis hac ex parte dissentiunt. *Zuingliani* verò, præsertim *Tigurini*, utcunq; aliter *disciplinati*, quàm impensè favent disciplinæ nostræ *Episcopali*, ostendunt ipsorum scripta *doctissima*, & excocti judicii plenissima. Pro *Calvinistis* sufficiat vel hæc unica *Hieronymi Zanchii* summæ erruditionis & *perspicacitatis* liberrima *protestatio*. *Testor* me coram *Deo* in *mea conscientia*, non alio habere loco quàm *schismaticorum*, illos *omnes*, qui in parte *reformationis Ecclesiæ* ponunt *nullos* habere *Episcopos*, qui authoritatis *gradu* supra suos *Præsbyteros* emineant, ubi *liquido* possunt habere. Prætereà cum Domino *Calvino* nullo non *Anathemate* dignos censeo, quotquot isti *Hierarchiæ*, qui Domino *Jesu* se submittit, subjici nolunt. Consulit autem *Calvinus* Poloniæ *Regi*, non ut *Episcopos* tantum constitueret in *quavis provincia*, sed super illos

Bullinger. Gualter.

De Reform. Eccl. p. 81. Ep. 149.

etiam *Archiepiscopos*. Et ipse *Bezæ* (utcunq; ordini *Episcopali* iniquior) vel *Episcopos* nostros *Anglicanos* probat, vel egregiè agit *Sycophantem*. *Saravia* autem è *Belgia*, *Scultetus* è *Palatinatu*, & *Spanhemius* ab ipsa *Genevensi* schola, mitiores nobis transmiserunt *uvas*. Et domesticorum *Eceboliorum* crambe & labruscæ jamdudum putruissent in *fimetis*, nisi protraxissent *illas* nuper in lucem *Smectymniani* quidam *Acrostici*, sed quo successu, ingemant omnes Ecclesiæ *Reformatæ* & Orthodoxæ

Et Nati Natorum, & qui nascuntur ab Illis.

7. Postremò (ut multa paucis conferam) exterminium, sive *Episcoporum Degradationem*, vel (ut pro re nata loquar) *Deordinationem*, Comitatur .1. Ecclesiarum *Cathedralium* Abominanda *desolatio*, ut ibi sibi invicem respondeant *filiæ ululæ*, ubi in *Decoris sanctitatis* altissimus anteà colebatur. Comitatur. 2. *Academiarum devastatio*, in quibus, sublatis *præmiis*, quid solidi aut sancti est expectandum. 3. Eclipsin necesse est ut patiantur stellæ apud majores nostros. (S. *Augustinum* volo, & *Hieronymum*, &c.) primæ magnitudinis, sicut *abortus* mulieris, qui non viderunt *solem*. Obliterabitur 4. seculorum 15. *architectura*, ad novarum *exhalationum* incendium, quæ ut *ignes fatui* viatores simpliciores in *paludes* aut *voragines* præcipitent. 5. *Martyres* nostri *Episcopi*, *Cranmerus*, *Latimerus*, *Ridleus*, &c.) qui *reformationem* non scriptis tantùm (ut alii doctissimi *Episcopi*) sed sanguine suo obsignarunt, nova quærant *calendaria*, *Rachel* lugeat suos *liberos*, quia non sunt. 6. Quid fiet de *Pædobaptismo*, & de mutatione *Sabathi* Judaici in diem *Dominicam*, cum non alio nituntur *divino jure*, quam *Episcopatus*? Hoc igitur exauctorato, quibus *columnis* ista suffulciantur? 7. Et qua fronte tandem *Presbyteri moderni* ab *Antichristianis* (ut ab his concluſum est) *Episcopis* ordinati, *sacra* tractent, & *sacramentalia*? Num *Antichristus* Christo genuinos generet filios? Plura nec minus punctiora his coacervari potuissent, ὁ ἀναγινώσκων νοείτω. Mat. 24. 15.

Objectiones

Objectiones.

Ob. 1. INterdictum omne *dominium* excludit inter Clericos *superioritatem*: Sed principes Gentium *dominantur* eorum, & qui *majores* sunt *potestatem* exercent in eos, *non ita erit inter vos*, Math. 20 25. 26. Mar. 10. 42. Luc. 22. 25. Ergo *Episcopi Præsbyteris* non sunt præferendi.

Sol. Dominium hic statuitur duplex. 1. *Coactivum* vi gladii, quale est *principum Gentium*, aut *magistratus civilis*, & quale ambiebant *Zebediadæ*, & hoc *Apostolis* interdicitur. 2. aliud *paternum*, directivum, vel *ministeriale*, & tale illis commendatur, quo *ministrent* potius inferioribus, quam *ministrorum* gaudeant *satellitio*. 2. Inter Apostolos tantùm (quos solus alloquitur *salvator*) interdicitur *Dominium*, quod non obstat, quo minus in *constitutos* ab ipsis postea *Præsbyteros*, jurisdictionem aliquam obtinerent. 3. Unde si *domini* appellentur, vel ex principum *indultis*, vel ex subditorum *Reverentia*, (ut *Eli* & *Elias* ab *Hannah* & *Obadiah*, 1. *Sam.* 1. 26. & 1. Reg. 18. 7. non invidendus est illis talis *titulorum* usus, sed usurpatio, *Dominus* & *Magister*, servorum lavat *pedes*, Jo. 13. 13. 14. & fastus *superioribus* objectus aliquoties conculcetur, sub humilitatis prætextu ab inferioribus, sed *majori fastu*.

Ob. 2. Qui eodem veniunt *nomine*, & eisdem *titulis*, sunt ejusdem *dignitatis* & *officij*, sed *Episcopus* & *Præsbyter* in Scripturis eodem veniunt nomine. Act. 20. 17. 28. Philip. 1. 2. Tit. 1. 5. 7. Ergo *Episcopatus* non est distinctus à *Presbyteratu*.

Sol. *Abstracti* & *concreti* non est Idem prædicandi *modus*, nã qui *Præsbyter* est, solet esse priùs etiam *Diaconus*, (ut qui in *Artibus* est *magister* solet esse *Baccalaureus*) nec tamen dixerit quispiam eundem esse *Presbyteratum* & *Diaconatum*, aut gradum *magistri* & *Baccalaurei*, *subalterna* siquidem non habeantur *identica*, ut quia Omnis *Episcopus* est *Præsbyter*, omnis

Præsbyter, Diaconus, vice versâ inferas, Ergo omnis *Diaconus* est *Præsbyter* & omnis *Præsbyter* est *Episcopus*, *Episcopus* enim (de quo controvertitur) non simplex *Presbyter* est, sed cum *Additamento* Prælaturæ, & *Jurisdictionis*, ad quod Presbiteratus βάθμος tantùm est seu νόμος ἐκκλεσίας πνευματικῆς, *Gradus*, seu lex *promotionis* spiritualis, ut *Diaconatus* est ad *Præsbyteratũ*. 1. Tim. 3. 13. unde 2. Suppeditat textus hujus *distinctionis* mẽbra, quod *Episcopus* sit uel *Cleri*, vel *Gregis*, seu (ut hodie loquimur) *Diocæsanus*, vel *Parochianus*, Parochianus Ordinatus à Diocœsano rectè gregis peculiaris cui designatur *Inspector* seu *præpositus* dici potuit Episcopus, qui respectu *ordinantis* Diocœsani, Presbyteri tantùm tenet subsellium. Viventibus autem *Apostolis*, & *Evangelistis*, ipsorum in plantandis, & visitandis Ecclesiis, *Adiutoribus* & *Cooperariis*, in ipsis mansit *Jurisdictionis* Episcopalis gubernatricis amplitudo, illis vero sublatis, & *multiplicatis* undequaq; Fidelium cœtibus, Qui successerunt ipsis pro *numero*, & *amplitudine* Ecclesiarum, designatas ab illis occuparunt sedes; in quibus ut anteà *Apostoli* sibiipsis *Evangelistas*, sic illi *Presbyteros* sibiipsis asciverunt in *partem solicitudinis*, ad promulgandum verbum, & *administrandum* sacramenta, & tum primum *Episcopi* κατ' ἐξοχήν dici cæperunt, ut agnoscerentur Apostolis minores, sed Præsbyteris superiores, & ex *distinctis* nominibus dignoscerentur *distincti gradus*, & officia. Hinc patet. 3. ad textus adductos responsio *Ephesinorum* & *Philippensium*, Presbyteros, Episcoporum *titulis* insigniri respectu *gregum* quibus fuerunt præpositi, qui *Apostolum* interim habuerunt ipsorum *Episcopum*, qui illos pro jure suo dirigebat & præmonebat. *Titum* autèm ab Apostolo designatum, ut quæ apud *Cretenses* deessent, *corrigeret*, & *constitueret* oppidatim *Præsbyteros*, sub qua alia concipiamus notiòne, quàm Episcopi diocœseos amplioris, qui Præsbyteris seu Episcopis *Parochianis* à se constitutis, (in ἐυταξία præsertim *Ecclesiastica*) Canones præscriberet? Quod à successoribus posteà continuatum.

מעלה

Nazian. Orat. de Patre suo. Laudatus à Beza.

Ob. 3.

Ob. 3. Vocatio extraordinaria *successores* non admitit Ordinarios, sed talis fuit *Apostolorum*, Ergo *Episcopi* Apostolis non succedunt.

Sol. Aliquid erat in Apostolis *extraordinarium*, ut, 1. *vocatio* à Salvatore *immediata*. 2. *Instructio* per S. S. *miraculosa*, 3. *Illimitata* (ut ita loquar) *commissio*, ad Evangelium per *totum mundum plantandum*, & *propagandum*, in quibus *successores* non habuerunt. Alia fuerunt *ordinaria* ut 1. *plantata* rigare, 2. *positis* ab ipsis *fundamentis* superædificare. 3. Tradere *posteris*, quoad *Doctrinam*, *cultum* & *disciplinam* quæ à *majoribus* accepissent. In *talibus* si deessent *successores*, deficeret *Evangelium*, quos sub *Episcoporum*, non *Præsbyterorum* Genealogiis agnovit Antiquitas.

Ob. 4. Non occurrit in Scripturis distincta aliqua *Episcopi ordinatio*, ut habetur *Præsbyteri*, Act. 14. 23. Tit. 1. 5. Ergo constat *Præsbyteros* esse *divini juris*, quod de *Episcopis* non ostendatur.

Sol. At constat eisdem locis, *Præsbyteros* istos à *Paulo*, *Barnaba*, & *Tito* fuisse *ordinatos*, quos ex dictis constat eminentissimos fuisse *Episcopos*. Ostendant *Adversantes*, non ex *Scripturis* (quod nimium esset *urgere*) sed ex *praxi* Ecclesiæ alicujus celebrioris succedanea, *Præsbyteros ordinasse* *Præsbyteros*, multò minùs *Episcopos*, & plus quam adhuc factum est præstarent, 2. per illud *salvatoris*, sicut *misit* me pater, Ita ego *mitto* vos, Jo. 20. 21. Illud S. S. *separate* mihi *Barnabam*, & *Saulum* ad opus, ad quod eos advocavi, illam *Pauli designationem Timothei*, & *Titi* ad certas *provincias*; *Episcopatus* facile derivatur prælatura à summo illo Episcopo Animarum nostrarum. 1. Pet. 2. 25. qui nusquam sub *Presbyteri* innotuit *titulo*. 3. Nec valet, quod *Petrus* se *synpræsbyterum*, & *Præsbyterum* se *Johannes* nominat, quia *salutantium* indicarunt *ætatem* vel *humilitatem*, non *dignitatum* diminutionem.

Ob. 5. Quibus *Claves* Ecclesiæ æque sunt *traditæ*, hi *pari* sunt *potestate*, & *dignitate* Ecclesiastica, atqui *Præsbyteris* æque ac *Episcopis* traduntur *Claves* Ecclesiæ, Ergo *Episcopis* non sunt inferiores unde illud *Chrysostomi*, inter *Episcopum* & *Presbyterum* In 1. Tim. 2.

Præsbyterum interest *ferme* nihil, & *Hieronymi*. Noverint *Episcopi*, se magis *consuetudine*, quam *dispositionis* dominicæ *veritate*, Præsbyteris esse *majores*, & in *Communi* debere Ecclesiam regere, cui suffragatur *Durandus* inter *Scholasticos*. Idemq; sensisse cum *Aerio* præcipuos Ecclesiæ Patres, *Michael Medina* asserit.

In Tit. c. 1.

De Origin. Sacrar. Ordin. c. 5.

Sol. Ex *tropica* clavium *significatione* nil certò hic concluditur. Claves legimus tantum *Petro traditas*, non *Abyssi*, ut ibi in animas, *incarceratas*, aut *suprematus*, ut hic in *terris* in *Laico* s juxta ac *Clericos* exerceret *Dominium*, sed *Regni Cælorum*, hic per *Evangelium* ex *Judæis* & *gentibus* stabiliendi, cujus post *Spiritus* Sancti descensum prodiit *Petrus* primus *Præco*, Act. 2. Hoc autem personale tantum erat, posteris non transferendum, 2. sed potestas *censurarum* sive *excommunicandi*, *mores* respiciens, Math. 18. 18. & *Remittendi* aut *retinendi* peccata conscientiam innodantia, Jo. 20. 23. sic Apostolis erant omnibus concessa, ut per *illos* & *Episcopos* illorum successores, *Præsbyteris* etiam communicarentur, unde habent illas non à Christo *immediatè*, sed per manus *Superiorum* traditas. 3. Nec aliud docent inter Patres, *Chrysostomus*, *Fermè* nil (inquit) differt *Episcopus* à *Præsbytero*, nempe quoad *actus istos prædicandi*, sacramenta *administrandi*, aut *absolvendi* aut *ligandi*, & *consuetudo* (de qua loquitur *Hieronymus*) cum *Apostolica* fuerit, in *Agendis* ad *discrimen* inter Episcopum & Præsbyterum stabiliendum, (vel jure dicamus divino) sufficit, quo sensu urgetur ab *Apostolo*. Nos talem *consuetudinem* non habemus. 1. Cor. 11. 16. Qui nihilominus, quoad *gubernationem* Ecclesiasticam ad *Timotheum* & *Titum* alias accumulat *differentias*, ut. 1. Præsbyteros *ordinare* per cautã, & suspensam manuum *impositionem*, 1. Tim. 5. 22. Tit. 1. 5. quod Episcoporum tantum esse agnoscit *Hieronymus*. 2. προεδρεύοντας *cohibere*. 1. Tim. 1. 3. 3. *Preces publicas* dirigere, & promovere Ib. 2. 1. 4. Bene *præsidentes* suis gregibus, & maximè laborantes in *sermone* & *doctrina Præsbyteros*, præ cæteris *honorare*. Ib. 5. 17. 5. In *accusatos*, nisi sub duobus aut tribus *testibus* Idoneis, nil temerè

merè statuere, Ib. v. 19. 6. Obstinatos publicè in *conspectu* omnium ad *metum* aliorum corripere. Ib. 20. 7. Quæ desunt aliàs pro authoritate corrigere. Tit. 1. 5. & quæ accepissent ab illo, fidis hominibus committere, qui sunt Idonei ad alios docendos, Tim. 2. 2. Ista autem cum maxima ex parte in *Præsbyteros* sint exercenda, à *Præsbyteris* non tam commode exerceri possunt, quam ab *Episcopis* superioribus. *Durandum* autem & *Medinam* relinquamus *Bellarmini* ferulæ, qui castigat ipsos pro merito. De Clericis, Cap. 15.

Ob. 6. Si *Præsbyteri* ordinarunt *Timotheum*, qui ordinari non potuit nisi ab *Episcopis*, tum *Episcopi* & *Præsbyteri* non differunt, aut ad *Episcopos* tantùm non pertinet *ordinatio*. Sed constat prius ex *Apostolo*, ne negligito *donum* quod in te est, quod *datum est* tibi per *Prophetiam*, cum impositione *manuum Præsbyterii*, 1. Tim. 4. 14. Ergo par est *Præsbyterorum* ac Episcoporum in ministris ordinandis authoritas.

Sol. Ex collatione istius loci cum *illo*, 2. Tim. 1. 6. Quam ob *causam* in *memoriam revoco tibi*, ut exsuscites *Donum* dei quod est in te *per impositionem manuum mearum*, rectè colligunt nostri *synodici* in *Annotamentis*. *Paulum Timotheum* ordinasse, Præsbyteros vero cum illo *manus* etiam in ordinatione imposuisse, unde ille ut *Præsul authoritativè*, *isti* ad *actionis* solennitatem *manus* admoverunt quasi *associativè*, quod *decretum* fuisse asserunt in *Concilio* Carthaginensi 4to: & in usu esse agnoscunt, tàm in nostra *Anglicana*, quam in cæteris *Reformatis* Ecclesiis.

Ob. 7. Doctrina de *Prælatura Episcopi supra Præsbyteros*. 1. viam sternit *Papatui*. Et. 2. Disciplinam in *reformatis Ecclesiis* transmarinis, (quæ *Episcopos* eliminavit) subnervat prorsùs, & exponit opprobriis. Nam si præponatur unus *Episcopus Diocæsanus*, diversis *Præsbyteris Parochianis*, & *Archiepiscopus*, *Metropolitanus*, seu *Patriarcha* diversis præsideat *Episcopis*, quid ni tandèm *Papa* in hos omnes *Suprematum* teneat? Et si ad *ordinationem ministrorum*, cæteraq; nonnulla munia Ecclesiastica, requiratur necessariò *Episcopi alis manus*, & *authoritas*; quo

Sensu

censu habeantur *istæ* (quibus hæc non tantùm desunt, Sed hujusmodi omnia detestantur) pro legitimis Ecclesiis.

Sol. Salvator *animarum Episcopus*, 1. Pet. 2. 25. Qui perpetuam spondet suis *Residentiam*, Mat. 28. 20. non indiget (qui *absentis* vices obeat) *Generali Vicario*, quiq; Apostolis interdixit *Primatum*, ab *Episcopis* eorum successoribus eundem exulare voluit. Instituit (inquit Apostolus in *Ecclesia*, 1. Cor. 12. 28. *Primùm Apostolos* paribus *thronis*, Mat. 19. *pari absolvendi* & *ligandi* potestate, Joh. 20. *parili* in structurę serie, Ephes. 2. & nominum Apostolorum muris novæ *Hierusalem* inscriptione, Apoc. 21. non *Primatum* ambientem *Diotrephen*. 3. Jo. v. 9. qui tanquam *Deus* in Templo Dei sederet, 2. Thes 2. Limites igitur hic habemus præscriptas, ne *Archiepiscopi*, *Metropolitæ*, aut *Patriarchæ* (qui tituli ex pia & provida hominum prudentia accedunt nonnullis *Episcopis*) intumescant in Papalem tyrannidem. Nisi *antichristianum* admitteremus *occiput* pro *Christo capite*, & pro duodecem immotis *fundamentis*, picturatum *peristylium*. 2. Quod ad *Transmarinos* spectat *Reformatos*, non est quòd de *Episcopis* nostris *orthodoxis* tam funesta excitarent *incendia*, non enim *disciplinam* illorum penitùs damnamus, quia *nostram* præferimus, ut *salvatoris* & Apostolorum *institutioni*, adeoq; totius Ecclesiæ *Catholicæ praxi* magis consentaneam. Videant interim *magistratus politici*, ne *suprematus in* sacris *præsbyterialis*, æquè ac *papalis* sit ipsorum prærogativis injurius, & pro unico *Papa patriarchali*, *Papulas* cogantur ferre innumeros, qui ut descripsit *Judas*, *seipsos segregant*, *Animales* se esse *ostendunt*, & (quicquid præ se ferunt in conventibus demogogicis) *spiritum sanctum* non habent. v. 19. De hisce *ampliora* qui desiderat. 1. *Whitgiftũ*, & 2. *Bancrofium* Archiepiscopos. 3. *Bilsonũ*, & 4. *Androsium Wintonienses*, 5. *Juellum*. & 6. *Davinantium* Sarisburienses. 7. *Hallum* Norvicensem, doctissimos & orthodoxos *Episcopos* consulat, Et mirabitur *inferioris subsellii* infrunitos aliquos *declamatores* in luce Evangelii tantùm potuisse, ut *Episcopatus* à *talibus* (tanquam *Jezabel* à canibus) dilaceraretur, qui ut in ἐκκλησίᾳ συγκεχυμένη rutuba illa *Ephesina*

sina diversa clamitant, & plerique nesciunt cujus rei causę conveniunt. Act. 19.32.

QUÆST. III.

An Clerici Iure Divino exerceant Iurisdictionem temporalem, aut laici spiritualem? Aff.

QUIA.

EST clerus *Ecclesia*, & clerus *Ecclesiæ*. Clerus *Ecclesia* est *sors Domini*, quæ omnes includit *fideles*. 1. Pet. 2.5. Apoc. 1.6. *Clerus Ecclesiæ* sunt *certæ* inter fideles *personæ* segregatæ, & legitime *vocatæ* ad munus ministerii. Act. 13.2. Tit. 1.5. de quibus hîc tantùm agitur. 2 *Jus Divinum* occurrat, vel *præcipiens*, aut *prohibens*; vel *permittens*, & exemplis *inducens*, quale hîc attenditur. 3. Exerceant *Jurisdictionem*, vel ex *Officio*, virtute *ministerii*, vel ex *delegatione* superioris *potestatis*, non *priorem*, sed secundum *sensum* amplectimur. 4. Quæ *Jurisdictio temporalis* dici potest, vel respectu *subjecti*, circa *quod* versatur, cum *spiritualis* interim sit *ratione finis*, cujus gratiâ suscipitur, & ad *quem* ordinatur, nempe ad comprimenda *vitia*, & *innocentiam* protegendam, quo respectu à *Clerico* tantùm exerceatur. 5. Ita Laicus tractet *spiritualia* ex *charitate*, & *necessitate*, deficiente *Clerico*, non ratione *Officii*, quod constat hisce argumentis.

1. *Melchisedech* erat *Rex* & *Sacerdos*, Sacerdotes *Eli*, *Samuel*, & *Jehojda præcipuis* præfuerunt Reipublicæ *negotiis*.. 2. Sacerdos *Politico Magistratui* assidet. Deut. cap. 17. & 19. 3. *Levitæ* ad Mosis *imperium* Μοιχολάτρας *interficiebant*. 4. Ad

Ezræ spectat *judicium* de *nuptiis* illicitis dirimendis. Ezra. 10.4.5. Ergo civilis *Jurisdictio* licitè à *Clericis* exerceatur.

2. Συνέδριον Mat. 5. *Idic Ecclesiæ*. Mat. 18. *civilia* æquè ac *Ecclesiastica* respiciebat, Sed *hisce* non solùm *interfuerunt*, sed *præfuerunt* Ecclesiastici. 2. Servator *pœnitentem* liberat *adulteram*, & *ementes* & *vendentes* scuticis è templo ejicit. 3. Paulus *exercet* artem *Scenopegiæ*. Act. 18.3. & deteriorē *Ethnico* pronunciat, qui *familiæ* suæ non prospicit, & *liberos* rectè non instituit, malus enim *Oeconomus* Episcopus *futurus* est deterior. 1. Tim. 3.5. *Corinthios* deniq; corripit, quod *controversias civiles* inter se non *componerent*. 1. Cor. 6. Ergo jure divino hoc *Clericis* erat permissum.

3. Praxis *succedentis Ecclesiæ* hoc confirmat. 1. *Constantinus* sancit, ut valeret *appellatio* à civili *magistratu* ad *Ecclesiasticum*. Sozomen. Hist. l. 1. c. 9. 2. Statuit *Theodosius*, ut lites quævis *forenses* Ecclesiæ *Tribunali* sisterentur, si *litigantes* hoc expeterent. Duaren. l. 1. 3. Quin & Concilia *Ecclesiastica*, non *Ecclesiasticas* tantùm, sed *civiles* determinarunt controversias, confer. *Magdeburg. Cent.* 4. *cap.* 7. ex *quibus* patet receptum fuisse apud *veteres* clericorum in *litibus* civilibus *componendis* studium.

4. Unde 1. *Augustinus* de opere *Monachorum*, cap. 19. 2. *Ambrosius* Epist. l. 7. c. 56. 3. *Epiphanius* apud *Sozomen.* l. 6. c. 32. 4. *Philæas* apud *Nicephorum*. l. 7. c. 9. 5. *Dorotheus* apud *Euseb.* Hist. l. 7. c. 32. 6. *Jacobus Nisibiensis Episcopus* apud *Theodoretum* Hist. l. 2. c. 30. *civiles lites* dextrè dirimebant, aut *hostes* propulsabant, & egregiam *principibus* in *Politicis* navarunt operam; quod proculdubio in se non *suscepissent*, si tractare *Politica* illicitum fuisse existimassent.

5. Sunt Causæ nonnullæ *mixtæ Theologico-politicæ*, nempe, 1. *Matrimoniales*. 2. *Schismaticæ*. 3. *Testamentariæ*, quæ junctam *Theologorum*, & *Politicorum* postulant operam, quia *Respub.* Christiana est *Ecclesia*, in quâ *Clerici* cum *Politicis* sic incorporantur, ut nil *seperatim* decernatur, quod *omnes* obliget. Ergo necesse est ut *in talibus* hi cum illis pari passu ambulent.

6.

6. Privilegium est *summi civilis magistratus* omnibus suis *subditis* præcipere, ut *hoc* vel *illud* pensum obeant, quod ad totius *conservationem* faciat maxime, prout quemq; viderit *Clericum*, vel *Politicum* optimè ad *jussa* capessenda, & negotium *peragendum* instructum. Ergo *hac* ex *parte* non possunt *Clerici* tergiversari, aut opus *injunctum* à *Magistratu* declinare.

7. Omne *membrum* tenetur *toti* inservire, prout *res* & *vires* tulerint, sed *Clerici* tam sunt *Reipub.* membra, quam *Ecclesiæ*, & *Laici Christiani* tam *Ecclesiæ* membra, quàm *Reipublicæ*. Ergo tenentur qualibet ansâ porrectâ, & legitimè deputati manum *bono publico* admovere.

Objectiones.

Ob. 1. QVod *Christus* à se *amolitur*, illud à *Clericis* non est assumendum, sed postulatus salvator ad *hæreditatem dividendam* inter *fratres*, respondet. *Heus* tu, quis me vobis *Judicem*, aut *partitorem* præfecit. Luc. 12. 14. Ergo *Clerici* talibus se non intermisceant.

Sol. Aliud est *Clericum* se ingerere *negotiis secularibus*, aliud *impositum pensum* à *superiore* subire; declinat *salvator* hoc *seculare judicium*, non quia *incapax erat*, sed quia ad *illud* non *vocatus*, sed aliter à patre *ordinatus*, unde concedit, *hujusmodi* posse ab *illis* exerceri, qui ad *talia* sunt legitimè designati.

Ob. 2. Ea quæ sunt *pietatis* & *miserecordiæ*, omittenda sunt, ut *regnum Dei* annuncietur, nempe *sepelire patrem*, aut valedicere *domesticis*. Luc. 9. 59. 60. 61. Ergo *multò minùs* ad *secularia* est declinandum ab iis, qui verbum Dei tenentur *annunciare*.

Sol. Textus omnes *Christianos* æquè ac *clericos* respicit, *quos* tergiversari non vult *Salvator*, cum *Christianæ* professionis *aratro* manum semel admoverunt. Ib. 62. 2. Distinguen-

dum de *negotiis secularibus*, quæ vel *impedientia* possunt esse, talia *Clericis* sunt *interdicta*: vel *promoventia* ad *munus* suum feliciùs exequendum, hujusmodi autèm sic tractent, ut ad *spiritualia* ordinentur, & illis semper *postponantur*.

Ob. 3. Ministerium *Ecclesiasticum* plus quàm *totum* requirit *hominem*, instandum siquidem est εὐκαίρως, ἀκαίρως, 2. Tim. 4. 2. & *Quis ad hæc idoneus*, 2. Cor. 2. 16. Ergo non possunt *Clerici* ἀλλοτριοῦσθαι ἐπιτροπεῖν, nec conceditur illis *secularibus* vacare. 1. Pet 4. 15.

Sol. Secularia non debet *attingere*, nisi quatenus *faciunt* ad mores *corrigendos*, *pietatem promovendam*, & *communionem* Sanctorum *conservandam*, ita enim non extra *oleas* vagatur, vel suum *munus* negligit, cum illud etiam sit *sui officii*, ut pars toti salutaritèr consulere.

Ob. 4. Apostoli curam *pauperum* & *viduarum* deonerarunt in *Diaconos*, ut ipsi *liberiùs orationi*, & *verbi* ministerio vacarent. Act. 6. 4. Ergo multò magis *secularia* sunt à *Clericis* abjicienda.

Sol. Surrogarunt *Apostoli Diaconos* in *partem* sollicitudinis, *sollicitudinem* istam non *abjecerunt*, eligerunt tantùm ut ipsi non *detinerentur* à minutioribus, cum res *majoris momenti* essent ab illis peragendæ. Sic *Timotheo Paulus* præcipit, ut *fidos homines* sub se *substituat* ad prædicandum Evangelium. 2. Tim. 2. 2.

Ob. 5. Nemo *militans* implicat se *negotiis sæcularibus*. Ergo *Ecclesiastica* tantum sunt ab *Ecclesiasticis* tractanda. 2. Tim. 2. 4.

Sol. Quæ *Secularia* sunt respectu *materiæ*, Ecclesiastica evadunt *ratione finis salutaris*, ad quem ordinantur, nec *Clericus* tantùm *doctrinam*, sed *disciplinam* etiam *Ecclesiæ* respicit, quæ non solum in *docendo*, & Sacramenta *administrando*, sed etiam res sacras *ordine* & *decentèr disponendo*, consistit. 2. Aliud est *implicari*, aliud *Politica* tractare; aliud *uti*, aliud *frui* mundanis: facere *amicos* potest *Clericus* ex *mammona iniquitatis*, præcipiente *Servatore*, modo non ab his *inficiatur*, & à *penso* detineatur. 3. *Monitum* Apostoli non *Clericos* tantùm,

tùm, sed *omnes fideles* dirigit, ut abjiciant *ea omnia*, quæ *iter* ad cœlum *retardent*.

Ob.6. Non oportet *laicos clericorum* munus obire, nemo enim in *se suscipiat hoc munus*, nisi *vocatus* fuerit sicut *Aaron*. Heb.5.4. Ergo *vice versa* clerici non exequantur *jurisdictionem* civilem.

Sol. Non *ex officio clerici* tractant *politica*, sed *exigente necessitate* aut *convenientia*, à *superioribus* ad talia *adsciti*; ita etiam *vice versa* ex *charitate*, & *necessitate* deficientibus *clericis*, *laici* administrant quædam *Ecclesiastica*.

Ob.7. Juellus talem *Jurisdictionem* in *Papismo* exagitat, ut contra *Canones Ecclesiæ* & *Patrum* dictamina, *Defens.* Apol. part.5,c.3.S.2.

Sol. Recte; ut à *Papa usurpatur*, & *confertur* prætextu *fictitii suprematus* etiam in *omnes principes*: non ut à *Magistratu Christiano* confertur, & à *subditis clericis* exercetur.

QVÆSTIO. IV.

An liceat subditis contra legitimum suum Magistratum sub prætextu quovis Religionis arma movere? Neg.

SUpponimus. 1. *Subditos nativos* consentientes, in obsequium *juratos*, non vi injusta *coactos*, aut *detentos*. 2. Intelligimus deinde *Regem*, sive *successione*, sive *electione* agnitum & receptum, sine *Tituli justioris* controversia. 3. Qualem Regem sub *prætextu* quovis *Religionis*, *Tyrannidis*, *imbecillitatis*, *inculpatæ tutelæ*, aut *quocunq;* alio *modo*, *Negamus*, conscriptione *militum domesticorum*, *fœderatione* aut *conductione*

externorum, aut *violentâ* detentione *Redituum*, *tributorum*, aut *Vectigalium*; *Vi* aut *armis* esse impetendum.

QUIA,

1. Constituendus est *Rex* non pro arbitratu populi, Sed quem Dominus *Deus* elegerit. Deut. 17. 14. Qui sic cõstitutus si juxta משפט המלך *subditos* injustius, quàm par est, opprimat, non *ad arma* recurrendum, sed ferendum patienter jugum. 1. Sam. 8. 18. quia potestas ejus est de *sursum*, *Jo.* 19. 11. à Deo. Rom. 13. 1. Unde jure dicat, *Ego sum Pharao*, Gen. 41. 44. i. e. exemptus à legum & subditorum *censuris*, licet non à *directione* & *Consilio*. Excipiunt. In *loco Samuelis*, non *jus Regium*, sed *morem tyrannorum* ad *terrorem* Regem *petentium* describi; unde non inferendum, *ferendos* esse hodie *Reges legitimos* in *tyrannos* degenerantes, quia in tali casu hoc non injunctum fuit *Israelitis* Regem *perversè* petentibus. *Contra*. Textus indicant, quid Reges *possint* & *solent* pro arbitratu facere impunè, non quid *debent*, delinquentes autem ipsos *Deus* reservavit suo judicio, *tibi soli peccavi*. Psal. 51. 4. (inquit *David*) non reliquit subditorum *ferulis*. Sed istos plerumq; punit per *malos reges*, unde illud אין בריאה רן את המלך אלא הכה *Nulla creatura judicet* Regẽ, nisi *Ille benedictus*, *Rab. Nachmoni* in illud, Ps. 17. 2. de *vultu tuo judiciũ meũ prodeat*, & nõ ex *populi tumultu*. Postremò in textu illo, 1. Sam. 8. 11. non tam ostenditur quid posset *Rex facere*, sed quid debet *populus pati* absq; *appellatione*. v. 10. quia *Dominus eligit*, Ps. 75. 7. *Dan.* 2. 37. *populus* tantum *agnoscit*, nec confert *authoritatem*, quam in se non habet, sed spondet illi obsequium, cui videt *Deum jus gladii* contulisse, Rom. 13. 4. Mat. 26. 52.

2. Davidis catholicum *expressum* est *edictum*, quis *extendet* manum suam in *Christum Domini*, & *innocens* erit? Nullus certe *subditorum separatim*, vel *conjunctim*. Deo tantùm ipsius judicium est relinquendum. 1. Sam. 26. 9. 10. Unde ipse resiliit ob *oram* chlamydis *Sauli abscissam* quærentis ipsius *vitam*, & *deterruit* cæteros *commilitones*, ne aliquid in *Regem suum*, licet *hostiliter* eos persequentem, machinarentur, 1. Sam.

Sam. 24.6. & 7. *Excipiunt*. Textus istos forsan concludere, parcendum esse *Regis personæ*, sed non *ministris* & *possessionibus*. *Contra*, Injuria *liberis*, *Ministris*, aut *possessionibus* facta, *personæ* infertur, juxta illud, qui *vos* spernit, *me* spernit, Luc. 10. 16. Sic *legatorum violatio* cedit in mittentis *contumeliam*, 2. Sam. 10. 6. Et non tantùm *personis* Regum, sed ab illis missis præcipitur *obedientia*. 1. Pet. 2. 14. Nec *David* in ministros Saulis (nempe *Abnerem*, aut alios) aliquid molitur, sed potius corripit, ut constet ex *textus* filo. Hoc præstandum à famulis, non tantum *dominis* suis *benignis*, sed *dyscolis*, multo magis à *subditis* juratis erga reges *iniquos*, quia hoc Deo acceptum & subditis *gloriosum*, 1. Pet. 2. 18.

3. Patris insistit vestigiis filius *Solomon*, Time *Dominum* fili mi, & *Regem*, & cum *Novatoribus*, i. e. qui de rege male loquuntur *Deodat*. non *commiscearis*, quoniam *repentè* consurget *perditio* eorum, & ruinam utriusq; quis novit, Prov. 24. 21. 2. consulo ut mandatum *Regis* observes, idq; ratione *juramenti Dei*, nec festines recedere à *facie* ejus, neq; permaneas in opere malo, quia omne quod *voluerit* faciet & sermo illius *potestate plenus* est, nec dicere ei quisquam potest, quare ita facis? Eccles. 8. 2. 3. 4. *Excipiunt*, hoc valere, dum Rex *justa præcipiat*, aliter ei *resistendum*, & *obediendum* potius *Deo* quàm *hominibus*, quod juramento quovis religiosius est habendum. *Contra*. Aliud est *subducere se* ab exequutione *impii mandati*, aliud *vi* & *armis oppugnare Regem tuum* impia mandantem; *primum* est *pietatis* & *prudentiæ*, *secundum* est *Rebellionis*, & *perjurii*. Unde perjurii postulatur & punitur *Rex Zedechias*, ob violatum *Regi Nabuchadnezari* juramentum, 2. Chron. 36. 13. Quis autem liberabit aliquos à *vinculo juramenti Suprematus*, & *Fidelitatis*? Nunquid dices *Regi*, injustus es, & principibus, impii estis vos? Job. 34. 18. Immo ne *cogitatu* illi vel in *secreto* maledicendum? Eccles. 10. 20. Multo minùs *ferro* aut *alio hostili* modo est *impetenda Majestas Regia*, aut minuenda.

4. Confirmat *Salvator*, *Reddite Cæsari* quæ sunt *Cæsaris*, Mat. 22. 21. 2. *Tributum* solvit pro se & *Petro*, Mat. 17. 27.

3. *Petro*

3. *Petro* interdicit defensionem *gladiatoriam* adversus impiorum *Magistratuum* satellites, Mat. 26. 52. 4. *Pilati* agnoscit ἐξουσίαν è *cælo datam*, Jo. 19. 11. pronuntiat subditorum esse bonorum *morem* & *officium*, pro *Regibus* secularibus *pugnare*, Jo. 18. 36. non *impetu rebelli* oppugnare. *Excipiunt*. Hæc omnia esse præstanda sub *hac conditione* (quam & *Textus* suggerit) modo ea quæ *Dei* sunt, *Deo* reservantur. *Contra*. In tali casu *Deus* reservavit *Reges* exorbitantes suo proprio *Tribunali*, non exposuit subditorum *rebelli gladio*. 1. Sam. 26. 9. 10. *Dominus percutiet*, aut *dies* ejus *veniet*, &c.

5. Explicatiùs urget sanctus *Paulus*, omnis *anima* potestatibus *sublimioribus* subdita sit. Quo jure? Quia non est *potestas* nisi à *Deo*, non ab *alio fonte*, nam quæ sunt *potestates*, à *Deo ordinatæ* sunt. Nunquid igitur non licet illis *quovis casu* resistere? Attendas, qui resistit *potestati*, Dei *ordinationi* resistit. Sed quid si hoc *fiat*, quid inde imminet *periculi*? Tolle quæso & lege, qui *resistunt*, *ipsi sibi damnationem acquirunt*. Nec immeritò, quia *jus gladii* Magistratui, non *subditis* conceditur, *Ille* Dei *minister* est, & in *iram vindex* ei, qui malè agit. Unde concludit, Ideo *necessitate* subditi *estote*, non solùm propter *iram*, sed propter *conscientiam*. Rom. 13. per *primos* quinq; *versus*. *Excipiunt*. Sublimiores *potestates*, non *Reges* hic tantùm denotare, sed quosvis *Magistratus* qui *regibus* possint esse *sublimiores*, ad alligandos *Reges* in *compedibus*, & *Nobiles* eorum in *manicis* ferreis, Ps. 149. 8. quibus se incurvare tenentur *Reges*, & *pulverem pedum* lingere, *Isa* 49. 23. Quia *Deus* constituit *tales* super *regna*, ut *evellant*, & *destruant*, & *disperdant* & *dissipent* & *ædificent*, & *plantent*, prout illis visum fuerit. Jer. 1. 10. *Contra*. *Spiritualiter* Proposita *carnaliter* non sunt intelligenda. Incurvabunt se *Reges* Ecclesiæ per *Prophetas* jussa Dei *promulgantes* & *urgentes*, hoc est, *Deo* reddent quæ sunt *Dei*; non *suis subditis ferrum* & *flammam* minitantibus, sic alligandos se præbent *verbo*, non *vinculis*, nec subjuganda sunt *regna* à *sanctis ore gladii* polemici, sed *gladio oris* Theologico. *Reges* autem non habere in suis regnis *potestates* aliquas illis sublimiores evincit.

6. Sanctus

6. Sanctus Petrus *Epist.* 1. c. 2. v. 13. (Sub cujus *titulo Suprematum* vendicant ipsius ut arrogant *Vicarii*) Subjecti (inquit) estote omni *humanæ Creaturæ* propter *Deum*, sive *Regi* quasi præcellenti, sive *Ducibus* tanquam ab eo *missis* ad vindictam *malefactorum*, laudem vero *bonorum*. *Excipies*. At hic *finis* aliquoties *Regibus* nō est *propositus*, annon ergo *liceat* cum laude illis resistere? Discas ex sequentibus. Volūtas *Dei* est ut benefacientes, obmutescere faciatis imprudentium hominum *ignorantiam*. Vides quo titulo ornat obsistentes, viz. *Imprudentiæ* & *ignorantiæ*, quos *Judas* inter ἐνυπνιαζομένους & Nostri per **filthy Dreamers** rectè exprimunt, quia *Dominationes spernere*, & *Dignitates blasphemare* non verentur, & in *Reges* suos sunt *acerbiores*, quàm *Michael* Archangelus in ipsum *Satanam*, *Judæ*, v. 9. *Instant*. Supremātum istum à *Rege* esse *separabilem*, unde in *ipsum* potest exerceri à *suis subditis*, ad quos *istum* transtulit, & omnibus *bonis* & *prærogativis* spolietur, & *gladio* castigetur, non ut *Rex*, sed ut *delinquens*. *Contra*. *Suprematu* à *Rege* erepto *Rex* esse desinit, & ij in quos transfertur, *Subditi* ulterius non *sunt* habendi, sed *Reges* esse incipiunt. Quod nescio cujus *frontis* sit asserere, nam quis illos sic extulit? v. 8.

7. Perpetua semper fuit *Orthodoxæ Ecclesiæ praxis*, & *Doctrina*, *Regibus* aut *Imperatoribus* nullo sub *prætextu* à *subditis* suis propriis esse resistendum, licet aliquoties ipsi *vires* & prætextus ἀναντῤῥητον suppetebant. Consulantur *Tertullianus*, *Cyprianus*, *Chrysostomus*, *Græci*, *Latini*; quos quia ij quibuscum contendimus, non ducunt *titivilitij*, non operæpretium est recensere. Quin non tam *furiosi* erant Judæi *Salvatorem* ad crucem vociferationibus *postulantes*, ut *Regem* suum *crucifigendum*, vel quovis modo violandum esse censerent. Unde *Pilato* interroganti, *Vultis* ut *Regem vestrum crucifigem*? Responderunt, Nos *Regem* non habemus præter *Cæsarem*, Hic *Rex* noster *non est*, si *esset*, à nobis esset *honorandus* & liberandus, Jo. 19. 15. Nec *Calvinus* (quem Ductorem faciunt plurimi in hac *causa*) per suum, *Nisi forte* & *Ephoros Imaginarios* ad *arma* usq; aut *direptiones* progreditur; quòd

sibi ipsi fuerit probè conscius, à nullo *Scripturæ* aut *scriptoris* alicujus nominis inter *priscos*, aut *modernos*, suffragio, tam *diabolicum* & *exitiale dogma* posse stabiliri.

Objiciunt Antichristiani (verè enim tales dixeris, qui unctos Domini armis impetendos esse prædicant, & defendunt.

Ob. 1. POpulus resistit *Saulo*, *Jonathanem* filium sub religione *juramenti* ad mortem *postulanti*, 1. Sam. 14. 46. 2. *Jeroboam* Regibus ex familia *Davidis* vi & armis se opponit, & *decem* tribus eripit. 3. *Jehu Jehoram* cum matre *Jezabel*, & tota *Achabi* stirpe è medio sustulit, idq; non tantùm *permittente*, sed *jubente*, & *remunerante* Domino, 2. Reg 10. 30. 4. *Elias* duos quinquagenorum *duces* cum satellitibus à *Rege missis*, igne cœlesti absumit, 2. Reg. 1. 10. Ergo non immunes sunt *Reges impii* ab armata & hostili *subditorum* suorum invasione.

Sol. Subduxit tantum populus *filium*, Principem *innocentem* & egregiè *meritum*, à *Regis* & patris *furore*, non *furentem* strictis *gladiis* sunt adorti, & ipse *sedatior* factus factum probat. 2. *Jeroboamum* & *Jehu* non excusant *prædictæ* & *injunctæ* divinæ *vindictæ* in domum *Solomonis*, & *Achabi* exequutiones, siquidem idem *actus* ob diversas agentium *intentiones*, justus potest esse, & impius. *Salvator* tradidit *seipsum*, pono *animam* pro ovibus, Jo. 10. 15. & *Judas* tradidit. Ecce *idem actus* est ex parte *Salvatoris*, infinitæ *misericordiæ*, ex parte *Judæ*, horrendæ *proditionis*. Unde taxatur *Jeroboami*, & *Israelitarum* defectio *Rebellionis* nomine 2. Chron. 13. 6. Et pollicetur Dominus se visitaturum sanguinem *Jezrahel*, super domum Jehu. Hos. 1. 4. 3. *Elias* ministris Regis non

violentas

violentus infert *manus*, sed vindictam *cœlestem* ob *procacitatem* denuntiat. Quod factum *extraordinarium* in exemplar *Salvator* per discipulos suos emanare noluit. Lu c. 9. 55.

Ob. 2. Defensio *inculpatæ tutelæ* omnibus est ex *lege Naturæ* concedenda, Ergo *Regibus* tyrannicè grassantibus, *arma* cohibentia *jure* sunt opponenda.

Sol. In propulsandis injuriis, alia *Regum*, & *Parentum*, alia *fratrum*, aut *parium* aliorum habenda est ratio, Illorum *vim* vi per *inculpatam tutelam* possis retundere. Contra *Magistratum*, Dei ministrum si manum eleves, *tutela* ista desinit esse *inculpata*, Siquidem non aliter *illis* est resistendum, quàm. 1. Verbi *prædicatione*. 2. Consiliariorum *suasu*. 3. mandatorum injustorum *declinatione*. 4. impetus irruentis cautâ & modestâ *frustratione*. 5. *Fugâ* juxta *Servatoris* monitum & *Davidis* praxin & *Apostolorum*. 6. *precibus* & *lachrymis*, Christianorum primævorum *armis*. 7. *Martyrio*, cui vix ullus esset reliquus locus & laus, si arma essent contra *Magistratus legitimos* movenda.

Ob. 3. Pactum intercedit inter *Reges*, & *subditos*, Sacramento sancitum, Ergo ut isto violato ex parte *Subditi*, Regi integrum est illud *in subditos* vindicare, eodem *jure* subditi cum *Rege fœdifrago* possint agere, cum violatio *pacti* sit *vinculi* solenniter contracti solutio.

Sol. Regum & subditorum in hoc pacto *par* non est *ratio*, Rex *fœdifragus* puniendus quidem est, sed *à Deo tantùm*, quia præter eum *nullum* habet *superiorem*: Subditi à *Rege* puniantur, cui committitur jus *vitæ* & *necis* per *gladium* à Deo *datum*, quo si abutatur, subditi tantum habent *Deum vindicem*. 2. Quis erit pacti violati inter *Regem* & *subditos judex*, cum nullus sit utrisq; superior nisi solus *Deus*?

Ob. 4. Rex *minor* est *universis*, licet sit *singulis* major subditis, quamvis ergo non possit à *privatis* oppugnari, potest tamen à *communi conventu*, publico *consensu* castigari, & si sit *opus* de *throno* duturbari, suffecto in ejus locum *digniori*.

Sol. *Major* vel *minor* potest dici quispiam respectu alterius, aut *mole*, vel *authoritate*, quoad *molem* concedendum est

Saulum, licet singulis *Israelitis* humeris erat *eminentior*, universis tamen in idem corpus coagmentatis longè fuit minor, sed *authoritatis* Saulo concessæ alia erat ratio, juxta *hanc* enim ut singulis erat *major*, ita & *universis*, quia *universis* non *magis* jus *gladii* erat *commissum* quam *singulis*, nec uncti magis *universi* quàm singuli, videant autèm nostri *universi*, quomodo ex *pumicum* cumulo *fontes* eliciant, cùm ne *gutta* inveniatur in *singulis*, aut in *Regem* exerceant *dominium* cùm ab *ipso Deo* plus *authoritatis* habeat Rex, quàm *populus* ei potest concedere, quia non habet unde concedat.

Ob. 5. Quod facit *tale* est magis *tale*, sed subditi faciunt *Regem* sua *electione* & *consensu*, Ergò *universi* in publico consilio pollent *majore* authoritate, quam *Rex*, quem *prætulerunt*, & per consequens quod *contulerint* possint *retrahere*, si periculum & abusus illud exigent.

Sol. Valet illud Axioma tantùm in *physicis*, quæ agunt *affectivè* & *necessario*, non in *Ethicis* aut *Politicis* quæ operantur per *accidens* & *voluntario*, sic *ignis*, qui calefacit *aquam*, aquâ est *calidior*, non *Dalilah*, quæ enervavit *Sampsonem* Sampsone erat *robustior*, aut *Judah* qui *gravidam* fecit *Thamar*, nuru suâ erat magis *gravidus*. Faciunt *liberi*, *Burgenses* quos mittunt ad *politicos conventus*, num illi pollent majori *authoritate* quam *missi*, & possunt pro arbitratu *retrahere* quod *contulerunt*? Vix hoc à multis admittatur.

Ob. 6. *Populi salus suprema lex esto*, Ergo *obedientiæ* Magistratibus præferenda.

Sol. At sperari non potest ista salus, *excusso Magistratus imperio*. Unde *Rex Zedechias* impius quia *Christus Domini*, dicitur *spiritus* oris populi, Lament. 4. 20. Ut ergo *corpus* sine *spiritu*, sic populus sine *Rege*. *Excipies finem mediis* esse præferendum, undè cùm *Salus populi* sit finis legi *supremæ* propositus, necesse est ut *suprematum* præ *obsequio* Principibus debito, obtineat. *Contra*. *Medium* ratione *finis* duplex habeatur vel *simpliciter* ad *finem* ducens, ut *auditus* ad *fidem*, Rom. 10. 17. hoc minùs *fine* est habendum, vel *finem ipsum* producens ut *Salvatoris* mediatio *salutem* nostram, hoc ipso *fine* est

Annot. Synod.

præstantius

præstantius, qualis est *regius* aut *Magistratus* alterius *suprematus*, ad populi salutem, quam sic producit & *inducit*, Ut *salus* populi hoc *fulcro* tantùm non *totaliter* nitatur, quâ si abutatur *tyrannus* suprema *potestate* à *Deo* ipsi traditâ, *ferendus* est à suis *subditis*, non *feriendus*, sed *Dei judicio* relinquendus, qui *regnare facit* aliquoties *hominē hypocritam* propter *peccata populi*, Job. 34. 30. & dicit *regi Apostata*. ib. 18. ne rebellantes *Deo bellum inferre* inveniantur, Act. 5. 39. 2. *Axioma* autem hoc ἀξίωμα *salus populi suprema lex* (h.e. eò collimare debet *lex suprema*, ut populi *saluti* conducat) dirigit tantùm *legislatoris scopum*, non detrahit *supremato*, ut *subditorum* prostituatur *censuris*,

Ob. 7. Necessitas non habet *legem*, nec *progagatio* verè *religionis*, ullis *pacti*, *juramenti*, aut *protestationis vinculis* est impedienda: Ergo nec *lex fundamentalis* alicujus *Reipublicæ*, aut *Religionis* cujusvis *conscientia* injiciant *tragulam*, quo minus subditi in *Senatu* legitime convenientes, *Dei gloriæ* & saluti totius *Ecclesiæ* & *Reipublicæ* prospiciant.

Sol. Faciamus *mala*, ut veniant *bona*, illorum vox est quorum *justa* est *damnatio*, Rom. 3. 8. & *pellem* pro *pelle*, & cuncta quæ habet homo, dabit pro *anima sua*, scimus cujus sit effatum, *Job.* 2. 4. Sed opus non habet *Dei veritas*, ut hominum *mendaciis* suffulciatur. Nec *Christiano* incumbere potest talis *necessitas*, ut vitam redimat *perfidia*, & aperto *perjurio* fidem liberet. Sic enim qui vult *animam* suam *salvam* facere, perdet eam, & qui vult propter *Christum* perdere, inveniet eam, Mat. 16. 25. 2. cum non sit *arbiter* inter *Deum* & *nos* qui *manum suam* inter utrumq; nostrum sit impositurus quis *Papa*, aut *mortalium*, Papâ superior dispensabit, quo minus ob *violatum* Principi *juramentum* reus perjurii subditus teneatur? 3. *Postremò* cum lite *pendente* non constet, an simulata sit ea *necessitas*, quæ sic urgetur, & pateat quod non *textus* Scripturæ, sed *prætextus* aliquorum nodum in scripto quærentium, in *rem suam* turbas excitet; Hauriant *temulenti* ex utribus *novis* usq; ad *phrenisin* hoc *fel Draconum* novum, de *vineis Sodomorum* aut *Gomorrhæ* suburbanis, Deut. 32. 32. Job. 9. 33.

33. Dum nobis interim sufficiat conclusio *salvatoris*, ὁ παλαιὸς χρηστός ἐστιν, vinum quod ab *ipsius utre* hactenus bibimus *vetus*, sub *Regibus*, *Episcopis* & *Judicibus* orthodoxis, est *melius*. Luc. 5. & ultimo.

QUÆST. V.

An statæ Liturgiæ, in diversis Ecclesiis diversæ, modò Sacris literis non repugnant, sint probandæ? Aff.

1. Liturgia ἀπὸ τοῦ λήϊτον *publicum*, & ἔργον opus: cuivis publicæ *administrationi* à *profanis* scriptoribus tribuitur; à *Theologis* vero restringitur ad ἱερουργίαν, *Sacram administrationem* quæ publicè peragitur. 2. Cujus pars est Λιτανεία, à λειτουργέω *supplico*, quod à λιτὴ precibus, seu supplicatione; quæ *rogationes* dicuntur ab *Isodoro Hispalensi. Orig.* l. 6. in fine, 3. Hæ diversæ habeantur in diversis *Ecclesiis*, non quoad *doctrinam* è Scripturis deducendam, sed quoad agendi *modum*, & *ritus* varios. Statæ autem debent esse in omnibus *Ecclesiis*. Quia.

1. Præscripta fuit certa *Aaroni* & *filiis* ejus benedicendi forma. Num. 6. 23. 2. Dictata *Israelitis*, conceptis verbis *exhomologicis*, Hos. 6. 23. Inculcata *omnibus* simul *junctis* expressa *litania*. Ioel. 2. 17. Ergo talis formulæ cultus publici sunt Scripturæ *analogæ*.

2. Extant apud *Mosen* præscriptæ invocandi *formulæ* ad *Arcæ translationem*, & *stationem*. Num. 10. 35. 2. *Davidis* commentario illustratæ, Psal. 68. 3. *Benedictionis* etiam & *maledictionis* in monte *Gerazim*, & *Ebal* præscribuntur *formulæ*. Deut. 27. 12. non facile autem *errabunt* qui talium insistunt *vestigiis*.

3. Psalmi

3. Psalmi *Davidis* maxima ex parte sunt *Liturgici* ut 92. pro *Sabbato*. 95. ad excitandum *populum* in cultu publico, & *quindecim* ista *Cantica Graduum*: Psalmum 119. sequentia, aliiq; quamplurimi, ut patet ex ipsorum *autoribus*, *titulis*, & *instrumentis Musicis*, quibus publicus cultus celebrabatur.

4. Patet idem ex *praxi Ecclesiæ Judaicæ*, ubi præcepit *Hezekias* & principes *Levitis*, ut laudarent *Dominum* non ad dictamen raptus extemporarii, sed *sermonibus David*, & *Asaph videntis*, qui *laudaverunt* eum magna *lætitiâ*, & incurvato *genu* adoraverunt eum. 2. *Chron.* 29. 30. 2. Ex *Liturgia Samaritana*, quam conquesti sunt *Judæi* ab *Adriano Imperatore*, fuisse ab iis ereptam, 3. Ex *Sedar Tehillim* Judæis *Lusitaniæ* adhuc in usu, *Symbolumq; Rambam* quod è *Liturgia* Judæorum fuisse desumptum affirmat *Buxdorfius*.

5. *Servator* dictavit suis Discipulis *fixam* orandi *formulam*, Mat. 6. 9. ut suis antea præcepisset *Baptista*. Luc. 11. 2. *quam* observasse postea *Apostolos* in suis *conventibus* constat ex *Justino Martyre*. *Apol.* 2da. *Tertulliano*. Apologet. cap. 30. & aliis apud *Cassandrum* in *Liturgicis*.

6. Prostant *Liturgiæ publicæ* tam *Græcorum* quàm *Latinorum*, *Apostolorum*, *Patrum*, & *Successorum*, quæ utcunq; habeantur *suppositiciæ*, vel saltèm *interpolatæ*, antiquæ tamen sunt *maxima ex parte*, & *usum* istorum temporum nobis referunt. vid. *Pammelium* duobus *Tomis*, & *Cassandrum* de hujusmodi *Liturgicis*.

7. Si privati *Spiritus* dictamini *publicæ preces* permitterentur, ista & infinita alia sequerentur *absurda*. 1. Tot *futuras* penè in publico cultu *distractiones*, quot sunt convenientium *enthusiasmi*. 2. Ad *incertum* αὐτοσχεδιαστικῶς *orantis*, aut *gratias agentis* exitum, nec *peritiores*, vel *idiotas Amen* tutò posse respõdere. 1. Cor. 14. 16. 3. Plebem *ignaram* debita institutione in *Sacris* privari, quæ *maximâ ex parte* in repetita publicè *Liturgia* illis inculcatur. 4. Unius cujusq; *crudum*, & *nudum inventum* deliberato Ecclesiæ *examini* esse præponendum. 5. *Acceptissimam* Deo in conjunctis *supplicationibus*

&

& *confessionibus sanctorum* Communionem *irritam* prorsus fieri, 6. *Torporem* irrepere *audientibus*, dum nihil est quod ipsi *agant*, sed pendeant tantum ab orantis *fluctuante conatu*, & huc illuc delato spiritu. 7. Εὐλαξίαν & εὐφωνίαν in *delectu* eorum, quæ sunt in *Sacris literis*, cœtui *proponenda*, seu *cantanda* prorsus perire, quod si *Psalmi*, & *modulamina* eodem *extemporario impetu* essent effusa, *insanire* potius judicet tales *cultores* cœtum Christianorum *ingrediens infidelis*, quàm *cultum* celebrari ipsius, qui Ordine numero & mensura composuit & disposuit omnia.

Objicitur.

Ob. 1. HUmanum *inventum* seu ἐθελοθρησκίαν in Sacris non est ferendum, Frustra *me colunt* docentes doctrinas, quæ sunt *mandata hominum*, Mat. 15.9. Col. 2.23. Sed *statæ Liturgiæ* sunt hominum *inventa*, quæ *inducunt* ἐθελοθρησκίαν. Ergo ex Ecclesiis sunt penitùs eliminandæ.

Sol. Textus urget *doctrinam* non esse *mutandam*, quæ constans semper debet esse sine *additione*, aut *diminutione*; Quod præcipio tibi, *hoc tantùm* facito *Domino*, nec *addas* quicquam aut *minuas*. Deut. 12.32. *Disciplina* interim quæ doctrinæ ancillatur huic & quâ propagatur, potest esse in *variis Ecclesiis* varia, modo *doctrinæ* sit conformis. 2. & cur *extemporariæ preces* æquè inventiones *humanæ* non censeantur, ac *statæ*, vel spiritus multorũ deliberatò minùs saperet quàm singularis *arreptitius*?

Ob. 2. A *Breviariis Romanis*, seu *Missalibus* maxima ex parte prodierunt *Liturgiæ*, quæ displicent. Ergo *Antichristianæ* sunt, & non admittendæ.

Sol. Atqui non nituntur *Romanensium* autoritate, sed *conformitate* cum Scripturis, & *Catechismis receptis*, & confessionum *harmoniis*, quibus in plurimis *Reformati* cum *Pontificiis* conveniunt. 2. Nunquid negandum est *Christum* esse

Dei

Dei filium, quia *Diabolus* hoc asseruit. 3. *Alcoranum* aliquid habet, quod verbo divino est *consentaneum*, num ideo tamen veritas est rejicienda?

Ob. 3. Formulæ *fixæ Liturgiæ*, spiritum precum intercludunt fidelibus concessum, *Zach.* 12. 10. qui intercedit pro nobis *suspiriis ineffabilibus*. Rom. 8. 26. & per scripta *Liturgica* contra Apostoli *præceptum* extinguitur. 1. Thess. 5. 19.

Sol. Est spiritus *dictans*, quid sit de novo *petendum*, & spiritus *assistens*, quem *imploramus*, ut publicis nostris *supplicationibus* subveniat, Tam *privatim*, quàm publicè; oranti aderit *spiritus*, modo omnia fiant juxta *dictamen* ejusdem *spiritus*, nempe ut *privata* privatim, *publica* publicè peragantur.

Ob. 4. Per Liturgica hujusmodi *fixa*, impediuntur plerumq; *Conciones*, per *quas* quid *credendum*, *faciendum*, & *petendum* sit, à Deo præcipuè discamus.

Sol. Mandata Dei non sunt *opponenda*, sed *componenda*, Sic ut non se invicem *impediant*, sed *promoveant*. *Liturgiæ* igitur hujusmodi sunt *probandæ*, quæ *Conciones* efficacio res *reddant*, nõ quę *excludunt*, vel *impediunt*, nec ferendi tales sunt *thematicè Declamatores*, qui importuna *garrulitate publicas* preces è *fidelium* cætibus *explodunt*, ut ipsi solummodo audiantur, & colantur.

Ob. 5. Cum convenitis inquit *Apostolus*, unusquisq; vestrum *Psalmum* habet, *doctrinam* habet, *Apocalypsin* habet, *interpretationem* habet, 1. Cor. 14. 26. & *Prophetæ* duo aut *tres* dicant, & cæteri *dijudicent*, quod si *Alii* revelatum fuerit *sedenti*, prior *taceat*, potestis enim omnes per *singulos* prophetare. Ib. v. 29. 30. 31. & *verbum* Christi *habitet* in vobis *abundantèr*, in omni *sapientia* docentes & commonentes *vosmetipsos Psalmis*, *Hymnis*, & *Cantionibus spiritualibus*. Sed ista *omnia* excludunt *statæ Liturgiæ*, in quibus ex *præscripto* tantum agunt *Minister* & *Auditores*.

Sol. Obtinuit mos iste in *Ecclesia* in publicis *conventibus*, quamdiu invaluerunt dona *prophetandi*, & *linguarum* miraculosa, ad *plantandum* Evangelium, nunc verò aliter se res habet

bet, cum *Evangelium* sit ex *Scripturis* propagatum; ideoq; alia *disciplina* est *conventibus accommodatior*. 2. Ubi *Psalmi*, *Hymni*, & *cantiones spirituales* usum suum habeant *privatim*, dum statæ obtineant in *publico*, ad publicam ædificationem, *Liturgiæ*.

Ob. 6. A *corde* petendæ potiùs sunt *preces*, quàm à *memoria*, sed preces *descriptæ* & ad unguem *habitæ* effluunt plerumq; ab *ore*, dum mens *aliò* vagatur, ut *cultus* habeatur tantùm *labiorum* à *servatore* reprehensus, Mat. 15. Esa. 29. Ergo habendæ *potiores* sunt *preces* pro tempore *conceptæ*, quam certò descriptæ.

Sol. *Vitium hominum* non præjudicat *disciplinæ*, nec *publicæ* preces & *privatæ* tollunt se invicem, sed potius *attollunt* & *extollunt*, hæ *domi* habeantur, & *secretò* apud te, istæ *publicè* & cum *aliis*, orandus est autem semper *Dominus*, ut sincerè & devotè omnes *facultates* cum *corde* sanctificato concinant.

Ob. 7. Variandæ sunt *preces publicæ* ad obvenientium *varietatem*, at hoc non admittunt *statæ Liturgiæ*.

Sol. In genere quidem *omnia* quæ contingant, comprehendunt *Liturgiæ publicæ*, cum verò res tulerit, variantur autoritate *publica*. In *jejuniis*, *Eucharisticis*, vel in *quibusdam* rebus *prosperis* vel *adversis*, *præsentibus*, aut *impendentibus*: Sic ob Liberationem à *Pulvere* pyrio, *peste*, aut alia *calamitate*, variantur apud nos *Liturgiæ*, & quædam *adjiciuntur*, alia omittuntur, sed ista *statas Liturgias* non *tollunt*, sed præsenti occasioni accommodant.

QVÆST. VI.

QVÆSTIO. VI.

An Liturgia Anglicana sit sacris literis conformis? Aff.

TRia sunt quæ *communionem Sanctorum*, & *consensum fidelium* demonstrant. 1. *Doctrina*. 2. *Cultus*. 3. *Disciplina*. Consensus *doctrinæ* apparet in confessionum *harmonia*. 2. *Cultus* in *Liturgicis*. 3. *Disciplinæ* in *Canonibus* Ecclesiarum diversarum *diversis*. Liturgia *Anglicana* hic examen subit, quæ fuit *Edvardi* 6^ti^ duplex, An. regni 2do, & 5to. 2. sub *Elizabetha*, & 3. *Jacobo* Rege in aliquibus emendatiores. De ultima asseritur, quòd sit sacris literis *conformis*. Quia.

1. Contexta erat & *expensa* à sincerissimis *Doctoribus*, *Martyribus*, aut *Confessoribus*. 1. *Crammero*. 2. *Grindallo*. 3. *Sandesio*. 4. *Taylero*. 5. *Juello*. 6. *Humphredo*. 7. *Horno*. 2. ex ipsius Scripturæ placitis. 3. ordine *popolari* & decenti. 4. quæ maximè facerent ad ædificationem.

2. Omnes *expunxit* aut *correxit* sordes & nævos, quibus laborabat usus (ut loquebantur) 1. *Sarum*. 2. *Herfordiensis*. 3. *Bangorienſis*. 4. *Lincolnienſis*. 5. *Eboracensis*, delibatis & contesseratis iis tantùm ex priscis *Liturgicis*, quæ [compertum erat, *Sanctuarii stateræ* optimè convenire.

3. Comprehendit omnes orandi *formulas*. 1. *Confessionis*. 2. *Deprecationis*. 3. *Supplicationis*. 4. *Intercessionis*. 5. *Gratiarum actionis*. 6. *Laudationis*. 7. & *Impecationis* ad *Deum* tantum directas, exclusâ prorsùs omni. 1. Ἀγγελολατρία, 2. Ἀμοιολατρία. 3. Μαριολατρία seu ὑπερδουλία. 4. Ἀνθρωπολατρία. 5. Εἰκωνολατρία. 6. Ἀρτολατρία. 7. Σταυρολατρία. cum omnibus aliis *philtris*, & superstitiosis *Idololatricis*.

4. Selegit aptas Scripturæ *portiones*, & *textus*, qui tempori, loco, & occasioni, & *populari* institutioni, & ædificationi inserviant, *catechismum* unà cum illis brevem, & facilem exhibens.

5. Gestus *sedendi*, *standi*, *genuflectendi* tales præscribit inter *orandum*, & *adorandum*, qui maximè faciunt ad talis negotii *Reverentiam*, & solennitatem; ἀμοιβαίαν etiam mutuam inter *ministrum* & *populum* opportunam præcipiens, ad *consensum* fovendum, & *torporem* excutiendum.

6. Accommodat se omnibus Ecclesiæ *usibus*. 1. *Sacramentorum*, nempe *Baptismi* & *cœnæ* administrationi. 2. Adultorum *confirmationi*, juxta disciplinam incorruptam *priscæ* Ecclesiæ. 3. *Matrimonii* celebrationi. 4. *Ægrotantium* visitationi & consolationi. 5. *Mortuorum* sepulturæ. 6. *Fœminarum* Eucharistiæ, post puerperium. 7. *Scandalosorum* interminationibus, & *exterminationibus* ab Ecclesia.

7. Suffragium obtinuit. 1. *Calvini*, qui etsi notavit in crudioribus quibusdam editionibus *tolerabiles* (ut loquitur) quasdam *ineptias*, ferendas tamen existimavit, ut *impietati* non obnoxias, quia 1. ostendit Ecclesiarum *consensum*. 2. consulit *rudioribus* & 3. *novatores* cohibet. 2° *Buceri* in copioso tractatu inter opera ipsius *Anglicana*. 3. *Alexandri Alesii* Scoti. 4. *Petri Martyris*. 5. *Gualteri* & *Tigurinorum*. 6. *Argentinensium*. 7. *Deringii*, institutionis severioris, in defensione *Juelli*, quin & *Pius quintus* hanc ratam habuisset *Liturgiam*, si Regina *Elizabetha*, ut ab ipsius authoritate *derivatam* illam recepisset, nec tam impudens quisquam prodiit è *Pontificiis* qui *ausus* est ipsius sinceritatem oppugnare.

Ojiciunt Adversantes.

Ob. 1. *Calendarium*, in quo. 1. *Apocrypha* designantur *legenda* 134. capita, prætermissis è *Canonicis*. 182. 2. Sancti *canonizantur* Utopici, 1. *Agatha*. 2. *Perpetua*. 3. *Fayth*

3. **Faith.** 4. *O sapientia.* 5. *Swithun.* 6. *Machute.* 7. *Dunstan* 3. Festa retinentur *infesta.* 1. Conceptionis Beatæ *Virginis.* 2. visitationis *Mariæ.* 3. Nominis *Jesus.* 4. Sanctæ *Crucis.* 5. Inventionis *crucis.* 6. *Georgii.* 7. *Michaelis* & *Innocentium.* inter ferias nostras,& similia quæ superstitionem redolent *Pontificiam.*

Sol. Apocrypha legi permittuntur *prisco more*, ob consensum cum *canonicis*,ad exempla *vitæ* & formandos *mores*, non ad confirmanda *dogmata*,in quibus explicantur plurima,quæ contractiùs habentur in Canonicis, & ad captum *popularem* stilo simplici & tantùm non *Canonico* accommodantur. 2.Retinentur quædam sub titulis *sanctorum* memoriæ,& *Festa* non *cultus* alicujus gratiâ,sed ut statuæ *quædam Mercuriales* aut *Epochæ*,à priscis *fixæ* ad anni *momenta* distinguenda,quæ exauctorata fuerunt in *Edvardi* 6^ti *Calendariis*, nec constat qua *auctoritate* nisi hodie *chronologica*, & negotiatoria in pristinas sedes irrepserunt. 3. *Michaelem* Archangelum non *Christum* denotare *receptior* est sententia, unde ansa arripitur *Deum* celebrandi,ob indultum nobis *Angelorum* ministerium,in *Michaelis* festo. 5. *Innocentes* verò *martyres* habentur ratione *causæ*,non *confessionis*,*interpretativè* & *passivè*,non *activè* & *voluntariò*.5. *O sapientia*,cujusdam *Hymni* erat principium,non *sancti* alicujus nomen, & reliqua quæ occurrunt *hujusmodi* vel retinentur vel omittuntur, absq; *religionis* aut prudentum scandalis.

*Ob.*2. *Translationes alienas* aut *depravatas.* 1.habet *textus* ut illud in limine. **At what time soever a sinner doth repent him of his sinnes from the bottome of his heart** &c. **saith the Lord** &citatur Ezek. 18.21. sed ibi hoc non dicit *Dominus*,ut conferenti patet.

Resp. Dixit *Dominus* quoad sensum,licet non verbatim. Eadem censurâ feriant *Apostolos*, qui textus V.T.in Novo aliquoties sic producunt.2. *Psal.*105. v.28. habet *Liturgia.* **And they were not obedient unto his word**, nova verò & *emendatior* translatio. **And they rebelled not against his word**,quæ sunt prorsùs ἀσυμβατὰ invicèm *contradictoria.*

Resp. Anceps est textus *originalis*, ubi ולא מרו vel interrogativè, vel *negativè* sumi potest; sic ut respiciat vel *Mosen* & *Aaronem* et *signa* edita, aut ipsos *Ægyptios*. *Mosen* si respicias & *signa*, rectè dicas. **They rebelled not against his word** *Ægyptios* ver si magis spectes, legas sic per interrogationem. **And were they not disobedient unto his word?** id est, **They were disobedient unto his word.** ut habet vulgaris, quam *translationem* existimat veriorem *Fullerus* noster in *Miscell. lib.* 3. cap. 10. in *Criticis* (ut notum est) versatissimus.

3. Dominica *secunda* post *Epiphaniam*, Evangelium *Liturgicum* legit, **Every man at the beginning doth set forth good Wine, and when men be drunke then that which is worse,** quod favet *ebrietati*, corrigit nova *translatio*, **And when men have well drunke** Joh. 2. 10.

Resp. Μεθύειν Græce & שׁכר Heb. non *inebriari* tantùm, sed *liberiùs* etiam *bibere* significant, quo sensu *Evangelium* est *intelligendum*.

4. Sic, **Whatsoever is manifest the same is light.** Epist. Domin. 3. *Quadrages.* ex *Ephes.* 5. 13. pro **Whatsoever doth make manifest is light.**

5. Deus dicitur **The Father of all that is called Father in heaven**, Epist. *Dom.* 16. Trinit. pro **Father of whom the whole family is named**, Ephes. 3. 15.

6. **This is the sixth Month which is called barren**, Evangelium Annunciationis pro **with her that is called barren**, Luc. 1. 36.

7. **Arabia bordereth upon Jerusalem**, Epist. Dom. 4. *Quadrages.* pro **Answereth to Jerusalem that now is.** Gal. 4. 25.

Resp. Hos omnes tollat *scrupulos translatio* nova sub *Jacobo Rege* illustris memoriæ, juxta cujus normam, dilata Potius quam *negata*, est istorum & *consimilium* sine strepitu castigatio.

3. Partes quasdam *integrales* malè *selectas*, & *intertextas*, esse clamitant quales sunt. 1. *Te Deum.* 2. *Benedicite.* 3. *Benedictus.* 4. *Magnificat.* 5. *Nunc dimittis.* 6. *Quicunq; vult.*

7. *Baptismus*

7. *Baptismus privatus*, una cum *fragmentis* quibusdam *scripturæ*, sub titulis *Epistolarum* & *Evangeliorum*. E quibus *Te Deum*, *Benedicite*, & *Quicunq; vult*, humana sunt *inventa Apocrypha*, & suspectam continent *doctrinam*, ut illa de præcisa *Trinitatis* cognitione sub salutis *periculo*, cujus *rudiores* nullatenùs sunt *capaces*. *Benedictus*, *Magnificat*, & *Nunc dimittis* peculiares fuerunt Sp. Sti *raptus*, personis tantùm ab illis pro tempore inspiratis (non *promiscue* omnibus) competentes, Privatus *baptismus limbo puerorum* velificat, & *frustulæ* istæ *Epistolares* & *Evangelicæ* separant ea, quæ sunt *uniendæ*, & aliquoties perperàm applicantur.

Sol. Sufficit *Te Deum*, & *Benedicite* scripturis esse *consona*, & quotidianæ devotioni *inservire*. 2. symbolum illud *Athanasii*, *Quicunq; vult*] non *simpliciores* & minùs *capaces*, sed perversè *doctrinam Trinitatis* oppugnantes à *salute* excludit. *Benedictus*] impletas in Christo *prophetias*, *Magnificat*] gratam in summâ felicitate *humilitatem*. *Nunc dimittis*] Christianam ad moriendum *promptitudinem* omnibus devotis ingerit. Nec *baptismus* privatus *limbum* puerorum somniat, aut *necessitatem* medii urget, sine quo *infans* salute excidat, sed *necessitatem* tantum *præcepti* & *convenientiæ*, qua tenentur omnes *propositis* à Deo *mediis* & *sacramentis*, sine *dilatione* attendere. *Epistolarum* & *Evangeliorum* σκοπὸς Auditorum captui adaptatę, tantùm absunt ut *distrahant*, ut potiùs ab hujusmodi *facilioribus*, ad ampliora assurgant.

Ob. 4. Errores doctrinę observentur in . 1. *Te Deum*] Tu *postquam deviciſti mortis asperitatẽ*, apperuisti credentibus *regnum cælorum*. Ergo ante Christi *victoriam*, *Patres* V. T. *limbum*, non *cælum* occuparunt.

Resp. Ostenditur cujus gratia *Patres* cœlum *possiderunt*, non *quando* cœperunt possidere; possiderunt autem per *sacrificium* agni (à mundi *origine*, non actu, sed *destinatione* occisi) quod *antecedentibus* & sequentibus *Hosanna* filio David *conclamantibus* æquè erat salutare.

2. In Litania, per *agonem*, & *sanguineum sudorem*, videmur Christum *exorcizare*, & *fulgur* & *tempestates*, unà cum cæteris

teris externis *calamitatibus* & *morte subitanea* frustra deprecamur

Resp. *Media* sunt ista *liberationis* & *salutis*, non *exorcismi formulæ*, non magis quàm cùm Dominum rogamus, ne nos inducat in *tentationem*, cur non etiam *rogemus*, ut impendentes *tempestates*, aut calamitates *externas* à nobis avertat.

3. Ne *memineris iniquitatum* parentum nostrorum] pro mortuis astruit Orationem.

Resp. Immo pro *vivis* tantùm oramus, ut Deus peccata *Patrum* nostrorum nostris non accumulet, & in nos visitet. Mortuorum *commemoratio* neutiquam habenda est pro mortuis *Oratio*.

4. In *Catechismo* servator dicitur totum genus humanum *redemisse*, quod Gratiam universalem *Arminianorum* statuminat.

Resp. Asseritur tantùm ibidem *Redemptionis autor*, non *redemptorum numerus*, aut *universalitas*, ac si esset dictum. Nullus *redemptus est* ex toto *genere humano*, qui Deum *filium* non habet *redemptorem*.

5. Post quartum *præceptum* precatiuncula petit, ut ad *Sabbatum Judaicum* observandum Deus *inclinet* corda *nostra*, de quo mandatum est intelligendum.

Resp. In isto *mandato* aliquod morale erat, quo, ad *cultum publicum* die à Deo constituto, præstandum obligamur: aliud *ceremoniale*, seu *positivum*, ut dies iste esset à *Creatione* septimus. *Ceremoniale* illud erat à *Christo* in N. T. per *Apostolos* sublatum, substituto (pro *Sabbato Judæorum*) die, quem celebramus, *Dominico*: petimus autem nos ut Deus inclinet *corda nostra* ad illud, quod erat in *isto mandato* morale, peragendum. hoc est, ut *diem Dominicum* cultui Dei *publico*, prout nunc se habet *status Ecclesiæ*, sanctificemus.

6. In Baptismo *regeneratio* urgetur, ut *opus* Sacramenti *operatum*, quod est *Papisticum*.

Resp. Regenerationem tantum *externam* & *Sacramentalem* spondet *Baptismus*, quam *internam* S. S. regenerationem perficere, ex charitate pronunciat *Ecclesia*.

7. In

7. In *appendice* de Sacramentis. Cùm respondetur, Duo generalitèr Sacramenta ad salutem esse necessaria, alia quinq; pontificiorum tacitò insinuatur & probantur.

Resp. Sed non ut *Sacramenta* ad salutem absolutè necessaria, sed quæ potiùs *Sacramentalia* sunt apud *veteres*, & nomen Sacramenti *generatim* sortiuntur, rem ipsam verò propriè non exhibent.

Ob. 5. Ritus perstringunt *Superstitiosos*. 1. In *vestibus*, nempe *superpellicio*, *cucullo*, & hujusmodi quæ *idololatriam* redolent Papisticam.

Resp. Ista ἀδιάφορα *decorem* tantum apud nos spectant, & personarum *distinctionem*, quem in Sacris U. T. Dei instituto observatum legimus.

2. In *signo crucis* fronti baptizati adjecto.

Resp. Hoc non ut *necessarium* urgetur, sed ut ἀδιάφορον, non ad baptismi *complementum*, sed ut *militiæ Christianæ*, traductum à veteribus *memorale* quoddam *auctioramentum*.

3. In *Interrogatis* infantibus propositis, & *Patrimorum* illorum nomine *responsis*, quod videtur *histrionicum* quiddam, in *rebus seriis* non ferendum.

Resp. Istâ *fidejussione* & *sponsione*, nihil detrahitur *decoro*, & *solennitati* Sacramenti, sed consulitur *religiosæ* infantium *educationi*.

4. In *Eucharistia*, *genuflexio* favet *Altaribus*, & *Missæ* sacrificio, & *Transubstantiationis* abominando dogmati.

Resp. *Injungitur*, tantum ut ἀδιάφορον & *recipitur* à nostris, ut *gestus* summæ *reverentiæ* tanto *mysterio* debitus.

5. In *Matrimonio*, *annulus* sapit quiddam *Ethnicum*, & phrasis illa mariti ad *Uxorem*, Corpore meo te adoro, **With my body I thee worship**, aliquam *idololatriæ* speciem, sed ab omni *specie mali* à Christianis est abstinendum. Ergo

Resp. Ut templa *Ethnicorum* cesserunt in *Christianorum* usum, sic & *annulus* potest transferri cum aliis ad *pios usus*, phrasis autem ista *antiquata* nihil aliud vult. Quam corporis mei do tibi *potestatem*, sive ut reddit *Latinus*, corpore meo te *honoro*, juxta illud. 1. Cor. 7. 4.

6. In *Absolutione* specialis urgetur *confessio*, & *autoritativa* absolutio.

Resp. Sed non *auricularis*, nec omnium *peccatorum*, sed conscientiam *gravantium*, & potestas agnoscitur hic *delegata*, & *declarativa*, non absoluta.

7. In *sepultura* mortuorum, displicet sepulti *facies* versus orientem superstitiosè *resupinata*, & de manifeste *blasphemis*. idem cum piè morientibus judicium.

Resp. Primum est *consuetudinis* & *conformitatis*, non *necessitatis*, 2dum *Charitatis* est censura, & *spei*, non certitudinis & confidentiæ, quia non nostrum est, sed *salvatoris* in ultimo *Judicio Hædos* ab *ovibus* distinguere, Mat. 25. 32.

Ob. 6. In Rubricis *futilia* carpunt quædam & *inutilia*, qualia sunt ista vocabula non probanda. 1. **Priest**, 2. **Curat**, & **Vicar**, 3. **Christmas**, *Septuagesima*, *Sexagesima*, *Quinquagessima*, *Quadragessima*, 5. **Advent**, 6. *Offertorie*, 7. *Versicle*, *Canticle* & *similia*, quæ Papismum nimium redolent.

Resp. Usu tandem hæc fiunt *popularia*, nec tutum est notos *limites* refigere, mutari tamen *possunt* absq; religionis *discrimine*, & tolerari, priusquàm commodè tollantur, & de terminis aliis qui omnibus placerent, inter fratres esset conventum.

2. *Vestimenta* præcipiuntur *gerenda*, quæ præscripsit *Edvardus sextus*. An. 2. sed *ista* cujusmodi fuerunt, non constat. Ergo inanis est constitutio.

Resp. Constat ex *traditione*, licet non ex *scripto statuto*, nec tanti est, ut rixæ fomitem suppeditet.

3. Injunguntur nonnulla quæ vix *fieri possunt*, ut *nomina* sua *Communicantes* deferant, post *inchoatas preces matutinas* ad *Eucharistiam prævias*, & obviam eat *minister* cadaveri sepeliendo, ad ingressum *Cæmiterii*, cum quædam *templa* in Civitatibus Cæmiteriis destituantur.

Resp. Observanda ista sunt non *præcisè*, sed quando commodè possint observari, eatenùs quatenùs promptitudo spondet obedientiam, nec contemptus condiat neglectum.

4. Non admittendus est aliquis ad synaxin sacram, priusquàm

usquàm ab *Episopo* confirmetur, & *Catechismum* possit memoritèr recitare. Sed hoc rarò examen subit.

Resp. *Supponitur*, non ut *oportet* semper, *ponitur*, nec *disciplinæ* detrahit laudandæ, sed *exequutioni* vindicandæ.

5. Minister tenetur *pulpitum* ascendere, ut *comminationem* tanquam è monte *Ebal* intonet, quod *desiit* jam esse in usu.

Resp. Non tàm hoc *exigitur*, quam *consulitur*, nec condemnandus ritus tali exemplari suffultus.

Ob. 7. Objiciunt *Excessus* alios, aut *defectus*, aut περίεργα.

1. Omittitur Δοξολογία in *oratione Dominica.*

Resp. Hoc fit ad *exemplum* S. Lucæ, sed ad exemplum pro arbitratu inter orandum, frequentius, *Matthæi* adjicitur.

2. *Tituli Psalmorum*, *Higgaion* & *Selah*, quæ partes sunt Textus in Liturgias seponuntur.

Resp. Liturgia ista non *improbat*, sed proponit tantùm, quæ populari *captui* & *ædificationi* maximè inserviunt.

3. *Precatio* obtruditur sub *Absolutionis* titulo.

Resp. Precamur ibidem ut à Deo absolvamur, & quis hoc carpat, nisi qui conjunctis fidelium precibus non multùm tribuit.

4. Contradicimus *nobis ipsis*, cum petimus ea quæ propter *indignitatem* non *audere*, aut propter *cæcitatem petere* nos non *posse* agnoscimus

Resp. Agnoscimus nos non posse *petere*, nec *debere*, respectu nostræ *indignitatis* aut *cæcitatis*; propter merita tamen *Christi* posse & debere *thronũ* gratiæ accedere. Verentur forsan Reformatores, ne nimiùm submissè, & humiliter Deum adeant. Illud *Centurionis*, non sum *dignus*. Math. 8. 8. & S. *Petri*, *discede* à me *Domine* quia *Homo* peccator sum, Luc. 5. 8. non ita facit ad sanctificatam salivam.

5. *Ordinario* incumbit *præcipere*, quando recitanda sit *Litania.*

Resp. Verum est, quando recitanda sit *extraordinariò*, non *ordinariò.*

6. Exoptatur *injunctio pœnitentiæ* in primitiva Ecclesia usitata, principio *Quadrigesimæ*, quales fuerunt, *cilicia*, *cineres*,

humicubationes & hujusmodi, & præcipitur, ut quis *pœnitens* de notoriis *peccatis* abstineat à *mensa* Domini, quæ fermentum produnt *Papisticum*.

Resp. Pœnitentiam vult Ecclesiæ *Primitivam*, non *Papisticam*, & *discretivè* verba ista sunt legenda. **Bewaile your sins, or come not to this holy Table**, vel **Before you come to this holy Table**, sicut & reddit *Latinus*. Antea defleat peccata, quàm accedat, & quis hoc non probat?

7. Cantus *Precum*, *Anthematum*, & *instrumentorum Musicorum boatus*, ædificationi adversantur, & *obstupefaciunt* potiùs *audientes*, quàm cultum *divinum* promovent.

Resp. Verum est, si *intempestive* & *affectatè* interponantur, aliter actionis *solennitati* & excitandæ *devotioni* haud segnitèr conferunt, Unde ex *præscripto Dei* in U. T. hæc *Musica* tam *instrumentalis*, quam *vocalis* obtinuit.

QUÆST. VII.

An vocatio Cleri Anglicani ad Sacros Ordines, post Reformationem sit Legitima?

DE *vocatione* hîc quæritur, non *internâ*, quæ *homines* latet, sed *externâ*, quæ in *conspectum* prodit, & sub Dio collocatur. 2. Clerus comprehendit *Episcopos*, *Presbyteros* & *Diaconos*, de quorum quæritur *vocatione*, & *Ordinatione* Ecclesiastica, 3. An post *Reformationem* inchoatam ab EDVARDO 6to, confirmatam, & emendatam ab ELIZABETHA, *conservatam* à JACOBO, & CAROLO regibus sit *legitima*? h. e. *Scripturæ*, & praxi *Ecclesiæ purioris* conformis? Negant. 1. *Hardingus*, *Bristous*, 3. *Stapletonus*, 4. *Sanderus*,

derus, 5. *Alanus*, 6. *Parsonus*, 7. *Champnæus*, unà cum *Kellisono*, & plurimis aliis è *nostratibus*, & *alienigenis*.

Affirmant, 1. *Juellus*, 2. *Fulco*, 3. *Feildus*, 4. *Goodwinus*, 5. *Downhamus*, 6. *Sutlivius*, 7. copiosissimè verò *Masonus*, hisce instructi argumentis.

1. Vocatio nostri *Cleri* ortum duxit à praxi *Apostolorum*, & viris *Apostolicis*, à tempore primæ *conversionis* ad Christianismum, idq; *quinquennio* antequam *Petrus*, aut *Paulus* unquam *Romam* inuiserunt. Unde constat non pendere à *Romana pompa*, sed à simpliciore & certiore *Disciplinæ* fundamento. Maſon lib. 1. cap. 3. p. 51.

2. Continuata fuit juxta εὐταξίαν & εὐνομίαν *Ecclesiasticam* (quoad *substantiam* saltem, licèt non absq; *papalium* nugarum temporaria admixtione) usq; ad *Reformationem*, unde non habent *Papicolæ*, quod in toto hoc intervallo reprehendant, nisi eadem operâ sua destruerent.

3. Reformatio *doctrinæ* irritam non facit *ordinationem*, siquidem in doctrinæ *lue Epidemica*, *disciplinæ* erat aliqua *facies*, manente *Episcoporum Successione*, licet absq; optando *Evangelii* successu, unde *ministerio* non exciderunt *ordinati*, licèt *ordinantium* se opposuerunt *erroribus* & jugum *idolatriæ* prorsùs excusserunt. unde

4. *Crammerus*, *Parkerus*, aliiq; sub HENRICO 8°, EDVARDO 6to. Et Successores ipsorum sub ELIZABETHA, JACOBO, & CAROLO ligittimam habuerunt & habent *vocationem*, et *Ordinationem*, utcunq; *Papæ* et Ecclesiæ *Romanæ* nuntium prorsus remiserunt.

5. Habent debitam Electionem, vel *à Rege*, vel à *patronis*, in quorum manus *Parochiani*, confusionis evitandæ causâ, jus suum *electionis*, quod habuerunt, tradiderunt, 2. Præcedit *examen*, ne citò *indignis* aut *ineruditis* manus imponantur. 3. *Testimoniis* de conversatione cavetur, ne hominibus *minus fidis* tantùm negotium committatur. 4. imponuntur ipsis *manus* ex praxi *Apostolica*, 5. injungitur ut impositum *munus* fidelitèr obeant: ex quibus habetur legitimæ *Vocationis* et *Ordinationis* complementum *Apostolicum*.

6. Liber Ordinationis *Episcoporum, Præsbyterorum* et *Diaconorum* ex consensu *Ecclesiæ* nostræ talis mundo publicatur, qui examen invitat omnium *Adversantium*, nec adhuc invenit, qui ipsius *dissensum* à primitiva Ecclesia ostendat Adversarium.

7. Fatetur *Cudsemius* Papicola, *Catholicam* esse apud Anglos Episcoporum et ministrorum *Ordinationem*, et *Successionem*, ideoq; *Anglo-Calvinistas* non *hæreticos*, sed *schismaticos* tantùm à suis audire. De desperata *Calvinistarum* causa cap. 11. pag. 108. Consentit F. de L. *Clara* ad Art. Conf. *Anglican.* 36.

Objectiones Anabaptisticæ & Papisticæ.

*Ob.*1. OPus bonum absq; *peculiari vocatione* potest quis præstare. Sed tale est *Episcopi*, 1.Tim.3. 1. 2.Prædicarunt *Evangelium* dispersi post mortem *Stephani* absq; prævia *ordinatione*, Act.8.4. 3. Et etiam *Philippus*, Act.8.38. *Eunuchum* baptizabat, & *Apollo*, Act.18.25. quod ex charitate quilibet pius *Christianus* tenetur facere, *Socinus* de *Ecclesia*, cap.1. Ergo *supervacanea* & *superstitiosa* videtur ista Cleri *vocatio* & *ordinatio*.

Sol. Opus *bonum* in se non *bene* factum, facientis cedit in *malum*; ut Arcæ sustentatio ab *Uzza*; Unde non *missi prophetas* & *currebant*, conqueritur *Dominus*, *Jer.*23.21. Nam quomodò prædicarent nisi *mittantur*, Rom. 10. 35. Et nemo hunc *honorem* assumat *sibiipsi*, nisi vocatus fuerit sicut *Aaron*, Heb.5.4. 2. Alia est *constituendæ*, alia *Ecclesiæ constitutæ* ratio: in *prima*, *charitas* quamvis arripit *Evangelii* propagandi *ansam*; in *Ecclesiâ* verò *constituta* prospiciendum est, ut omnia *decenter* fiant & *ordine*, 1.Cor.14.40. 3. *Dispersi* isti cum *Philippo* & *Apollo* donis erant instructi *extraordinariis*, unde de vocatione

vocatione ipsorum satis constaret, quæ in *exemplum* hodie non sunt trahenda.

Ob. 2. Apostolus describens *Episcoporum, Præsbyterorum & Diaconorum* officia, de *consecratione* & *ordinatione*, prorsus tacet 2. & *Baptismus* à non-ordinatis administratur, Act. 10. 48. & ut videtur, *cœna*, 1. Cor. 11. 28. ubi requiritur tantùm ut *probet seipsum* quisq;, & sic de *pane isto* edat, & *calice* bibat, non expectans *clericum ordinatum*, qui *panem* vel *vinum* porrigat.

Sol. Argumentum ab autoritate *negante*, sed non ab *autoritate negativa* valet in *Theologicis*, Ut valet hoc. Negat *Apostolus* vocationem ad verbi & *Sacramentorum* administrationem esse *necessariam*. Ergo non est *necessarium*. Nullius autem momenti est argumētatio. Non meminit *scriptura* hujus rei; Ergo non est *admittenda*. 2. Apostolus *mores* personæ, non *munus* delineat, quod alibi fecit, Tit. 1. 5. Ideo reliqui te in *Creta*, ut constituas *oppidatim Præsbyteros* juxta *missionem* & *commissionem* à *Servatore* collatam. *Mat.* 28. 29. 20. 3. Baptizarunt *Gentes*, qui cum Petro venerunt ad *mandatum Petri*, Act. 10. instruitq; *Paulus Corinthios* ad servatoris ductum, non ut ipsi per se sumerent *panem* vel *vinum*, sed à manu ministri *porrigentis*, u fecerunt *discipuli* à manu *Christi*.

Ob. 2. Domus *Stephani* & *Fortunati* primitiæ *Achaiæ* in ministerium sanctorum *seipsos* ordinarunt. 1. *Cor.* 16. 15. 2. Prophetæ *duo* vel *tres* loquantur, & *cæteri* dijudicent, 1. Cor. 14. 29, 30. 3. & sub *Evangelio* erunt omnes docti à *Deo*, & *Spiritus Sanctus* vos ducet in *omnem veritatem*. Ergo non opus est *vocatione* & *ordinatione Episcopali*, talibus *Prophetis*, qui sic à Deo *docentur*, & ab ejus spiritu *ducuntur*.

Sol. Seipsos *ordinarunt*. i. e. seipsos *accinxerunt* ad sanctorum necessitatibus *administrandum*, non ordinarunt se in *præsbyteros*, ut aliis verbum *prædicarent* & sacramenta *administrarent*. 2. Obtinuit iste *prophetandi mos*, & exercitium, ut *verbum Dei* melius intelligerent, & se ad *ministerium* præpararent, non ut *pastores* & *doctores* excluderent. 3. Deus *docet* & *spiritus* ducit, non *immediatè* per *enthusiasmos*, aut dona.

na *miraculosa*, quod factum fuit in *prima* Evangelii *propagatione*, sed per *media* ab *ipso* ordinata, h.e. legitimam *vocationem* & *ordinationem*. Ut *plantanti Paulo* succederent, qui *rigarent* ex *officio* non pro *libitu*, 1. Cor. 3. 6. et *gignenti* in Christo, qui eodem ductu instituerent, Ib. 4. 15.

Ob. 4. Aut *ordinationem* habuerunt *Clerici Anglicani* à *Prælatis Pontificiis*, vel à suis *Symmistis*, vel ab *aliis*. Atqui non ab *aliis* ordinari potuerunt, quia nulli fuerunt præter *Græcos* et *Africanos*, quibuscum *nullum*, tunc temporis, habuerunt *commercium*, nec à suis *Symmistis* fuerunt ordinati nam de his controvertitur; *Pontificiorum* verò invalida fuit illis *ordinatio*: nam quis potest *mundum* ab *immundo* educere? Job. 14. 4. vel colligere è *spinis uvas*, Mat. 7. 17. Ergo aut nulla fuit ipsis *ordinatio*, aut ex *propria confessione* Antichristiana.

Sol. Inter doctrinæ *corruptelas* mansit semper *vocationis*, & *ordinationis* legitima *disciplina*, quoad *substantiam* saltem, licet plurimis *nugis* et *ritibus* superstitiosis deformata, qui enim *doctrinam* vitiassent, *disciplinam* tamen retinuerunt ad illos *ordinandos*, qui ad *normam* scripturæ, *ordinantium* errores corrigerent.

Ob. 5. Ordinarunt se invicem *Anglicani Pseudoepiscopi*. 1. *Parkerus*. 2. *Sandesius*. 3. *Grindallus*. 4. *Hornus*. 5. *Scoreus*. 6. *Ally*. 7. *Juellus*, ad insigne *Mannuli* in vico Londinensi **Cheap-side** quod indicavit *Johannes Neale* Professor linguæ *Hebrææ* Oxoniensis (qui missus à *Bonnero* interfuit) *Thomæ Bluet* Sacerdoti. Testatum hoc etiam reliquit *Henricus Cunstable* in adversariis suis *manuscriptis*, et insinuavit etiam *Johannes Stow* in *Chronicis*, unde constat *illos* seipsos modo præpostero *ordinâsse*, et per consequens legitimos *ministros* non potuisse ordinare.

Sol. Testes ex *sinu* (quales fuerunt isti *Papicolæ*) secundum *Jurisconsultos* non sunt admittendi. 2. Extant *Acta publica* apud *Masonum*, et alios, *bona fide* adducta, quæ satis comminuunt *pellucidum* hoc calumniantium *mendacium*. 3. Quæ curavit R. *Archiepiscopus Abbotius* sacrificulis nonnullis *ostendi*, ut *ipsos* convinceret, tam impudentis figmenti, & desinerent

desinerent tandem credulos suos *Proselytas* tam nefariè seducere.

Ob.6. Non *Episcopi* Episcopos *ordinare* non possunt, quia requiruntur ad talem *ordinationem*, juxta veterum *canones*, *tres* ad minimùm *Episcopi*; sed *Lutherus* & *Calvinus* nunquam fuerunt *Episcopi*. Ergo in *Lutheranis* & *Calvinianis Ecclesiis* transmarinis, non habetur *legitima ordinatio*, & per *consequens*, nec *ministerium*, nec *Ecclesia*.

Sol. Præsbyterum *præsbyteros* ordinare posse, præsertim *deficientibus Episcopis*, concedit cum *Magistro sententiarum* sanior pars *scholasticorum*, ut patet ad *Sent.* l. 4. *Dist.* 25. 2. *Episcopatum* retinent tales *Ecclesiæ*, licèt non per *manum* unius *monarchicè*, sed *aristocraticè* per multos *administratum*. 3. *Moderatores* & *Superintendentes* ipsorum *analogicè* sunt apud ipsos *Episcopi*, & autoritate, (ut contendunt) *ordinandi* pollent cum *fratribus*. Sed habent ætatem, pro se loquantur, *Clerus Anglicanus* hic tantùm *examen* subit.

Ob.7. Electio *Episcoporum* permittitur *Decano* & *capitulo* cujusq; *Ecclesiæ cathedralis*, per *diploma Regium*, Idoneum quemvis liberè & canonicè eligendi, dum interim præcipitur sub pœna *Præmunire* in literis *Regiis* privatis, ut nominatam à Rege eligant *personam*. 2. In ordinatione *Præsbyteri* redduntur ipsi *Biblia*, & *potestas prædicandi*, sed exercere *hanc* non potest in *propria parochia* absq; ulteriore ab *Ordinario*, facultate. 3. *Diaconi* munus prorsus pervertitur contra illud, Act. 6. ubi *constituti* erant *Diaconi*, ut pauperibus tantùm prospicerent, non ut sacra *legendo*, aut *prædicando* tractarent, Ergo *liber ordinationum* non videtur satis sinceræ *disciplinæ* Ecclesiasticæ conformi

Sol. Designat Rex, non ordinat *Episcopum*, nec immediatè eligit, sed per *Decanum* & *Capitulum*, quibus commendat *personam* consecrandam, non ipse *imponit*, aut *consecrat*, nec urget, ut *indignum* recipiant contra conscientias. 2. Potestas datur *prædicandi* Præsbyteris, & *executio* non tollitur, sed *suspenditur tantùm*, donec constet admissum tanto cum fructu posse scripturam interpretari, ac dextrè popu-

lo proponere. 3. Quod spectat ad Diaconos in mutato Ecclesiæ *statu*, mutari potuit muneris *exercitium*. Hodiè autem *Guardiani* & *Inspectores pauperum* egenis *prospiciunt*, quod fieri non *potuit* in non *stabilita Ecclesia*, unde nunc *Diaconi* nostri sacra tractent pro *facultate*, ut *Stephanus* & *Philippus*, ut ex tali inferiore *ordine* ad *Præsbyteratum* paratiores accedant. 1. Tim, 3. 13.

LOCUS

CAP. QVINTUM.

DE REDEMPTIONE.

EVOCATUS iste *cœtus* ab Æterno DEI *Decreto*, in tempore *redimitur* per JESUM CHRISTUM, Naturam Humanam *induentem*, legem *implentem*, & per unicum suum *Sacrificium* in *Cruce* Peccata Credentium *expiantem*.

De hisce Cotrovertuntur.

An.
1. *Christi Incarnatio fuit possibilis, necessaria, aut Conveniens?*
2. *In hypostatica Naturarum Unione inconfusæ maneant Naturæ, cum Idiomatibus?*
3. *Secundum utramq; Naturam Christus sit Mediator?*
4. *Pro peccatis omnium Credentium, plenè & integrè Satisfecerit?*
5. *Sola fides ex parte hominis justificat?*
6. *Aliquis potest esse certus de suâ Salute?*
7. *Gratia sufficiens ad salutem concedatur omnibus?*

QVÆSTIO. I.

An Christi Incarnatio fuit possibilis necessaria, aut conveniens? Aff. cum Patribus & Scholasticis ad 3. Sent. Dist. 1. Aquin. 3 parte, q. 1. & sq.

QVIA.

1. TAlis nos decebat *Pontifex* Sanctus, ab omni malo remotus, Heb. 7. 26. qui afficeretur *sensu* infirmitatum nostrarum, Heb. 4. 15.

2. Consentaneum erat Dei *justitiæ*, ut peccatum non dimitteretur absq; *Satisfactione* ipsius Justitiæ, qui *odio* habet iniquitatem, & cui *essentiale* est esse justum, Gen. 18. 25. Nullus autem debuit *satisfacere*, nisi *homo*, nemo *potuit* nisi *Deus*, unde *Redemptor* dicitur Immanuel, *Deus* nobiscum, & *Barnosbo filius* hominis. Mat. 1. 23.

3. Per *Incarnationem* ostenditur Dei, 1. *Misericordia*, quæ *Imaginem* suam *deformatam* non despexit. 2. *Justitia*, quæ ab homine *victo* voluit *victorem vinci*, & non *violentiâ omnipotenti*, suâ prædâ esse spoliandum. 3. *Sapientia*, quæ difficillimo *nodo* convenientissimum adaptavit *cuneum*. 4. *Omnipotentia*, quæ sola potuit ἀνδρωπίαν constituere. *Damas.* Orth. fid. lib. 3. c. 1.

4. Possibilitatem evincit *factum*. 1. *Verbum* caro *factum* est, Jo. 1. 14. 2. In eo habitavit *Deitas* σωμαλικῶς. Col. 2. 9. 3. Deus acquisivit *Ecclesiam* suo sanguine, Act. 20. 28. 4. In plenitudine temporis Deus misit *filium* factum *ex muliere*.

Gal.

Gal.4.4. 5. Qui habens *formam Dei*, susceptit *formam servi*. Phil.2.6. 6. Non suscepit *Angelos*, sed semen *Abrahæ*. Heb. 2.16. 7. Hoc *Mysterium* magnum, *Deus manifestatus* in *carne*. 1.Tim.3.16. Sic, omnis *spiritus* qui fatetur *Christum* venisse *in carne* ex Deo est. 1. Jo. 4.3. Qui κατὰ σαρκα â *Patribus*, Rom. 9.5.

5. Nec implicat, ut 1. *Persona infinita* assumeret, & uniret sibi *Naturam finitam*, 2. *Subsistentiam* ipsi impartiendo, 3. & ita *veniens*, ut duæ *Naturæ* manentes *inconfusæ* in eandem coalescerent *Personam*, quæ sit ἀληθῶς *Deus*, τελεῶς *homo*, contra *Apollinarem*; ἀδιαιρέτως non in duas distinctus *personas*, contra *Nestorium*: ἀσυγχύτως inconfusè nihilominus manens, ratione *Naturarum*, adversus *Eutychetem*.

6. *Necessitatem* ingerunt *Typi*, 1. *Agni* Paschalis ab origine mundi occisi. 2. *Rufi Juvenci* extra Castra immolandi, 3. *Ænei Serpentis* ad salutem intuentium erigendi, quæ cum reliquis frustranei fuissent *Typi*, nisi *Antitypo* Incarnationis & Passionis fuissent impleti.

7. Quod dilucidius firmant *Prophetiæ*, 1. Semen mulieris *caput* Serpentis conteret, Gen.3.15. 2. Ecce *Virgo* pariet. 3. *Vibicibus* ipsius *Sanati Sumus*, introducentis *æternam Justitiam*, Dan. 9.24. quia oportuit *Christum* hæc *pati*, & sic in *gloriam* ingredi. Luc.24.26. 1. Pet.2. 24.

Objiciunt 1. veteres Hæretici, 2. moderni Sociniani, 3. & Antichristiani Schismatici.

Ob. 1. INdignum videtur *Divinæ Majestati*, ad vilitatem Creaturæ se *dimittere*, 2. & si hoc faciendum, *Angelorum* lapsus potius quam *hominum* esset instaurandus, 3. & *magnificentior* glorioriorq; esset libera *condonatio*, quàm

talis debita *exactio* juxta *exemplar* Domini cum *Dispensatore prodigo*, Mat. 18.

Sol. *Consentaneum* est *summo Bono*, ut se summè communicet, quod factum per *Incarnationem*. 2. Homo peccavit *aliena seductione*, Diabolus *propriâ malitiâ*, tota *natura humana* intercidit, non *Angelica*. Hominem *simplicitas*, Angelos præcipitavit rebellis *Superbia*, gratiæ magis repugnans. 3. Sic disponenda est *Gratia*, ut *Justitia* non violetur, quæ æquè Deo est *Essentialis*, ac cætera attributa.

Ob. 2. Incarnatio Deum reddit *mutabilem*, contra illud, Ego *Deus* & non *mutor*, Mal. 3. 2. Ex *Domino* Servum. 3. ex *infinito* finitum.

Sol. Mutatio non facta est *in Deo*, sed in *assumpta Natura*, quæ retinet *proprietates* subjectionis, & finitudinis absq; ullâ *Deitatis* diminutione.

Ob 3. Cum filius sit ejusdem cum *Patre* & S. S. *essentiæ* & *naturæ*, Incarnato *Filio*, necesse erat *Patrem* & S. S. *incarnari*, quod prorsùs est *Hæreticum*.

Sol. Non incarnata fuit *Essentia* aut *Natura Deitatis*, sed 2da *Persona*, ut is qui ab æterno erat *Filius Dei*, in tempore fieret *filius hominis*, & ne duo essent in *Trinitate* filii, 2. medius in *Trinitate* videtur fieri convenientissimè *Mediator*, 3. & *Filius* naturalis faceret nos *filios adoptivos*. Assumptio autem humanitatis, quoad Efficientiam, est *opus ad extra* totius *Trinitatis*, quoad *terminationem* verò *Solius Filii*, ut tres Sorores unum consuant *inducium*, quod una ex illis induit, ut nonnulli explicare conantur.

Ob. 4. Aut *Persona humana* assumpta erat in *utero Virginis*, vel *non*. Si sic, tum *Salvator* constat ex duabus *Personis*, *Assumente* & *Assumptâ*, quod est *Nestorianum*, si *non*, tum illud quod *natum erat*, non erat *homo*, quia *Divinæ Naturæ* non *competit* ut nasceretur.

Sol. Non assumpta erat *Persona*, sed *Natura humana*, *semen* Mulieris & *Abrahæ*, cui contulit *Divinitas Subsistentiam*, ut inde non *Divinitas*, sed *Deus* nasceretur.

Ob. 5.

Ob.5. At *natura* non existit *humana*, nisi in aliquo *supposito*.

Sol. Verùm est *Physicè*, *Hyperphysicè* tamen potest ex Dei *omnipotentia* sine implicatione.

Ob.6. Vel Christus assumpsit *humanam naturam*, ante infusionem *animæ* in corpus, vel *non*: si ante *infusionem* animæ, caro erat assumpta, non *integram* assumpsit *naturam*, animata autem *natura* est persona.

Sol. Assumpsit *naturam animatam* in *semine*, quod sufficit.

Ob.7. Qui solvit *Jesum*, ex *Deo* non est, sed *Antichristus*. 1. Jo. 4.3. verum qui in individua ipsius *persona* duas distinguit *naturas* solvit *Jesum*, Ergo est Antichristus.

Sol. Non habet *Textus*, qui solvit *Jesum*, sed qui non profitetur *Jesum Christum* venisse in *carne*. Et solvere Jesum apud *vulgarem* interpretem, est *hypostaticam* naturarum *unionem* in eo *negare*, de qua in *Quæstione* sequenti.

QVÆSTIO. II.

An in Hypostatica Naturarum unione inconfusæ manent Naturæ cum Idiomatibus? Aff.

QVIA.

1. GLoriam meam alteri non *dabo*. Isaiæ 42. 8. & quia *Attributa* Dei sunt ipsi Deo *essentialia*; (quia nihil est in *Deo* quod non est *ipse Deus*) Impossibile est, ut ea quæ sunt *Deo propria*, *Creaturæ* realiter communicentur, nisi *Creaturam* in *Creatorem* transformemus quod est absurdissimum. 2. Quæ

2. Quæ sunt omnibus *personis* communia, communicari non potuerunt *naturæ humanæ*, à *secundâ* tantum *personâ* assumptæ per *hypostaticam* unionem; Quia sic *Pater* etiam & *Spiritus sanctus* essent incarnati: sed convenit *attributa* divina esse hujusmodi, Ergo,

3. Sic de Unione *Hypostatica* credendum est, ut *contradictio* non admittatur: sed ex *Æternitate*, *immensitate*, ubiquitate assumptæ humanæ *naturæ* communicatis, sequeretur humanam *naturam* esse *æternam* & *non æternam*, *finitam* & *infinitam*, *ubiq;* & certo loco *terminari*, quæ sunt *contradictoria*, Ergo talis κοινωνία ἰδιωμάτων non est ferenda.

4. Communicatis *proprietatibus* confunduntur *naturæ*, quia *naturæ* & *proprietates* reciprocantur. Et *proprium* communicatum fit *commune*, h.e. *proprium* & non *proprium* respectu ejusdem: Sed confusio *naturarum Manichei*smum damnatum introducit, & *Monotheli*smum: Ergo non potest esse talium *proprietatum* communicatio.

5. Divinâ *natura* semper humanæ mansit *hypostaticè* unita, Sed non communicavit ei *omniscientiam*, quia quâ homo *Christus* ignorabat diem Judicii; nec *omnipræsentiam*, quia *corpus* in *sepulchro* definitum occupabat *locum*. Ergo non asserenda est talis *communicatio*.

6. Positâ tali *communicatione*, humana natura in abstracto haberetur *omnipotens*: sed hoc fieri non potest, quia tunc æquè sustentaret *naturam divinam*, ac divina *illam*, & λογος æquè per *illam*, ac *illa* per λογον subsisteret, quod nullus dixerit.

7. Unio *personarum* in sacrosanctâ *Trinitate* non personales communicat *proprietates*, nam ita *Filius* æquè *Patrem* generet, ac *Pater filium*: Ergo multò minùs unio *naturarum* increatæ & *creatæ* in *unâ personâ* communicat *proprietates*, quoniam inter *creatum* & *increatum*, quàm inter *personam* & *naturam* increatam, infinitius est discrimen.

Objectiones

Objectiones.

Ob. 1. EX unione *Hypostatica* perfectior facta fuit *natura* humana: at hoc fieri non potuit nisi ex *communicatis* divinæ naturæ *proprietatibus*, Ergo.

Sol. Charismata, *Apotelesmata*, seu *Axiomata* collata ex ista unione, perficiebant *humanam naturam*, ad opus *redemptionis* exequendam, sine idiomatum *transfusione*, aut *confusione*.

Ob. 2. Cui communicata est *subsistentia* τῦ λόγυ, communicantur *idiomata* ab eâ *inseparabilia*: atqui *subsistentia* divina communicata erat *humanæ naturæ*, Ergo,

Sol. Non contulit λογος novam *subsistentiam* humanæ naturæ, sed assumpsit in *subsistentiam* divinæ, sic ut haberet in ea quasi *insubsistentiam*, ut in trunco *surculus*, cui inoculatur.

Ob. 3. In Christo habitat omnis *plenitudo deitatis* σωμάτικῶς, Colos. 2. 9. Ergo *humanæ* Christi *naturæ* omnia Deitatis *idiomata* sunt communicata.

Sol. Loquitur *Apostolus* de plenitudine *Deitatis* in mediatoris *persona*, non trasfusione in humanam naturam; cujus *inhabitationem* prædicat *corporalem*, ut à *virtuali*, *sacramentali*, *gratiosâ* distinguat, quæ *nullam* inferunt *personalem* unionem.

Ob. 4. Cui in tempore data est omnis *potestas* in *cælo* & in *terra*, ei communicata est *omnipotentia*, & per consequens reliqua *divina attributa*: sed *humanæ* Christi *naturæ* data est *potestas*, Mat. 28. 18. Divina enim semper *eam* tenuit, nec capax erat *ulterioris* perfectionis. Ergo

Sol. 1. Excipiunt hic adversarii *attributa fixa*, qualia sunt *æternitas* & *infinitas*, dum transferunt *omniscientiam* & *ubiquitatem*, idiomata *Energetica*. 2. Dicendum igitur *omnipotentiam* collatam esse *personæ* mediatoris, non *naturæ* humanæ,

Ob. 5. Christus ascendit supra omnes *cælos* ut impleret omnia, Ephes. 4. 10. ex qua *plenitudine* omnes *accepimus*, Joh.

1.16.non ad *mensuram* ipsi impertita, Jo.3.34. ergo humanæ naturæ ascendenti nihil defuit, quò impleret omnia, ergo nec ubiquitas.

Sol. Ista ostendunt quæ competunt *personæ* in concreto, non naturæ humanæ in abstracto, nec implere hic refertur ad loca, sed ad prophetias, sive opus mediatorium & donorum collationem.

*Ob.*6. Dextra Dei est *ubiq;* Christus *sedet* ad *dextram* Dei secundum *humanam naturam*, Ergo *secundum humanam* naturam est ubiq;.

Sol. Aliud est *esse dextram* Dei, aliud *sedere ad dextram Dei*, in *sophismate* mutatur *medius terminus*. Unde *syllogismus* fit *quadrupes* contra *Logices* dictamen.

*Ob.*7. Totus *Christus* est ubiq;, Ergo *humana natura*.

Sol. Discrimen statuendum est *inter totum Christum*, quod respicit *personam*, & *totum Christi* quod indigitat *naturas*, *totus Christus* conceditur esse *ubiq;* sed non totum Christi, quia *Deitas* potest esse sic *ubiq;*, ut uniatur semper humanitati, quæ *tota* est in *cælo*. vid: partitè hæc omnia eventilata à Doctiss. *Altingio* scriptorum *Theolog. Tom.*1.part. 2.pag.509,

QVÆSTIO. III.

An Christus sit mediator secundum utramq; naturam? Aff.

QVIA.

1. SCriptura *Divinæ*, æquè ac *humanæ* naturæ opera *mediationis* tribuit. *Deus* suo proprio *sanguine* acquisivit Ecclesiam, Act.20. 28. Dominus

gloriæ

gloriæ erat *crucifixus*, 1. Cor. 2. 8. Ipse se submisit, & factus est obediens usq; ad *mortem*, Phil. 2. 8. Ego *depono* animam per *meipsum*; âuthoritatem habeo *deponendi*, & rursus eam *assumendi*, Jo. 10. 18.

2. Sola *humana natura* officium *Regium* non potuit exequi in *cœlo* simul & in *terris*, nec *pretium proportionale* infinitæ Dei *justitiæ* exhibere.

3. Actiones sunt *suppositorum* seu *personarum*: sed *humana* natura â divina *distincta*, nullam habuit *suppositalitatem*, seu *subsistentiam* (ut somniavit *Nestorius*.) Et cur duæ essent in christo *distinctæ naturæ* & *agentia formalia*, si secundum *utramq; naturam* non ageret?

4. Non opus fuisset *unione personali*, si *humana* naura *operi* huic fuisset *sufficiens*, finis autem *unionis* personalis fuit administratio *officii*, unde opus erat ut *utraq;* natura aliquid de *proprio* conferret.

5. Renovare *corda*, & dare S. *Stum* & *resurgere* à mortuis sunt *mediatoris* opera: sed ista præstare non potuit ψιλος ἀνθρωπος.

6. Divinitas sine *humanitate*, & humanitas sine *Divinitate* non est *Mediatrix*: sed inter *divinitatem* solam & *humanitatem* solam est *humana divinitas* & *divina humanitas*, Aug. Homil. de Ovibus c. 11. In tantam unitatem *ab ipso conceptu Virginis*, Deitas & humanitas *connexa* sunt, ut nec sine homine *divina* nec sine Deo *humana* agerentur Leo. ep. 81. Agit utraq; *distincte*, sed tamen unitè juxta *utramq;* formam, in communione alterius. idem ep. 10. Nec Patres aliud volunt, quàm necessitatem *unionis* hypostaticæ ad *Mediationem* urgere.

7. Agnoscunt nostræ sententiæ veritatem *Adversarii*, *Espenceus*, *Bellarminus*, ubi concedit in quibusdam operibus Christi, concurrisse *divinitatem* cum humanitate. 2. omnia miracula Christi fuisse *partim divina*, *partim humana*. 3. Mediationi *substantiali* non tantum *humanam*, sed etiam *divinam naturam* fuisse necessariam, ut opera *Mediatoria* essent infiniti pretii. de Christo *Mediatore*, lib. 5. c. 7

Objectiones Bellar: Osiandri, Stancari ex Lombard. 3. sent. dist. 19. Aq. par. 3. qu. 26 art. 2.

Ob. 1. SEcundum eam *naturam* est *Mediator*, quam *Apostolus* mediatricem nobis tantum exhibet. Sed ea est tantum *humana*, unus est *Mediator* Dei & hominum homo *Jesus Christus* 1. Tim. 2. 5. cur additur *homo*] nisi ut mediationis *forma* & principium?

Sol. Homo interponitur *Exegeticè*, ac si dictum fuerit, Christus *homo* à Deo *assitus* & *unitus*. 2. Aliud est asserere hominē *mediatorem*, aliud *mediatorem* esse quâ homo. Siquidem non valet, *Deus* acquisivit *Ecclesiā* suo *sanguine*, Ergo quà *Deus*, sic nec homo Christus est mediator, Ergo tantùm quâ homo.

Ob. 2. Distinguitur ibidem *mediator* à *Deo*. Ergo non potest esse *mediator* quâ *Deus*.

Sol. Deus *personaliter* ibidem *Patrem* denotat, inter quem, & genus humanum θεάνθρωπος mediator intervenit.

Ob. 3. Mediator debet esse *medius* distans ab *utraq;* parte. At *Christo* hoc competere non potest quâ *Deus*, sed quâ *homo* justus, nam mediatio secundum *utramq; naturam*, eandem involvit *naturam*, ut sit *pars offensa* & *medians*, quod implicat. Bell.

Sol. Distat ab *utraq; parte* quâ ἄνθρωπος, quatenùs mediat, non quâ persona, vel *natura humana* assumpta. Nec implicat, partem *læsam* fieri voluntariò *mediatricem*, sub *diverso* respectu, ut *Senator* agens causam *rei*, quî Senatui est reconciliandus.

Ob. 4. Mediator non est *unius*: sed Deus est *unus*, Ergo non potest *Christus* esse mediator.

Sol. Ostendit ibidem *Apostolus*, legis promulgationem indicasse *dissidium* inter Deum & *hominem*, Deus autem ex

parte

parte suâ idem semper manet; ex parte igitur *hominis* opus erat *Mediatore* qui *dissidium* tolleret. 2. Hinc efficitur *Deum* solummodò non potuisse esse *Mediatorem*, non excluditur θεανθρωπος, quin Deus-homo hominem Deo reconciliaret.

Ob. 5. Si Divina Natura mediat, tum *Pater* & S. S. æquè essent cum *Filio* Mediatores, quod neutiquam est admittendum.

Sol. Mediatio competit *Naturæ*, non quâ *communis* personis, sed quâ *subsistit distinctim* in persona Filii.

6. Sacrificare & Sacrificando *satisfacere* opus est præcipuum *Mediatorium*: Sed hoc *Deo* competere non potest quâ *Deus*, Ergo non *dicendus* est *Mediator* secundum divinam naturam.

Sol. Resp. Minori. Non competit divinæ Naturæ *seorsim* positæ, sed in *tali supposito*. Quo sensu non est Mediator *tantùm in utraq; natura*, sed *secundum* utramq; naturam.

Ob. 7. Unitas *Apotelesmatis* seu *effectus* arguit *unitatem* principii. At *Mediatio* est unum tantùm *Apotelesma*, Ergo à diversis *principiis* formaliter non potest provenire.

Sol. Major vacillat. Quia Sacrificio Christi *Mediatorio* contulit humana Natura, *Substantiam operis*, *Divina*, *dignitatem*.

QVÆST. IV.

An Christus pro peccatis omnium Credentium plenè & integrè satisfecerit? Aff. *Papistæ & Reformati.*

QVIA.

1. QVI *Subivit* & *Præstitit* omnia à reis & debitoribus peragenda, sic ut ipsius *Castigatio* cesserit in Imponentis *Pacificationem*, ipsius *Sacrificium* in delictorum *expiationem*, ipsius *vibices* in delinquentium *sanationem* & *liberationem*, Is verè & integrè pro illis satisfecerit: Atqui Christus θεάνθρωπος hæc omnia præstitit, Isaiæ 53. 5. 1. Pet. 2.24.

2. Quod *Victimæ* pro peccatis oblatæ præstiterunt *typicè*, hoc effecit *Christus* reverâ unica sua in Cruce *Oblatione*. ratio, quia lex umbram tantum obtinebat *futurorum bonorum*, Heb. 10. 1. Corpus autem est Christi, *Col.* 2.17. Sed victimæ *expiarunt* & satisfecerunt *typicè*, Anima carnis in Sanguine *ejus*, egò dedi illum vobis ut super altare in eo expietis pro *animabus* vestris, & *Sanguis* pro animæ *piaculo* sit. Levit. 17. 11. unde illud χωρὶς αἱματεκχυσίας οὐ γίνεται ἄφεσις. Absque Sanguinis effusione non fit remissio. Heb. 9. 22. Ergo

3. Justitia è *Cælo* proveniens, quæ est ipsius Jehovæ, æternum manens, ad *cohibenda*, *tegenda*, & *tollenda* peccata, est Justitiæ divinæ *satisfactoria*, aliter maneret ijs qui sunt in Christo

Christo *condemnatio*, contra illud, Rom. 8.1. Sed talis est Justitia *Messiæ* pro nobis exhibita, Psal. 85.12. *Jer.*33.15. *Dan.*9.24. Ergo

4. Profitetur Salvator se animam ponere pro *ovibus*, Jo.16.11. 2. Se eo fine venisse, ut daret animam suam in *redemptionis pretium* pro multis, Mat.20.28. 3. Quod consummatum esse clamat in *ultimo Agone*, Jo.19.30. λύτρον, ἀντίλυτρον, τελείωσις, inferunt satisfactionem.

5. Qui pro nobis factus est *peccatum*, ut nos efficeremur *Justitia Dei*, 2. *Cor.* 5.21. *Execratio*, Gal. 3.13. verè & planè satisfecit: Sed hoc à *Servatore* præstitum, Ergo

6. Aliter frustra *lex* erat *promulgata*, & sententia violantibus denuntiata, *Morte morieris*, quod est contra Dei *immutabilitatem*, & peccatum maneret *impunitum*, contra *essentialem* Dei *justitiam*.

7. Et maneret adhuc adversus nos *Chirographum*, nec *Redemptorem* se nobis *Christum* præstitisse *constaret* in exequutione muneris *Sacerdotalis* & *Regii*, sed tantùm *Prophetici*, in suadendo *verbo*, & *exemplo*, quod etiam fecerunt alii Prophetæ.

Objiciunt Socinus, Gitichius, Ostorodius, Smalcius, Moscorovius. &c.

Ob. 1. DEUS se obstrinxit se nolle *unum* pro *alio* puniri, sed anima *quæ peccaverit*, ipsa morietur, Ezech.18.4. Ergo non potuit *Christum insontem*, pro *sontibus* punire, ut justitia ipsius satisfieret.

Sol. Aliud est alterum pro altero *puniri invitum*, aliud puniri illum qui *se sistit* pro altero *vadem* seu *sponsorem*. Christus hic *hominem* induit, & factus est pro nobis *peccatum* & *execratio*, unde justè solvit, quod à *nobis* erat debitum.

Ob. 2. Pœnæ *Gehennæ æternæ* erant nobis *debitæ*, sed has subire *Christus* non potuit, nam *impossibile* erat ipsum à *morte* detineri, Act. 2.24.

Sol.

Sol. Pœnas infernales pertulit *Salvator* in horto, quoad *acerbitatem*, non quoad *durationem*, non inflictas à *Diabolis* in *inferno*, sed ipsi incidentes ob *peccati molem*, & Justitiæ paternæ *severitatem*; quas *patiendo* vicit, & *vincendo* de potestatibus tenebrarum *triumphavit*. Col. 2.15.

Ob. 3. Deus remisit peccata nostra *gratis*, per viscera suæ *misericordiæ*, Luc. 1.78. Ergo non opus erat *satisfactione*, quia *satisfactio* & *gratuita condonatio* se mutuò tollunt.

Sol. Remissio & *Satisfactio* se mutuò tollunt ad idem relata; quod hic non fit, quia enim satisfecit *Christus Justitiæ Divinæ*, peccata nobis credentibus *gratis* condonantur, unde *misericordia* in nos, *justitia* in *peccatum* se mutuò osculantur.

Ob. 4. Si absq; *satisfactione* peccata nostra non potuerunt remitti, tum nec *remittenda* sunt à nobis peccata *in proximum*, sine interveniente *satisfactione*, quia Deum jubemur *imitari* in condonandis peccatis, Ephes. 4. 32. & 5. 1. quod confirmatur parabolâ *Debitoris*, cui dominus debita *gratis* remittit, & punit *satisfactionem* exigentem ab alio, Mat. 18.32.33.

Sol. Præceptum & *parabola* ingerunt mutua nostra erga conservos *officia*, non *Judicialem* inter *Judicem* & *reum* processum. *Judex* enim qui *extra* judicium potest delinquenti *ignoscere*, pro *tribunali* sedens juxta Justitiæ *præscriptum* debet procedere.

Ob. 5. Idem *Judicis* & partis *læsæ* & *rei* non potest subire *partes:* Sed *Christus* qua Deus est *Judex* & pars *læsa*: Ergo pro *reis* non debuit intercedere.

Sol. Qui *læsa* erat pars ut *Deus*, ejusdem cum *Patre* & S. S. *essentiæ*, ut θεανθρωπος & *sponsor*, potest *satisfacere*, sicut Senator *descendens* è *Tribunali* fieri potest pro reis *intercessor*.

Ob. 6. Actiones Salvatoris *quâ homo*, erant legi *debitæ*, quia Factus sub *lege*, Gal. 4.4. & *passiones* sibi ipsi cessêre in *exaltationem*, Phil. 2.7.9. Ergo non potuerunt esse pro nobis *meritoriæ* vel *satisfactoriæ*.

Sol. Meritum tribuitur *Personæ* ratione *Deitatis*, legi non

non *obligatæ*, non humanæ *naturæ* seorsim spectatæ, quæ personam exhibuit *passibilem*, ob participantium *expiationem*, cui *Deitas* contulit *infinitum* satisfactioni *pretium*.

*Ob.*7. Si mediator *plenè* & *integrè* satisfecerit, non opus est *nostra* ulteriori *opera*, aut *operibus*, ut piè, justè, & sobriè vivamus, quòd tamen exigit à nobis *Evangelium*, Tit. 2. 12.

Sol. Declinandum *à malo*, & invigilandum *bonis operibus*, non ut inde *justificemur* coram Deo, sed ut *digni* ambulemus justificati *per Christum*, & per *novam obedientiam* & *præcepta* nobis *media*, ad optatum salutis *portum* perveniamus. *Pacem* sequimini cum omnibus & *sanctimoniam*, sine quibus nemo videbit *Deum*. Heb. 12. 14.

QUÆSTIO. V.

An sola fides ex parte hominis justificet? Affirmant nostri Art. 11.

Vid. de Justificatione Lect. nostram 5tam.

1. JUstificari *fide* idq; *gratis*, quia *opera* fidem evacuant, est solâ fide justificari: sed *arbitramur* hominem *justificari fide, absq; operibus legis*, Rom. 3. 28. δωρεὰν *gratis*, Rom. 3. 24., non ex *operibus* justitiæ, quæ fecimus nos, Tit. 3. 5. non *nisi per fidem*, Gal. 2. 16. Ergo,

2. Justificamur eodem modo, quo *Abraham* pater omnium *credentium*: sed credidit *Abraham* Deo & *imputatum* est ei ad *justitiam*, Gen. 15. 6. Rom. 4. 5. Illi vero, qui non operatur, credenti autem (*Balchud* addit *Syrus*) tantùm in *eo*, qui justificat impium, reputatur fides ejus *in justitiam* secundum *propositum* gratiæ Dei. Sicut & *David* dicit beatitudinem hominis, cui *Deus* acceptam fert *justitiam* sine *operibus*, Rom. 4. 5. 6. Ergo *fide* solum justificantur *fideles*.

3. Per quod solummodo imputatur nobis *Christi justitia*, quæ *lapsui* & *legi* satisfacit, per illud solummodò ex parte nostra justificamur, sed justificamur *gratis* per *gratiam* ipsius, per redemptionem quæ est in *Christo Jesu*, quem proposuit Deus *propitiationem* per fidem in *sanguine* ipsius, ad *ostentionem* justitiæ suæ, *Rom.* 3. 24. unde *Christus* factus est nobis *sapientia*, *justitia*, *sanctificatio*, *redemptio*, 1. Cor. 1. 30.

4. Per quod purificantur *corda nostra*, per illud *solum* justificamur, sed τῇ πίστει, vel διὰ τῆς πίστεως, tanquam *instrumento* justitiam Christi *apprehendentè*, non διὰ τὴν πίστιν, *propter* fidei *meritum* purificantur corda nostra *Act.* 15. 9. & invenimur in eo non habentes *justitiam nostram*, quæ est ex *lege*, sed illam quæ *ex fide* est *Christi*, quæ *ex Deo* est justitia *in fide*, Phil. 3. 9.

5. Per quod Evangelii participes ad *salutem*, & *filii* Dei efficimur, per *id solum* & semper *justificamur*: at per solam *fidem* ista possidemus omnia, Rom. 1. 17. Jo. 1. 12. *Rom.* 5. 1. Ergo.

6. Eodem modo justificamur, quo *Evangelii justitia* nobis conferenda *retegitur* & *manifestatur*: At justitia nobis conferenda retegitur nobis in Evangelio, *ex fide in fidem*, Rom. 5. 17. hoc est, ut per *fidem* solummodo *initium* & *progressus* ejus instituatur, ergo *sola fide* justificamur confer, Gal. 3. 8. Rom. 1. 17. sicut *scriptum*, justus *ex fide* vivet.

7. Doctrina quæ distinguit *Christianismum* salutiferum à *Judaismo*, *Turcismo*, & *Ethnicismo*, est ab omnibus *Christianis* amplectenda: sed talis est hæc de *justificatione ex solâ fide*, quia finis *legis* est *Christus*, ad *justitiam* omni credenti, *Rom.* 10. 4. Quare ut concludit Articulus noster, *sola fide* nos *justificari*, Doctrina est saluberrima, & *consolationis plenissima*. Act. 11.

Objiciunt

Objiciunt Papistæ, Sociniani, Arminiani, &c.

Ob. 1. NOn asserit Scriptura *solam fidem* justificare, sed *contrarium*, videtis quoniam ex *operibus* justificatur homo, & non ex *fide tantùm*, Jac. 2. 24.

Sol. Habetur, *tantummodò crede*, Mar. 5. 36. & *Crede tantùm*, Luc. 8. 50. quo *Archisynagogus* fieret voti compos. 2. Non *nisi per fidem justificatur homo*, Gal. 2. 16. Non *ex operibus*, ne quis glorietur, Ephes. 2. 8. quæ omnia æquipollent *thesi solâ fide nos justificari*. 3. quod cum negare videatur *Jacobus*, dicendum est, illum loqui de *professione fidei hypocritica*, & *infructuosa*, quæ ostentat se *sine operibus*; nõ *de fide justificante, charitate*, & *spe* comitata, quæ *ostendunt* fidem illam esse *vivam* quæ *justificat*, in partes tamen nõ veniunt ut *concausæ*, quæ cum fide simul *justificent*. Nam aliud est *causa* justificationis, aliud *qualitas* justificati, nec quæritur quæ *virtutes* sibi invicem *connectuntur*, sed quis sit cujusvis *actus proprius*, unde *sola fides* justificat, licet *ea fides*, quæ sic justificet, non *sit sola*, sed aliis virtutibus comitata. Neq; tamen *merito fidei* justificamur sed *medio*, non διὰ τὴν πίστιν, sed διὰ τῆς πίστεως, non propter *fidem*, sed per *fidem*, non justi *facti sumus*, sed *declaramur*, apprehendente *scilicet fide*, non nudâ tantùm *cognitione*, & assensu, sed *fiducia*, innitente salvatoris *merito*, quod divinæ justitiæ *satisfaciat*.

Ob. 2. Aliis virtutibus, nempe *spei* & *charitate* ascribitur justificatio, *spe* salvi facti sumus, *Rom.* 8. 24. & fœminæ *peccatrici* remissa sunt *peccata multa*, quia *dilexit* multùm, Luc. 7. 47 Ergo ex sola fide non est Iustificatio.

Sol. Metonymicè ista attribuuntur *consequenti*, quæ sunt *antecedentis*. 2. *Effectui* quæ sunt *causæ*! Nec ὅτι, Luc. 7. est particula *causalis*, sed *rationalis*, unde non sequitur, remissa

sunt *peccata*, quia *dilexit*, Ergo *dilectio* est causa *remissionis*, magis quàm si argumenteris, Vivis quia *ambulas*, ergo *ambulatio* à *priori* est vitæ *causa*, cum tantùm sit à *posteriori* indicium.

Ob. 3. Si justitia Christi *imputata*, fide apprehensa, nos solummodò justificaret, ergo non minùs justi haberemur quam *Christus* aut *B. Virgo*. At hoc blasphemum.

Sol. Juxta veritatem rei *æquè* sumus justi, sed non *æqualiter*, nec *eodem modo*, cum ille justus sit *subjectivè*, nos *imputativè*, ille de *proprio*, nos illius *largitate*. 2. B. Virgo autem *justificata* fuit, non quia *Christum* gestavit in *utero*, sed in *corde*.

Ob. 4. Eodem modo *justificamur*, quo fuimus rei constituti, sed *rei* efficimur per peccata *inhærentia*, tam originale *Adami*, quàm addita nostra *actualia*. Nam sicut per unam *offensam reatus* venit in omnes homines ad *condemnationem*. Ita per unius *justitiam* beneficium redundavit in *omnes homines* ad *justificationem vitæ*. *Rom.* 5. 18.

Sol. Illud (sicut) *Apostoli* non confert inter se *modos ineſſendi* contrariorum effectuum, sed *originem* tantum & *Authores*.

Ob. 5. Si *sola fides* justificet, Ergo non opus esset *Decalogo*, vel *oratione dominica*, aut *sacramentis* ad salutem *nostram* pro*ovendam*, quia *symbolum* tantùm sufficeret, in quo tamen *solam fidem justificare* non habetur; sed ista non sunt admittenda.

Sol. Necessaria sunt ista *omnia* ut vivæ fidei *fulcra*, non justificationis *concausæ*; quia creati sumus in Christo ad bona *opera*, Ephes. 2. 10. non justificati *per* vel *propter* bona *opera*,

Ob 6. Sine *sanctimonia* nemo videbit *Deum*, *Heb.* 12. 14. Ergo *sola fides* ad *justificationem* non sufficit.

Sol. Ista *fidem* præsupponunt è quâ egerminant tanquam *fructus*, qui *conficiunt sanctificationem*, non *efficiunt* justificationem.

Ob. 7. Doctrina ista de *justificatione* per *solam fidem*, meritis Christi innitentem. 1. *pietatis* studium evertit. 2. fidei *acceptilationem meritoriam* quandam inducit. 3. & *operibus bonis* debitam *laudem* & *præmium* detrahit. Ergo exterminanda.

Sol.

Sol. Immò extimulat potius ad *pietatem*, cum fides absq; eâ, futura sit prorsus *mortua*. 2. quæ urgetur ut *instrumentum apprehendens* illud, quod justificat, non *in se*, suâ *acceptilationem* habens, quâ justificet. 3. Unde operibus constet laus *sanctificationis*, non *justificationis*, quia in districto Dei *judicio*, non *justificabitur* ex *operibus ulla caro*. Psal. 143. 2.

QUÆSTIO. VI.

An aliquis potest esse certus de suâ salute? Aff:

QUIA.

1. UBI aperta, evidens, Plena, & fiducialis intercedit de *peccatorum remissione*, & patris in filio favore, *persuasio*; ibi necessario sequitur salutis *certitudo*: quia ut *fides* à *fideli*, sic nec istæ *proprietates* à *fide* possint separari, sed *fides* est ὑπόστασις, πεποίθησις, ἔλεγχος, substantia *sperandorum*, & *argumentum* non *apparentium*, Heb. 11. 1. & πληροφορία quæ omnia ista fideli suppeditat, Ergo *potest*, & *debet* esse certus de sua salute.

Quodcunq; *spiritus* testatur nos *posse* & *debere credere*, illud nobis oportet esse *persuasissimum*, quia *spiritu* signati sumus in *diem Redemptionis*. Ephes. 4. 30. sed *spiritus* testatur nos posse, & debere credere salutis *certitudinem*. Quotquot receperunt eum, illis dedit *potestatem* filios Dei fieri, Jo. 1. 12. Et quoniam *filii sumus* misit Deus hunc *spiritum* filii sui, *Gal.* 4. 6. & ille ipse *spiritus* testimonium reddit *spiritui nostro*, *nos esse filios Dei*, & si filii tum & *hæredes*. Rom. 8. 15. Ergo *possumus*, & debemus de salute esse certi.

3. Quod spondeant sibi ipsi omnes *fideles*, à nobis certò est expectandum: sed *Abraham* contra *spem* sub *spe* credidit, nec *infirmatus* sed πληροφορηθεὶς, *Rom.* 4. 21. *David*, misericordia tua *subsequetur* me *omnibus diebus* vitæ meæ, Ps. 23. 6. non confundar in *æternum*, Psal. 31. 1. Nos *scimus* quod translati sumus à *morte ad vitam*, quoniam diligimus fratres, 1. *Joh.* 3. 14. per hoc novimus *habitare* eum in *nobis*, nempe ex *spiritu* quem dedit nobis. ib. 24. πέπεισμαι γὰρ, *persuasus sum*, quod neq; *mors* neq; *vita* potest separare *nos à charitate* Dei quæ est in *Christo* Jesu *Domino* nostro, Rom. 8. 38.

4. Quod *precibus* tenemur *petere*, illud credendum est *speciatim* ad nos pertinere, quia quæcunq; orantes petitis, credite vos *accepturos* & *evenient* vobis, Mat. 11. 24, hæc est *fiducia* quam apud *Deum* habemus, *ipsum* (si quid petierimus secundum voluntatem ejus) *nos audire*, quod si scimus *eum audire*, nos quicquid petierimus, scimus nos habere *petitiones*, quas, ab eo petimus, 1. *Jo.* 5. 14. 15. sed singuli tenentur petere *Dimitte nobis debita nostra*, Mat. 6. Luc. 11. & perstringitur ὀλιγοπιστία *quid timidi estis modici fidei*, Mat. 8. 26. & *exigua fide* præditi quare *dubitastis*, Mat. 14. 31.

5. Astruunt hanc certitudinem *Patres*, *Græci* & *Latini*: *spiritus testatur*, quænam relinquitur *ambiguitas*? *Chrysostomus* in Rom. 14. & si Deus hac arrhâ nobis prius datâ, reliquam hæreditatis *possessionem* non adjiceret, ipse *arrhæ perditæ* damnum pateretur. idem Hom. 1. in 2. ad Cor. sic *Ambrosius* præsume non de *tua operatione*, sed de *Christi gratia*, de Sacram. l. 5. c. 4.

Consentiunt *Adversarii*, *Colonienses*, *Roffensis*, *Torrensis*, *Cajetanus*, *Cassalius*, *Canisius*, *Eisengrenius*, qui non tantùm nullum *receptum Doctorem* hanc *certitudinem* negasse pronuntiat, sed *Concilium Tridentinum* eandem propugnare *peculiari tractatu* asserit.

7. Ex positâ una propositione *credita* & *altera evidenti* ex *fide*, certa est *conclusio*, Scotus in 3. Sent. dist. 35. quæst. unica, quod & probavit *Vega*, *Canus*, *Medina*, *Albertinus*, unde argumentum, qui *crediderit* & *baptizatus fuerit*, Salvus erit. Mar. 16. 16.

16.16. At ego *credo* me habere *fidem*, quod conscientia *fidelis* certò percipiat, Scotus in 3. Sent: *Dist* 23. & de Dei *omnipotentia* & *misericordia certus est*, quicunq; fidem habet. *Aquin.* 2.2æ.q.18.Art.4. Ergo potest & *debet* esse *certus* de sua salute.

Objectiones:

*Ob.*1. NEmo potest dicere, *Mundum* est *cor meum*, Prov.20.9. 2. Nescit homo utrum *odio* aut *amore* dignus est, sed omnia in *futurum* servantur incerta, Eccles.9.

Sol. Non nititur certitudo hæc *nostris operibus*, sed Dei electione, & Servatoris *satisfactione*. 2. Nec potest quispiam pronuntiare *mundum* esse cor suum, quia si dixerimus *peccatum* non habemus, nos *seducimus* & veritas in nobis non est. 1.Jo.8. 3. Nec ex *externis eventibus* ferenda est *sententia*, sed ex *promissis* in Christo, non te *relinquam* aut deseram, Hebr. 13.5. Et qui credit in eum non confundetur, 1.Pet.2.6.

*Ob.*2. *Job* profitetur, non reprehendit *me cor meum* in tota *vita mea*, C.27.6. 2. *David*, judica me *Domine* quia in *innocentia* ambulavi, Psa.26.1. 3. *Paulus*, nihil mihi *conscius sum*, 1.Cor.4.4. Isti tamen non audebant *certitudinem* salutis arrogare.

Sol. Non ex propria *justitia*, sed ex Dei *misericordia* (cujus dona sunt ἀμεταμέλιτα) hanc derivârunt *certitudinem*.

*Ob.*3. Deus sub certis *conditionibus* ex parte nostrâ *implendis* salutem spondet. 1. Invenies *Dominum si* in toto corde quæsieris eum, Deut.4. 2. *Si* impius pœnitentiam ageret ab omnibus peccatis, vita *vivet*, Ezech.18. 3. Vos amici mei eritis, *si feceritis* quæ ego præcipio vobis, Jo.13. At *constare* non potest *nobis*, nos *conditiones* illas observasse.

Sol. Ista sunt documenta *conversationis*, non *fundamenta* certitudinis. 2. sufficit si *sincerè* pergamus sine *hypocrisi*, Deus

us propter *Christum* providebit, ne inanis sit noster *conatus* in Domino.

*Ob.*4. Post peractam pœnitentiam *anceps* manet *remissio*, *forsitan* ignoscet Deus, Dan. 4. 24. *Quis scit* an convertatur, Joel. 2. 14. Rogá Deum *si forte* remittatur tibi cogitatio cordis tui, Act. 8. 22.

Sol. *Incertitudinem* agnoscimùs ex *intuitu nostræ dispositionis* & fragilitatis, *firmitatem* tamen habemus ex *parte* Dei.

*Ob.*5. Ulteriùs confidentia hæc ex *parte* Dei labefactatur. Beatus est homo qui semper est *pavidus*, Prov. 28. 14. Cum timore & *tremore* salutem vestram operamini, Phil: 2. 12. 3. In timore incolatus *vestri* tempore conversamini, 1. Pet. 1. 17. Ergo *nil certi* hac ex parte statuendum.

Sol. Ista inculcant tantum *sollicitudinem* de *mediis*, per quæ ad *finem* pervenitur, non de fine *hæsitantium*, quæ Dei nititur *adjutorio*, unde timor iste *sollicitudinis* non opponitur *fiduciæ* in Christi promissis, sed *præsumptioni carnali* de *viribus* & integritate *propriis*.

*Ob.*6. Non extat *particularis certioratio* in scripturis, tibi *Petre*, vel *Paule* remittuntur *peccata tua*, nec in ullo *Symbolo* habetur de salutis *certitudine articulus*, Ergo non est admittendus.

Sol. Sufficit ex *generali promissione*, conscientiam vivâ fide suffultam *subsumere*, *ego credo* & promissis in Christum *innitor*, quod in articulo de peccatorum remissione in *symbolo Apostolico* comprehenditur.

*Ob.*7. Securitatem *carnalem*, *præsumptionem* & *jactantiam* Pharisaicam fovet hæc *doctrina*, ut testantur, *Aug.* de corruptione & Gratia, c. 13. Greg. Moral. l. 9. c. 17. Ergo non prædicanda.

Sol. Hoc fieri solet in *hypocritis*, qui nituntur *propriis viribus*, non in verè *fidelibus*, qui totum Deo referunt, *Aug.* Enchirid: c. 30.

QUÆS-

QVÆSTIO. VII.

An Gratia sufficiens ad salutem concedatur omnibus? Neg.

QVIA.

1. GRatia *Salutifera* non extenditur ultra *decretum*: Sed non decrevit *Deus* omnes salvare, sic enim *nulli* condemnarentur.

2. Tum omnes *vocarentur* externè & internè, & *æquales* motus Spiritus Sancti sortirentur, aliter perveniremus ad *finem* absq; medijs: Sed plurimi sunt qui de *Christo* nunquam audiverunt, & ex *audientibus* multi *vocati*, pauci *electi*: Ergo non sufficiens ad *salutem* illis confertur gratia.

3. Vobis datum est nosse *mysteria* regni Cœlorum, illis autem non est *datum*, Mat. 13. 11. ut impleretur in illis prophetia *Isaiæ*, auditu audietis & non *intelligetis*, & videntes *videbitis* & non percipietis, Ib. 14. ex Isa. 6. 9. unde illud, Quare *errare* nos fecisti, *Domine*, de vjis tuis, induraſti *cor nostrum*, ne timeremus te, *Isa.* 63. 17.

4. Hæc immobilis veritas *Prædestinationis* & gratiæ non alios, sed quos *prædestinavit*, ipsos & *vocavit*, nec *alios* sed *quos* ita *vocavit*, ipsos & *justificavit*, nec *alios* sed quos *prædestinavit*, vocavit, justificavit, *ipsos* & glorificavit, Rom. 8. illo utiq; *fine*, qui non habet *finem*. Auguſt. de prædestinatione Sanctorum c. 17. unde de *Tyriis* & *Sydoniis* speciatim pronuntiat, quoniam *ut crederent* non erat illis *datum*, etiam *unde crederent* est negatum. Idem de bono perseverantiæ c. 13.

5. Gratia *Salutifera* ad eos tantùm extenditur, pro quibus

bus *Christus* oravit: At *Salvator* profitetur, non pro *mundo* rogo, sed pro his quos dedisti mihi, Jo. 17. Ergo

6. Si *sufficiens* gratia sit omnibus concessa, Ergo esset *efficiens*, & omnes salvarentur, quia *sufficiens* gratia *omnia* tolleret conversionis *obstacula*, ut in *Paulo*, sufficit tibi *gratia mea*, aliter non esset *sufficiens*; Sed gratia non tollit in *pereuntibus* omnia obstacula, Ergo non *sufficiens* gratia omnibus conceditur.

7. Si Gratia ista *supernaturalis* esset *universalis*, tum *naturalis* esset, ut *dictamen* Conscientiæ, & salutis *studium*, quo omnes appetunt bonum, quod omnibus *Nationibus* competeret: Sed gratia à *natura* semper est disterminanda, sumus *naturâ filji iræ*, *Gratiâ filji Dei*, Ephes. 2. & maxima pars *gentium* de Christo *Redemptore* non audiverunt, vel in Christi *prædicationem* non credunt; Ergo *gratia* ista *salutaris* nunquam ipsis illuxerit.

Objectiones.

Ob. 1. NIHIL *omissum* est à Deo, quod conduceret ad *omnium* salutem, ut constat ex scopo *parabolæ*, Quid est quod ultra debui facere *vineæ meæ* & non *feci*, ex Isaia. 5. Ergo grâtia *sufficiens* est omnibus collata.

Sol. Restringitur hæc gratia tantum *vineæ*, quæ est *Ecclesia*, non ijs qui sunt *extra vineam*. Deus addebat quotidie *Ecclesiæ*, qui salvi fierent, Act. 2. ultimo, 2. præstitit quod præstandum erat à *plantante*, & *externè* muniente, non ab *internè* gratiam conferente, 3. perditio tua ex te O *Israel*.

Ob. 2. Vivo, Ego nolo *mortem* peccatoris, sed ut convertatur & *vivat*, Ergo confert media *sufficientia* ut viveret.

Sol. Textus habet, non *delector* morte Impii. 2. multa tamē fieri permisit Deus, quæ non *probat*, & potest impedire, 3. non defectus est ex *parte mediorum*, sed *hominum* qui propriâ culpâ se privarunt *mediorum* sufficientium *beneficio*.

Ob. 3.

Ob. 3. Deus vult omnes homines *salvos fieri*, 1. Tim. 2. 4. sed sufficienter *promovet*, quod *vult*, nam *quicquid voluit fecit*. Ps. 115. 3.

Sol. Vult *voluntate*, quâ invitat *omnes publicè*, ad *salutem* per verbi *præconium* positum in *medio*, non voluntatis *actu*, quo efficit, tollens omne *impedimentum*, ut veniant. 2. unde vult *salvos fieri*, non *salvos facere*, 3. omnes *homines* non *Judæos* solùm sed *gentes*, cujusvis sortis, *Reges*, *Subditos*, non *singula* generum *collectivè*, sed *genera* singulorum *distributivè*.

Ob. 4. Eo fine venit *filius* hominis, ut *salvaret* quod *perierat*, sed omnes *perierunt*, & concluſi erant sub peccato, ut omnium misereatur. Rom. 11. 32.

Sol. Textus habet, venit Christus ut salvaret (non *omne* sed) *Id quod* perierat, hoc est *tale*, non *totum*, 2. Salvati autem *incluſi* erant sub *peccato* cum *reprobis*, ut constaret ipsorum *salus*, non ex *proprio* nixu, sed Dei in Christo *misericordia*.

Ob. 5. Sicut per unius delictum peccatum venit in *omnes homines* ad condemnationem, sic per unius *Juſtitiam beneficium* redundavit in *omnes* ad Juſtificationem. Rom. 5. 12.

Sol. Non confert Apoſtolus *Delictum* & *Reſtitutionem* quoad *extenſionem*, sed quoad *originem*, sic ut per *Adamum* intravit *delictum*, ita non niſi per *Chriſtum* subsequuta est *reſtitutio*, non autem *omnibus*, sed ut sequitur ver. 19. *Multis*, nimirum illi à patre datis, Jo. 17. 2.

Ob. 6. Omne *fœdus* supponit *fœderatorum* sufficientiam, aliter Deus ageret cum *ſuis* ut *Pharao* cum *Iſraelitis*, subduceret stipulam, et penſum nihilominus exigeret. At *fœdus* initum sub *Evangelio* scribit legem in *cordibus*, Heb. 8. 10. Ergo confert *gratiam* sufficientem.

Sol. Scribit legem in cordibus *fœderatorum*, sed omnes non sunt *tales*, scilicet qui sunt *extorres* à fœdere, & Chriſtiani *hypocritæ*. Novit autem *Dominus* tantùm quos *diſcrevit*, & qui sunt sui. 1. Tim. 2. 19.

Ob. 7. Mandata & *promiſſiones* sunt *generales*, Ergo & *fœdus*, aliter *invitatio* per verbum sinè *diſcrimine* esset *illuſoria*,

quæ non *capacibus* proponeretur, ac si *surdo* & *cæco* diceretur, *audi* & *vide*.

Sol. Deus cùm efficacitèr tantùm trahit electos, non *eludit* vel *excludit alios* magis, quam cœcos privat *lucis* solatio, quæ publicè omnibus impertitur. 2. Aliud autem est non *sanare* propriâ culpâ lethalitèr *vulneratum*, Aliud *præcipitare*, & *perdere*. *posterius* non facit Deus, *prius* non tenetur præstare. 3. Nihilominus nemo tam deploratæ est *salutis*, quin ex *medijs* à Deo *propositis* fiat *melior*, unde si non consequatur *salutem*, minuatur *damnationis* pœna, quod non est *eludere*, sed cum *Justitia misericordiam* indebitam miscere.

CAP.

CAP. SEXTUM.

DE SACRAMENTIS.

MEDIATIONEM obsignant SACRAMENTA, quæ *signa* sunt & *Sigilla gratiæ collatæ*, & *fælicitatis* expectandæ.

De quibus quæritur.

An.
1. *Sacramenta conferant gratiam ex opere operato?*
2. *Duo tantùm sint Novi Testamenti Sacramenta?*
3. *Baptismus ad salutem sit necessarius?*
4. *Pædobaptismus sit probandus?*
5. *Detur Transubstantiatio?*
6. *Missæ Sacrificium sit Idololatricum?*
7. *Matrimonium Legitimum sit dissolubile quoad vinculum?*

QUÆST. I.

An Sacramenta conferant Gratiam ex opere operato? Neg.

QUIA.

1. SIgna & *sigilla* nil in se continent, vel conferunt, sed *gratiam* jam fortè *collatam*, vel etiam posteà *conferendam* tantùm *significant* & *obsignant*: Talia autem sunt tantùm *Sacramenta*, ut patet ex *Gen.* 17. collato cum 4to *cap.* ad *Roman.*

2. *Abraham* pater Credentium, *Eunuchus* & *Cornelius* priùs salutarem *gratiam* receperunt, & crediderunt, quàm *Sacramentorum* aliquo *opere operato* fuerunt initiati, ut patet Gen. 15. 6. Rom. 4. 10. 11. Act. 10. 2. Ergo *Sacramenta* supervenientia hanc illis gratiam obsignarunt *tantùm*, non contulerunt.

3. Nulli *adulti* ad Sacramenta sunt admittendi, sine prævia fidei *professione* pro captu & modulo. Mat. 28. 19. 20. Mar. 16. 16. Act. 2. & 8. 37. Ergo hoc non expectandum ex *insequente* Sacramentorum *opere* operato.

4. Nuda elementa debitum non possunt esse *subjectum* supernaturalis *gratiæ*, seu vehicula ad *Animæ* sordes eluendas, ut nec Dei *verbum*, nisi credatur, nec ipsa Chtisti *caro*, nisi *fide* manducetur, quicquam prosint. nemo venit ad me nisi *Pater* illum *traxerit*, *Aqua cor* abluit, faciente id *verbo*, non quia *dicitur*, sed quia *creditur*, *August.* in *Jo. Tract.* 80. Ergo nudum *opus* operatum est *frustraneum*.

5. *Sacramenta damnationem* promovent indignè recipientium, ut *Simonis Magi*, Act. 8. & eorum qui sine *examine* susq

susq; deq; habent, quid recipiunt, 1. Cor. 11. 29. Ergo *opus operatum* gratiam in quibusdam *eliminet* potiùs, quàm confert.

6. Tum penes esset *Sacerdotem* pro libitu, *gratiam* divinam cuilibet se pro more præsentanti impertire: Sed hoc S. S. est *opus* peculiare, aliter Deus se alligaret signis externis.

7. Tùm gratia hæc confertur vel ex *opere operato* Dei, vel *opere operato* conferentis Ministri, vel *opere operato* fidelis, qui recipit: Sed gratia hæc confertur tantùm à Deo *efficaciter* in corde credentis *operante*, Ergo non hoc tribuendum *operi operato* Administrantis, siquidem foris *Sacramenta* percipimus, ut intus S. *Sancti gratiâ* repleamur. Greg. in 1. Reg. l. 6. c. 3. unde *Lombardus*, Homo non *quærit salutem* à *Sacramentis*, quasi *ab iis*, sed per *illa* à *Deo*, non ex *Sacramentis*, sed in illis, id est, in illorum *usu*. *Hugo*, ita *Scotus*, *Durandus*, *Biel*, de *Orbellis* in 4. *Sent. Dist.* 1.

Objiciunt.

Ob. 1. QVod *adumbratum* in U. T. *præstitum* erat in N. sed *Diluvium* servavit Arcam, Gen. 7. *Circumcisio* carnem verè *abscindebat*, Gen. 17. Coloss. 2. 11. *Mare* rubrum verè servavit *Israel*, *Exod.* 14. *Manna* & aqua ex *petra* verè reficiebant corpora, *Exod.* 16. 17. *aqua lustralis* Sanctificabat, *Numer.* 19. 12. ex *opere operato*: Ergo multò magis hoc præstant *Novi Testamenti* Sacramenta.

Sol. Symbola fuerunt *gratiæ collatæ*, non *Causæ* conferentes.

Ob. 2. Plus præstiterunt *Sacramenta* N. T. quam U. Illa autem erant *sigilla*, gratiam collatam *obsignantia*, Ergo Sacramenta N. T. *gratiam* conferunt.

Sol. Eadem erat Sacramentorum utriusq; Testamenti *efficacia*, non ex *opere operato* administrantis, & recipientis *habitudine*, sed ex conferentis *benignitate*.

Ob. 3.

Ob. 3. Character imprimitur ex *opere operato* imprimentis: Sed quædam *Sacramenta*, *Baptismus*, *Confirmatio* & *Ordo*, *Characterem* indelebilem imprimunt. *Ezech.* 9. *Apoc.* 7. *Isa.* 66.19. unde signati dicimur, *Ephes.* 1.13.

Sol. Confirmatio & *Ordo*, *ordinis* sunt & *Disciplinæ* Ecclesiasticæ *Ordinationes*, non *propriè* Sacramenta. 2. nec *signa* ista apud *Prophetas* & *Apocalypsin*, *Baptismum* certo adumbrabant, nec erant gratiæ *collativa*, sed collatæ *significativa*. Quomodo, inquit *Augustinus*, *Moses* sanctificat & *Dominus*? *Moses* visibilibus Sacramentis per *Ministerium* suum, Dominus invisibili gratia per S. S. in Levit. q. 84. unde postquàm credidistis (inquit Apostolus) obsignati estis spiritu illo promissionis Sancto, Ephes. 1.13.

Ob. 4. In *Christi Baptismo* plus confertur, quam in *Baptismo Johannis*: Sed *Johannis* Baptisma externum signum contulit ex *opere operato*, Ego baptizo vos *aquâ*, Ergo Christi *baptismus* ex *opere operato* confert gratiam, Ille baptizabit vos S. S. & *igne*, Math. 3.11.

Sol. Idem erat *Baptismus Johannis* & *Christi* quoad *Substantiam*, licèt non quoad omnes *Circumstantias*. 2. In utrisq; autem *gratia*, non ab *opere operato* externo, sed à S. S. interno *concursu* exhibetur.

Ob. 5. Conferunt *Sacramenta*, quod promittitur, Quotquot *baptizati* estis *Christum induistis*, Gal. 3. 27. Surge & *baptizare* & *ablue* peccata tua. Act. 22. 16. Ergo ex *opere operato* ista perficiuntur.

Sol. Perficiuntur ex opere operato *interno* S. S. non *externo Ministri* conferentis. Conferant quidèm aliquid *objectivè*, fidem excitando ad amplectendam *gratiam*, non *effectivè*, *qualitatem* aliquam de novo *producendo*, vel *educendo*, vel imprimendo, ut fit per *motionem* in *projectis*.

Ob. 6. Vel Sacramenta conferunt gratiam ex *opere operato Administrantis*, & *recipientis*, vel aliquo *alio* modo, vel *nullo* modo si nullo, nisi excitando tantũ *fidem*, non plus præstant, quã *picturæ* vel *visibiles* Creaturæ, si aliquo *alio* modo, tum *gratia* ipsis erit vel *effectus*, vel *consequens*, vel *correlatum*, si *consequens*,

vel

vel *correlatum*, tum vel *necessarium*, vel *contingens*, si *necessarium*, tum omnes recipientes *sacramenta*, *rem* Sacramenti reciperent, quod non concedatur; si *contingens*, tum obsignarent illud quod non constat esse *scriptum*, Ergo gratia sequitur, ut *certus effectus* operis operati.

Sol. Conferri dicatur *gratia* vel *opere operato administrantis*, vel *operâ* recipientis *fidelis*, vel *operatione* S.S. spirantis, prout vult. Ultimo modo dicimus *gratiam* conferri *effectivè* & *causaliter*, aliis tantum *instrumentaliter* & *Pactionaliter*, quod *picturis* & *creaturis* non competit.

Ob.7. Ejusdem sunt efficaciæ *Baptismus* & *Eucharistia*: sed Baptizati certo certiùs *salutem* consequuntur, in aqua sanctificata, ut *Jordan* per salvatoris baptismum, ut habetur *in Liturgia Anglicana* de *Baptismo*, & sunt *signa efficacia* gratiæ, per quæ *Deus* in nos operatur, Ergo istis rectè *administratis* gratia ex *pacto* consequitur.

Sol. Conceditur *effectum* comitari opus operatum, sed non ab *opere operato* effici, verùm ab illius *gratia* liberrima, qui operatur omnia salutaria in *omnibus*, prout ipsi complacuit.

QVÆSTIO. II.

An duo tantum sint N. Testamenti Sacramenta? Aff.

1. SAcramentum est *visibile signum invisibilis gratiæ*, à Christo *institutum* ad fidem *obsignandam*, *augendam*, & *communionem* in Christo *testificandam*: sed hęc competunt tantùm *Baptismo* & *cœnæ Domini*, Ergo ista *duo* tantùm sunt N.T. Sacramenta.

2. Occurrunt tantùm in N.T. institutio *Baptismi*, Bap-

tizati *omnes in nomine Patris*,& *Filii*,& *Spiritus sancti*,Mat.28. & *cœnæ Dominicæ*. Hoc facite in meam commemorationem,1.Cor.11.24.,Ergo duo hæc Sacramenta sunt solummodò admittenda,ut à Christo *instituta*.

3. Sacramenta N. T. sunt V. T. Sacramentis *Analoga*, ut sit *Sacramentum Initiationis* & *progressus:* sed talia fuerunt in V.T. tantùm duo, *Circumcisio* & *Agnus Paschalis*, Ergo sunt duo tantùm his *analoga* in N. T. *Baptismus* & *Cœna Domini*.

4. Apostolus *symbola* sacramentalia V.T. nobis accommodans,hæc duo tantùm designavit, nempe *Baptismum* & *Cœnam Domini*,1.Cor.10.2.3. conf. Col. 2.11.12. 1.Cor. 5.7.

5. Patres ex *latere Christi* hæc duo *tantum* eliciunt,in *aqua* & *sanguine* mysticè erumpentia, *Jo.*19 34. & 1.*Jo.*5.8.quæ *Ecclesia primitiva* frequentavit,Act.2.38.& 42.

6. *Pœnitentia*,*Ordo*,*Confirmatio*,*Matrimonium*, & *Unctio extrema* institutione *Sacramentali* destituuntur, & *laxa* tantum *significatione* pro sacramentis à Romanensibus plurimis habētur,quod agnoscit à *sanct.clara* ad *Art.confess.Anglican.*25.

7. Tot sunt N.T. *Sacramenta*, quot sunt nostræ *communionis* cum Christo *tesseræ*,& quot usurpavit & sanctificavit in *seipso*. At duæ tantùm sunt tales *tesseræ*,quia omnes in unum corpus *Baptizati* sumus,& omnes unâ potione potati, sumus, 1.Cor.12.13. & ut *circumcisionem* sanctificavit & *Pascha*,ita Baptismum tantū suscepit,Mat.3.16. & *Cœnam* Domini saltèm *præcepit* ab omnibus percipiendam. Ib.26.26.

Objiciunt,Bellarm. l 2. de effectu Sacramentorum, c.25. & alii.

*Ob.*1. TOT sunt N. T. *Sacramenta*,quot sunt vitæ spiritualis *adminicula*: sed *septem* sunt talia remedia

remedia, nempe *Regeneratio* per *Baptismum*; *Augmentatio* per *confirmationem*; *nutritio* per *Eucharistiam*; peccatorum *incidentium* purgamen per *Pœnitentiam*; *Reliquiarum* peccatorum per *extremam Unctionem*; Matrimonium ad *propagationem* illorum, qui *cultui* Divino deputantur, *Ordo* ad illos gubernandos, Ergo *septem* dantur Sacramenta.

Sol. Omnia ista *Remedia* non sunt *sacramentalia*, quædam sunt tantùm *disciplinaria*. 2. in 5. Sacramentis *controversis* deest salvatoris *institutio*, quæ sacramentis propriè dictis necessariò competit. 3. Sacramentorum *remedia omnibus* fidelibus conveniunt: sed *Clerici* & *Monachi* excluduntur à *Matrimonio*, *Fœminæ* ab *Ordinibus*, & *extrema unctio*, si tolleret omnium peccatorum *reliquias*, nihil relinqueret in *Purgatorio* expiandum.

Ob. 2. Numerus sacramentorum est ex *numero peccatorum* & *virtutum* æstimandus; sed inter peccata, *Baptismus* valet contra peccatum *originale*; *Pœnitentia* contra *actuale mortale*, *Unctio* extrema contra *reliquias* peccatorum, *confirmatio* contra *infirmitatem*, *Eucharistia* contra *malitiam*, *Matrimonium* contra *concupiscentiam*, ordo contra *ignorantiam*; ut in censu virtutum, *Baptismus* respondet *fidei*, confirmatio *spei*, Eucharistia *charitati*, Pœnitentia *justitiæ*, Unctio extrema *fortitudini*, ordo *prudentiæ* & Matrimonium *temperantiæ*, Ergo

Sol. Atqui nullum ex 5 *controversis* occurrit *ambitioni papali*, vel fidem promovet ad *justificationem*. 2. nec *vitia* & *virtutes* septenario numero comprehendantur. 3. Nec *ordo* doctos facit, nec *cælibatus* monachos & *sacerdotes* esse *castos*, unde hæc *omnia* sunt *gratis* dicta, & parùm *congruæ congruentiæ*.

Ob. 3. Celebris in sacris est *numerus septenarius*, præsertim in *expiationibus*, Exod. 19. ubi *septem* semper videbis offerri, *septem animalia*, *septem* diebus, *septies* aspergi sanguinem. Naaman *septies* jussus est lavari ad purgandam lepram vid. *Aquin.* in 4. Sent. Dist. 2. q. 1. & 3. parte q. 61. art. 1. & contra *gentes*, l. 4. c. 58.

Sol. Addere potuit *Bellarminus* ex Apocalypsi *septem* tu-

bas, turbarum *septem* iræ divinæ phyalas, *septem* bestiæ capita quæ æquè hunc *septenarium* sacramentorum numerum concludunt.

*Ob.*4. Definitio sacramenti & *requisita* hisce omnibus competunt, nec *pluribus* nec *paucioribus*, ut speciatim ostendere nititur *Bellarminus* de effect. sacrament. l.2.c.24. ubi singulare illud de extrema *Unctione*, S. *Malachiam* suis precibus revocasse *fœminam* quandam ex mortuis, ut *eam* ante neglectam inungeret; Unde *statim* convaluit, Ergo extrema saltem hæc unctio pro *sacramento* est admittenda.

Sol. *Postulat* Cardinalis ista, quæ non possunt *probari*. 2. suspecta est de *Malachia* narratio. 3. & si esset *vera*, non stabiliret *septenarium* sacramentorum numerum.

*Ob.*5. Tot sunt sacramenta, quot sunt novi fœderis *sigilla*: sed *septem* tantùm talia occurrunt, Apoc. 5. 1. nam non alios *libros* Deus exhibet, aut *scriptura* aperit, quam SCRIPTURÆ, Greg. dialog. l. 4 c. 42.

Sol. Ex symbolis nil certi concluditur. 2. Liber iste videtur esse *præscientiæ* divinæ, quem *Agnus* aperit Ecclesiæ. 3. nec constat *Dialogistam* illum esse *Magnum* illum *Gregorium*, sed aliquem *magno* illo minorem.

*Ob.*6. Matrimonium (quòd minimè videtur) est *sacramentum*, quia hoc testatur *Apostolus*, Ephes. 5. 32. 2. habet *promissum*, 1. Tim. 2. 15. 3. est *remedium* contra peccatum, 1. Cor. 7. 2.

Sol. Appellat ibidem Apostolus *conjunctionem* Christi cum *Ecclesia* magnum *mysterium*, non *Matrimonium*. 2. nec *Mysterium* & *sacramentum* idem sonant, nisi *mysterium Bestiæ* inter *sacramenta* habeamus, Apoc. 17. 7. 3. Matrimonia inter *Turcas* etiam, & *Ethnicos* celebrantur, quibus *sacramenta* non competunt.

*Ob.*7. Astruunt præcisè hunc *septenarium* sacramentorum numerum *Scholastici*, ad 4. sent. dist. 2. collectum ex *antiquioribus*, quem confirmarunt concilium *Florentinum* in institutione *Armenorum*, & *Tridentinum* S. 7. sub Anathemate.

Sol. Ex Antquis nil certò colligitur, nec urgent ista

Scholastici

Scholastici ut fidei *dogma*, sed vt scholæ *receptius placitum*, quòd à Magistro sententiarum *Petro Lombardo* primò receperunt, 4. Sent. 2. quin & fatetur *Bellarminus duò* tantum poni *Sacramenta*, ex *latere* Christi profluentia, *Græcis* fere omnibus, ut magis communia, & magis principalia. de effect. Sacram. l. 2. c. 27. 3. Institutio *Armenorum* post finitum Concilium *Florentinum* cœpit *initium*, non ergo illius nititur *authoritate*. Anathema autem Concilii *Tridentini*, tum apud *oculatos* & *Cordatos* obtinebit, cum persuaserit *Bellarminus fidem* christianam, & omnium conciliorum veterum & omnium dogmatum firmitatem à præsentis Ecclesiæ *authoritate* pendere, quod adjicit de *effect. Sacrament.* l. 2. c. 25.

QVÆSTIO. III.

An Baptismus ad salutem sit absolutè necessarius? Aff. Romanenses, Ideoq; Infantibus sine Baptismo morientibus, Lymbum puerorum destinarunt. Orthodoxi verò mitiùs cum illis agunt, qui aliorum culpâ, præveniente morte, sine proprio contemptu aut neglectu, de facto non baptizantur, unde rigidam non pre-

mant talem neceſſitatem, his nixi fundamentis.

QUIA.

1. QUI ſunt ſub *fœdere gratiæ* poſſint ſalutem conſequi, modò *Sigilli* abſit ex ipſorum parte *contemptus*, aut *neglectus*: Sed talis eſt conditio *Infantium* (& poteſt eſſe aliorum) *morientium* abſq; *Baptiſmo*. Gen. 17.7. Ero *Deus* tuus & *ſemnis* tui, vobis eſt *repromiſſio* & *filiis* veſtris, *Act.* 2.39.

2. Qui *Sancti* ſunt ex *Nativitate*, ij à *ſalute* non excluduntur: Sed tales ſunt *fidelium* liberi, 1. Cor. 7.14.

3. Circumciſionis *defectus* non damnabat Judæos, aliter per *annos* 40. non *circumciſi* Judæi eſſent *Orco* addicendi: Sed hoc nullus dixerit, Ergo nec de *morientibus* ante *Baptiſmum* aliter eſt pronuntiandum.

4. Non magis præcisè præcipitur *Baptiſmus*, quam *Euchariſtiæ perceptio*, Niſi manducaveritis *carnem* filji *hominis*, & biberitis *ſanguinem*, non habebitis *vitam* in vobis, Jo. 6.53. at cenſetur *Auguſtinus* (durus *pater infantum*) urgendo infantibus Euchariſtiæ *neceſſitatem*.

5. Non dubitatur de ſalute Credentis *Latronis* in *Cruce*: Sed illum fuiſſe *Baptizatum* nullus dixerit.

6. *Ambroſius* non dubitat, *Valentinianum* ſalvatum prædicare, licet *non Baptizatus* objerit, & *Baptiſmum* flaminis ſuccurrere *infantibus*, ubi deeſt iſte *fluminis*, docet *Aquin.* 3. part. q. 68. art. 2. nec negat *Bellar.* de Baptiſmo l. 1. c. 6.

7. *Baptizantur* propriè *homines*, quia pro filiis Dei habentur, non ut incipiant eſſe *filji*, alioquin filji *infidelium* æquè poſtularentur ad *Baptiſmuni* ac filji *fidelium*, & Deus ſe non alligavit *ſignis*, ſed nos eatenùs quatenus poſſimus illis uti *tenemur*. Non *defectus* igitur, ſed *contemptus* Baptiſmi damnat, præceptum Dei habentes inſuper, unde *fideles* non debent de

de suis *infantibus* absq; *Baptismo* morientibus contristari, sicut Ethnici, qui *spem* non habent. 1. Thess. 4. 13. Interim tamen illis incumbit id solicitissimè agere, ne ob politicas nescio quas Formalitates, negligatur aut deferatur salvatoris Institutum.

Objiciunt Romanenses.

Ob. 1. Nisi quis *renatus* fuerit ex *aqua* & *spiritu*, non *potest* intrare *Regnum Dei*. Jo. 3.3.

Sol. Non loquitur Ibidem *salvator* de *Baptismo*, qui tunc temporis non erat *institutus*, neq; *Nicodemo* tunc temporis erat conveniens, sed de *Regeneratione* per *spiritum*, intùs *animam* (ut aqua corpus extimè) *purgantem*.

2. Eadem est *Baptismi* & *Circumcisionis* ratio: Sed non *circumcisus* excindendus erat à *Dei populo*, Gen. 17.14. Ergo non *Baptizatus* perit necessariò.

Sol. Sic non Baptisatus, ob *contemptum proprium* aut *neglectum* damnatur, non ob *defectum* Baptismi simpliciter, sine sua culpa. 2. Nec addicendi fuerunt *morientes* ante octavum diem, *pœnis infernalibus* Infantes Judæorum, nec inter illos *fœminæ*. 3. Unde *necessitas* utrobiq; incumbit *præcepti*, non *medii*.

Ob. 3. Filji iræ certò sunt *damnandi*: Sed omnes nascuntur per peccatum *originale* Iræ filji, Ephes. 2. 3. Ergo omnes sunt condemnandi, quibus non applicatur constitutum à Deo *remedium*, quod est Baptismus.

Sol. Baptismus est *unum remedium*, non *unicum*, externum non internum, cujus *defectum* supplet in *Electis* Dei *misericordia*.

Ob. 4. Non indutus *veste nuptiali* tenebris exterioribus est adjudicandus. Math. 22.13. Sed vestis ista refert *Baptismum*: Ergo qui hoc destituuntur, æternum pereunt.

Sol. Ex *parabola* nil certò sequitur, nisi ex scopo. Vestis *nuptialis*

nuptialis defectus notat potius *irreverentiam*, qua contemptim usus est vocatus ad *cœnam*. Baptismum verò *negligentium*, aut *contemnentium*, aut *irreverenter* habentium nemo *causam* dicet.

Ob. 5. Non signati Domini *sigillo* prorsus pereunt, *Ezech* 9. 10. & Apoc. 7. Sed *Baptismus* est illud Domini *sigillum*, Ergo qui *hoc* destituuntur, pereunt.

Sol. Ex incertis talibus præmissis nil infertur. 2. Sigillum illud ab Angelis imprimendum, Baptismum esse vel referre, quis somniaverit?

Ob. 6. In confesso est Baptismum esse *necessarium* necessitate *præcepti*, Ergo & *Medii*, quia *præceptum* urget ut *medium*.

Sol. Urget ut *medium*, non *simpliciter*. Sed ubi *haberi potest*, & *illos* qui *præcepti* sunt capaces, non *omnes* sine discrimine.

Ob. 7. *Patres* docuerunt, & semper *Ecclesia* credidit, Infantes *perire*, si absq; *Baptismo* ex hac vita recedunt. *August. Epist.* 90. & 92. cum *pluribus aliis* apud *Bellar.* de Baptismo l. 1. c. 4. Ergo non rejiciendum est hoc dogma *Catholicum*.

Sol. In re non satis *discussa* id agebant *Patres*, ut illud vehementiùs *urgerent* quod excitaret, *populum* ad Sacramenti *reverentiam*, & præcepti *strictissimam observationem*, quo nos probamus, 2. In excessu verò perstringitur, S. *Augustinus*, tanquam *Durus pater Infantum*, qui cum *Papa Innocentio* & *aliis* nonnullis istius sœculi, eandem prædicabant *Eucharistiæ necessitatem*, quod hodie apud *Romanenses* non obtinet.

QVÆSTIO.

QUÆSTIO. IV.

An Pædobaptismus sit probandus? Aff.

QUIA.

1. CIrcumcisi fuerunt *Infantes Judæorum*, Gen. 17. At *Baptismus* successit *circumcisioni*, ut novi fœderis *initiatorium sigillum*, Coloss. 2. 11. 12. Ergo ad Infantes pertinet.

2. Mandatum de Baptismo est *Universale*, Baptizate omnes gentes. Mat. 28. 9. Ergo comprehendit sub se *Infantes*.

3. Fœdus novum ad *illos* pertinet, Ergo & fœderis *sigillum*, vobis est *Repromissio* & *filiis* vestris, Act. 2. 39.

4. Apostoli Baptizarunt *integras familias*, Act. 16. 15. 33. 1. Cor. 1. 16. Atqui in his proculdubio fuerunt nonnulli *Infantes*; ut in *mari rubro* & sub *nube typicè* Baptizati fuerunt Infantes *Judæorum* cum *adultis*, 1. Cor. 10. 2.

5. Christus ad se invitat *Infantes*, & ipsis *benedicit*, Mat. 19. 14. 15. Ergo *Baptismi* sunt capaces æquè ac *Benedictionis*, cum in utrisq; se habeant tantum passivè.

6. Æquè capaces sunt Infantes *hæreditatis spiritualis* ac *temporariæ*: Sed hæreditas temporaria ipsis jure confertur, ubi tantùm se habent *passivè*, ut *Paulus* natus Civis *Romanus*, Act. 22. 28. & æque capaces sunt *gratiæ* ac peccati *originalis*, Ergo nil obstat quo minùs ad *Baptismum* Infantes *jus habeant*, ut isto Sacramento *Ecclesiæ incorporentur*, & Deo *consecrentur*.

7. Constans est *traditio Catholicæ Ecclesiæ*, cujus origo non ab alio fonte duci *potest*, quàm à praxi *Apostolica*, Orig. in Rom. c. 6. *August.* de peccatorum *meritis*, l. 1. c. 16. vid. *Pamel.* in Cypr. Epist. 59. Ergo nullo modo insuper habenda.

Contra Pædobaptismum pugnant Transylvani Ministri argumentis 36. apud Bellarm. de Baptismo l. 1. c. 9. quorum hæc videntur præcipua.

Ob. 1. Pædobaptismi non extat *præceptum*, aut *exemplum* in Scripturis, Ergo non est probandus.

Sol. Non extat quidem Ῥητικῶς καὶ τὸ ῥῆτον, totidem verbis, sed inde illum deduxit διανοητικῶς *continuata* Ecclesiæ *praxis*.

Ob. 2. Baptizandi sunt prius instituendi, Mat. 28. 19. quod præstari non potest *infantibus*, Ergo *Infantes* sunt Baptismi incapaces.

Sol. Loquitur Salvator de *gentibus* ab Apostolis *convertendis*, quorum *Adulti* priùs erant *instituendi*, quam Baptizandi, non de *Infantibus* Christianorum *conversorum*, qui priùs *Baptizandi* sunt, ut *instituantur*.

Ob. 3. Qui non credit non est *Baptizandus*, ut significat *Philippus Eunucho*, Act. 8. 37. Sed *Infantes* non habent *fidem*, ideoq; non *credunt*, Ergo non sunt Baptizandi.

Sol. Baptizantur Infantes, *ut credant*, non quia *actu credunt*, nam habent *fidem fœderis*, licet non *fidem fœderatorum*. In adultis requiritur fides *actualis* ut admittantur in fidelium cœtum,

cœtum, *Infantibus* sufficit, si sint fidelium *liberi*, à quibus ab *Infantia* Deo *dicantur*.

Ob. 4. *Pœnitentiam* agite & *Baptizetur* unusquisq; vestrum, Act. 2.38.

Sol. Alloquitur Apostolus *adultos*, non *Infantes*.

Ob. 5. Baptismus est *stipulatio* bonæ conscientiæ. 1. Pet. 3.21. At *hanc* præstare non possunt *Infantes*, Ergo *Baptismus* illis non competat.

Sol. Stipulatio ista non est ipse *Baptismus*, sed ipsius *effectus*, qui præstatur à *fide-jussoribus*, donec adultus infans *fidem* ipsorum liberet.

Ob. 6. Omnes Infantes sunt *Electi* vel *Reprobi*: Electi Baptismo *non indigent*, Reprobis *Baptismus* nil *prodest*, Ergo nulli sunt *Baptizandi*.

Sol. Prædestinatio Divina *nobis occulta*, non est actionum nostrarum *norma*, sed *voluntas* in verbo *revelata*.

Ob. 7. Ubi nil definitur ex *præcepto*, exemplaria in agendis proposita ab *Ecclesia* sunt *sequenda*: Sed de tempore suscipiendi *Baptismum* nil *definitur*, Ergo optimum *exemplar* est tenendum, quod est *Salvatoris*, qui ad Annum usq; 30um *Baptismum* distulit.

Sol. Exemplar *illud* ostendit, quid à *Salvatore* factum in *Inauguratione* ad Ministerium, non quid à nobis *faciendum*, ut *nosmetipsos* & *nostros* ipsius obsequio *consecremus*. 2. Quod *tempus* ipsius *Circumcisionis* in Infantia potius respicit.

QUÆSTIO. V.

An detur Transubstantiatio? Neg.

QUIA.

1. DIci præsupponit *esse*, Ergo non vera esset ista propositio, *Hoc est corpus meum*, nisi esset *corpus*, *priusquam* diceretur *esse corpus*. Ergo non transubstantiatur *panis* per *verba* ista (ut loquuntur) *consecratoria*.

2. Dicit Sacerdos, non hoc est *corpus Christi*, sed hoc est *corpus meum*, Ergo si per verba ista fieret *transubstantiatio* (ut affirmat *consecrator*) transubstantiaretur panis in corpus *Sacerdotis* non in *Christi corpus*.

3. Si ex *verbis* fieret talis *transubstantiatio*, tum dicendum erat, *corpus quod vobis datur ex pane factum*, non quod *pro vobis datur* (id est) *offeretur* crastino die in *altare crucis* pro peccatis vestris & totius mundi.

4. Non *transubstantiavit* Christus in *institutione*, nec potest *Sacerdos* in consecratione. Non *prius*, quia tum transubstantiaretur panis in *corpus* Christi, vel *integrum*, aut *fractum*, non *integrum*, quia tale non pro nobis *datum*, non *fractum*, quia in cœnæ *institutione* corpus erat *integrum* postridiè *frangendum*: Non *posterius*, quia tum *Sacerdos* transubstantiaret panem in *corpus* Christi *passibile* vel *glorioſum*, non *prius*, quia *tale corpus* Christus jam non habet. Non *glorioſum*, quia tale corpus non pro nobis *datum*.

5. Data *Transubstantiatione*, ponitur corpus idem numero esse in *diversis locis* simul, quod implicat: quia tum idem *corpus* eodem prorsus *respectu* diceretur esse *hic* & *nunc*, & non

hic

hic & nunc, limitatum, & non *limitatum, finitum & infinitum,* sed tolle *spatia* corporibus (inquit *Augustinus*) & *ipsa* non erunt. Et de corpore Christi glorioso pronuntiat *Apostolus,* quod oportet illud *cœlos* capere, usq; ad tempora *restitutionis* omnium, Act. 3.21.

6. *Fides* utcunq; apprehendit plurima supra *sensum,* contra *sensum* nil determinat: Sed *sensus* gustat, *videt, tangit panem* post *consecrationem,* Ergo nulla credenda est talis *transubstantiatio.*

7. Nihil mutari potest in aliquod *individuum* actu *præexistens,* ut *Lothi* uxor non potuit *mutari* in *statuam præexistentem* sed *similem.*: At corpus Christi *præexistit,* Ergo implicat ut fieret *idem numero* corpus ex *pane,* quia tunc *esset priusquam* esset (hoc est) esset *quando* non *esset.*

Objectiones:

Ob. 1. Asserit salvator *panem* esse *corpus,* hoc est corpus meum, Mat. 26. Sed hoc verum esse non potest nisi *panis mutetur* in *corpus,* Ergo datur *transubstantiatio. propositio vera* pronuntiat uti res est, Christus dicit esse corpus suum, Ergo *est.*

Sol. Dicit, *Hoc est corpus meum,* non dicit *hic panis transubstantiatur in corpus meum.* 2. unde necesse est, ut sit *tropica loquutio.* sicut illa, *Ego sum panis,* Jo. 6.48.50.51. Unde *Augustinus,* non dubitavit *Christus corpus* dicere, cum dedit *signum* corporis sui, de Doctrina Christ. l. 3. c. 16. Unde prædicatio hæc potest dici. 1. *Metonymica,* ratione *permutationis signi & signati.* 2. vel *Metaphorica* ratione *similitudinis,* aut. 3. *Synecdochica,* quatenus ex sumptis *signis signatum* exhibetur.

Ob. 2. Ut *Caro* Christi est *cibus,* sic *panis* est *corpus:* sed caro est verè *cibus,* Jo. 6.55. Ergo panis est *verè corpus,* qnod fieri non potest *absq; transubstantiatione.*

Sol. Caro est cibus *spiritualis* non *corporalis,* & verba quæ vobis

bis loquor, *spiritus sunt* & *vita sunt*, Jo.6.63. & sic *panis* habeatur *corpus*.

*Ob.*3. Quod pro discipulis erat *traditum*, erat verum *corpus*, sed talis erat *fractus panis*, Luc.22.19. fregit *panem* & *dedit*, & de pane *fracto* & *dato* dicit, Hoc est *corpus meum*.

Sol. Talis erat non per *mutationem substantiæ*, sed *usus*. 2. dicit esse *corpus* non per panis *Metamorphosin*, sed per *institutionem*, ut qui antea erat *vulgaris*, fieret corporis traditi *Memoriale*, & beneficiorum inde emanantium *sigillum*.

*Ob.*4. Tale erat *corpus* quale erat *vinum*, sed vinum erat *sanguis* effusus, ut notat *Participium* ἐκχυνόμενον ad τὸ ποτήριον, hoc est, ad *vinum* in *calice* relatum, quod appellatur *sanguis*, Luc.22.20.

Sol. Refertur *Participium* ad αἷμα *sanguinem*, non ad *vinum*, usitato *Hebraismo*, ut sit *sensus*, Hic est calix, hoc est *continens* pro *contento* Metonymicè (quod coguntur hic *Adversarii* fateri) nempe *vinum*, obsignans *fœdus* N. T. in *sanguine meo*, qui *sanguis* pro vobis effundetur.

*Ob.*5. Tropus non est hic in *subjecto*, quod propriè est *panis*, nec in *copula*, quæ proprie *rem* designat ut se habet, nec in *prædicato*, quo & *proprie* denotatur Christi corpus, in tota autem oratione *schema* potius *designes*, quam *tropum*, qui est unius *dictionis*, Ergo propriè verba sunt *accipienda*, & tunc *verificari* non possunt absq; *transubstantiatione*.

Sol. Tropus aliquando lateat in *phrasi*, & totius sententiæ *habitudine*, hic apertius se exerat in *prædicato*, ubi *signum* signati *titulo*, propter *certitudinem rei* Metonymicè insignitur.

*Ob.*6. Propositiones *practicæ* non *supponunt*, sed *faciunt* illud, quod offerunt, ut cum dicitur fiat *lux*, dicendo illud *fit*, quod *affirmatur fieri*: sed talia sunt verba *servatoris*, non *prædicandi* sed *fiendi*, Ergo per illa *fit*, quod *dicitur*, quod fieri non potest absq; *transubstantiatione*.

Sol. Non agitur hic de *praxi chymica*, aut *Physica*, sed *Mystica* & *morali*, nec ostenditur hic, quò *transient elementa* per substantiæ *mutationem*, sed cui usui *inservirent* per *Domini institutionem* & *sanctionem*.

*Ob.*7.

Ob.7. Agnoscitur *præsentia realis*, Ergo & *corporalis*, quia de præsentia *Deitatis* non controvertitur, sed tantùm de *humana* natura, quæ præsens non potest esse nisi *corporaliter*.

Sol. Christus potest esse præsens *sacramento*, ut pars signata, quod agnoscitur. 2. vel dignè *recipientibus* per *fidem* repræsentativè, *objectivè*, vel *effectivè*, neq; hic *dissensus*. 3. vel *signis*, ut sub illis lateat, vel ut *illa* in illius *corpus* transeant, hoc contra *consubstantiatores* & *transubstantiatores* prorsus negatur.

QVÆST. VI.

An Missæ Sacrificium sit Idololatricum? Aff.

QVIA.

1. ALtare *Metonymicum* pro *Christo* substituere, atq; inde confecto relationis sophismate *Sacerdotium* & sacrificium astruere, est *figmentum* blasphemum & *Idololatricum*: sed hoc faciunt *Romanenses* in *Missa*, ut constat ex interpretatione Textus, *Heb.* 13.10. à *Bellarmino*, Aquinate aliisq; exhibita.

2. *Institutionem* salvatoris, & Apostolorum *praxin* pervertit, subvertit, & in prodigiosum *Idolum* convertit: Christus enim in cœnæ *institutione* non astat *Altari*, sed accumbit *mensæ*. 2. nec *seipsum* sacrificat, sed *panem* & *vinum* sanctificat. 3. non ut Patri *offerat*, sed ut Discipulis *distribueret*, idq; ut *acciperent*, *ederent*, & *biberent*, non ut *adorarent*, *circumgestarent*, *immolarent*. Nec Apostoli *aliud* tradiderunt, quam illud quod à *Domino* acceperunt, 1. Cor. 11.23.

3. Christus *unica oblatione* in *Cruce* consummavit in *perpetuum*

tuùm eos qui ſanctificantur, Heb. 10. 14. 2. per *æternum* Sacerdotium non admittens *ſucceſſorem*, Heb. 7. 24. 3. nec *repetitionem*, quæ argueret oblationis iſtius *imperfectionem*, ibid. 9. 25. Ubi autem eſt *remiſſio* peccatorum, ibi non eſt *amplius oblatio*, præſertim *expiatoria* pro peccatis, ib. 10. 18. Ergo *aliud* obtrudere *ſacrificium* (ut fit in *Miſſa*) eſt prorſus *Idololatricum*.

4. Cœna Domini ab ipſo inſtituta eſt *Sacramentum*, Ergo non poteſt eſſe *ſacrificium*. Sacramentum enim datur à *Deo*, & à *nobis* accipitur, ſacrificium accipitur à Deo, & à nobis *datur*. Unde terminus *à quo* in *ſacramento* eſt *Deus*, *ad quem*, *Homo*: in *ſacrificio* terminus *à quo* eſt *Homo*, *ad quem Deus*, quantum igitur diſtat *Oriens* ab *occidente*, tantum diſterminatur *ſacramentum* à Chriſto inſtitutum, à *ſacrificio Miſſæ* à *Papicolis* ſubintroducto.

5. Sacrificium *expiatorium* requirit ſanguinis *effuſionem*, aliter non fieret peccatorum *remiſſio*, Heb. 9. 22. Unde illud Offer *filium* in *holocauſtum*, notat *interfice*, Gen. 22. 2. Ergo ſi offeratur *Chriſtus* in *Miſſa*, neceſſe eſt ut toties à *Sacerdote* interficeretur, quod cogitatu eſt *tremendum*.

6. Patres *ſacrificium* tantum *Symbolicum* ratione *commemorationis*, *repræſentationis* & *applicationis ſacrificii*, ſemel in cruce peracti agnoſcunt, vel *Euchariſticum* pro tam *immenſo* accepto *Beneficio*, vel *Eleemoſinas* tunc collatas, *ſacrificii* honeſtabant *titulo*: Non *Hypoſtaticum*, quo Chriſtus ex *pane* confectus, pro *vivis* & *mortuis* Patri offeratur, ſic *ſcholaſtici*. *Magiſter*, in Sacramento *recordatio* fit illius ſacrificii, quod factum eſt *ſemel*, 4. Sent. D. 12. *Aquinas*, per hoc ſacramentum *participes* facti ſumus *Dominicæ paſſionis*, 3. part. q. 83. art. 1.

7. Sacrificium ſtatuit *viſibile*, ubi hoſtia non videtur. 2. θυσίαν ponit abſq; θύειν, *ſanguinem* fundentem incruento modo. 3. *Idem* ſtatuitur cum *Crucis* ſacrificio, ubi nec eadem *actio*, nec *paſſio*, ſed diverſæ ſunt *Circumſtantiæ loci* & *temporis*. 4. Sacerdos *creat Creatorem* tranſubſtantiatione, & 5. *mediat* Patri pro *Mediatore*, ut acceptum habeat *corpus* Filii, ſicut *ſacrificia Abelis*, & *Abrahami*, quæ deliria potius ſunt *Idololatrica* & *blaſphema*, quàm *ſobria* & *ſeria* chriſtianiſmi *placita*.

Objectiones

Objectiones.

Ob. ANtitypus debet respondere *typo*: At *Melchisedec* typus Christi sacrificavit *panem* & *vinum*, Gen. 14. 18, Ergo *Christus* sacrificavit seipsum in *cœna*; sub speciebus *panis* & *vini*, & per consequens *Missatici* tenentur secundum illum *typum*, in Evangelio *Christum* Patri sacrificare.

Sol. Historia satis indicat adductum fuisse *panem* & *vinum* à *Melchisedec*, non ad *sacrificandum*, sed ad *Abrahami* milites *reficiendos*, ut recte exponunt locum (præter *Josephum*) è Pontificiis *Cajetanus*, *Andradius*, & *Vatablus*. 2. Christus sacrificando *seipsum*, *prævenit* & *excluſit* succedanei sacrificuli operam. 3. nec in *pane* & *vino* instituit *sacrificium*, sed *sacramentum*, istius *sacrificii* semel per ipsum *oblati commemorativum applicativum* & *obsignativum*.

Ob. 2. Agnus *Paschalis* typus erat *Christi* pro nobis immolati, Exod. 12. 1. Cor. 5. 7. Sed *agnus* iste erat verè & propriè *sacrificium*.

Sol. Sic & Christus erat *verè* & *propriè* sacrificium in cruce *oblatum*, quod commemoratur, cum gratiarum actione in *Eucharistia*, non reiterandum in *Missa* per *sacrificulum*, *Filium* ex pane confectum *Patri* elevantem.

Ob. 3. Prædictum fuit *Missæ sacrificium* à *Malachia*, 1. 11. in omni loco *sacrificetur* & *offeratur* nomini meo oblatio munda. 2. & adumbratum in victima sapientiæ, ubi miscet *vinum* & ponit *mensam*, Prov. 9. 2. 3. & in *Altari* apud *Ægyptios* erigendo, Isai. 19. 29. quod sacrificium *juge* per *Antichristum* auferatur, Ergo *Antichristiani sunt*, qui illud impugnant

Sol. Sacrificia sunt vel. 1. *laudis*, quo referuntur *preces*, *Eleemosynæ*, peccatorum *conversiones* ad Deum, quæ prædicuntur & adumbrantur in *locis allatis*, vel sacrificia. 2. *fraudis* qualia in *Missa*, ut *Antichristiana* detestamur.

*Ob.*4. Probatur Missa ex consensu Patrum 318, & *Conciliorum*, Ergo non est à *filiis* sufflaminanda.

Sol. Sed non *eo sensu*, quo urgetur à *Papicolis*. Illis enim *Missa* est vel. 1. *Liturgia*. 2. vel *dimissio* catechumenorum. 3. vel *missio Eleemosynarum*, aut *oblationes* ad sacra peragenda. *Sacramento* vero, ut reverentiam concilient, *frequenter* de eo loquuntur. 1. *Hyperbolicè*. 2. semper ferè, *symbolicè*, aut *tropicè*. 3. de *sacrificio illorum* sensum exprimit *Augustinus*, *caro* & *sanguis* Christi ante *adventum*, per victimas *similitudinum* promittebatur, in *passione*, per ipsam *veritatem* reddebatur, post *ascensum*, per sacramentum *memoriæ* celebratur, contra Faustum *Manichæum*, l. 20. c. 21.

*Ob.*5. Quod Christus fecit in *cœna*, & Discipulis præcepit faciendum, illud à successoribus est continuandum: sed Christus *seipsum* in cœna *sacrificavit*, quod indicant verba *de corpore* ipsius in præsenti, *Traditur*, *Frangitur*, *Funditur*, & pro vobis *datur* in sacrificium Deo, non *vobis* datur tanquam *Sacramentum*: & Apostolis præcepit, Hoc *facite*, id est, quemadmodum *Ego feci*, me ex *pane* & *vino* confectum. ita *sacrificate*, Ergo *me facite* per transubstantiationem, & *Patri sacrificate*, & hæc est *adoratio illa*, quæ prædicitur, Jo. 4. 23. *ubivis adorabunt omnes spiritu*, & *veritate*.

Sol. Christus *seipsum* in cœna non *sacrificavit*, sic enim seipsum occidisset, sed *sacramentum* instituit, quo *sacrificium* postridie in *cruce peragendum* commemoraretur & applicaretur. 2. Neq; hæc verba, *Hoc facite*, jubent *Apostolos*, ut ipsum sacrificarent, sed ut *sacramentum* istius *sacrificii* in ipsius *memoriam* celebrarent. 3. Unde verba, pro *vobis datur* non *vobis*, denotant *sacrificium* à Christo *dandum*, posito *præsenti* pro *futuro* Hebraismo familiari; *Edite Bibite*, officium ab illis *sacramentaliter* præstandum, idq; *mysticè* in *spiritu* & *veritate*, non *Missaticè* panem *deificando* & *offerendo*.

*Ob.*6. Apostoli *Missam* celebrabant, erant λειτουργοῦντες, Act. 13. 2. hoc est, *missam celebrantes*, & *mensa* Domini confertur cum *mensa* Dæmoniorum, & *Eucharistia* cum Gentilium *sacrificiis*, quæ *spiritualia* non erant, sed *Corporalia*.

Sol.

Sol. Λειτουργοῦντες reddit *Chrysostomus* κηρύττοντες, *Syrus* & *Arabs* προσευχόμενοι, *Prædicantes, Orantes*, non *Missificantes*. Sic enim civilis *Magistratus*, qui dicitur λειτουργος esset *Sacrificulus*. 2. confertur *mensa Domini* vel *Eucharistia*, cum Gentium *mensis* & *Sacrificiis*, ad ostendendum *discrimen*, non ad astruendam *Similitudinem*.

Ob. 7. Omnis *Religio* externum *aliquod* habet *Sacrificium*, & hoc nisi sit *Christus* in Missa, erravit per aliquot secula *Christi* Ecclesia.

Sol. Error non erat hic *Ecclesiæ*, sed *Idololatricæ factionis papalis*. 2. Christianæ Religioni sufficit *Sacrificium* Christi semel *oblatum*. *Beneficentiæ* etiam & *Communionis* nolite *oblivisci*, talibus enim *hostiis* promeretur *Deus*. Heb. 13. 16.

QVÆSTIO. VI.

An Matrimonium Legitimum sit dissolubile quoad vinculum? Neg.

QVIA.

1. QUOD Deus *conjunxit*, homo non *separet*, Mat. 19. 6. At Deus in principio *Matrimonium* instituit, ut essent (non *duo*) sed *una Caro*, Ergo vinculum est insolubile.

2. Arctiùs adhærescendum est *uxori* quam *parentibus*; ib. v. 5. Sed nulla *parentum* culpa eximit *liberos* à *filiali* obedientia, ex *mandato* ipsis debita, Ergo nulla culpa *Conjugum* dissolvit *vinculum* Matrimoniale.

3. Mæchatur juxta *Christum*, qui dimissam vel propter Fornicationem ducit. Mar. 10. 11. Luc. 16. 18. Ergo facta

dimissione propter *Fornicationem*, manet cum *priori marito* contractum *vinculum*.

4. Uxor viro alligata est, quàm diu *vir vivit*, nec nisi *per mortem* à viro liberatur, Rom. 7. 2.3. Ergo *vinculum* conjugii non est *solubile*.

5. Apostolus jubet uxorem quacunq; de *causa*, à viro seperatam, *innuptam* manere, ut locus pateat *reconciliationi*, fortasse ex utraq; parte peccantium, 1. Cor. 7. 11. ubi à *reconciliatis* non iteratur *Matrimonium*, Ergo vinculum semel *contractum*, non erat antea *solutum*.

6. Si vinculum solvat *Adulterium*, tum à reis quovis modo ex hac parte *peccantibus*, liberi postèa geniti, habeantur *spurii*, & congressus *viri* cum *Mœcha* uxore (ipso inscio) sit *Adulterium*: Sed durus hic esset innocentibus *sermo*.

7. Spondent Conjuges *irrevocabilem* in contractione Nuptiali, coram Ecclesia, *Constantiam*, & *mutuam tolerantiam* sive *bene* se *gerant*, sive *male*; vsq; ad vitæ *terminum*, ut patet in *forma solemnizandi Matrimonium Anglicana*, Ergo *fœdus* hoc nulla *humana Dispensatione*, aut partium *conditione*, aut *scelere* est *rescindendum*. Quod & defendunt *Patres*, præcipue *Augustinus* in libro de *Bono Conjugali*, & de *Conjugiis Adulterinis*.

Objectiones.

Ob. 1. SAlvator statuit *Fornicationem*, Conjugium dirimere, Mat. 5. 32. & 19. 9.

Sol. Nil statuunt isti *textus* de vinculi *solutione*, sed de seperatione à *mensâ* & *thoro*, per legitimàm dimissionem.

Ob. 2. Loquitur Salvator de *divortijs* lege Mosaica à Mose *institutis*: At ista non alia fuerunt, nisi *divortia* quoad *vinculum*.

Sol. *Dispensationem* seu *indulgentiam* potius, illam esse asserit *Salvator*, quam *legem*, permissam illis ob istius gentis σκληροκαρδίαν. Math. 19. 8. 2. *Levita* recipit *uxorem* fornicariam

riam, non reiteratis *nuptiis*, Iudicum 19. 3. quod & Deus pollicetur se facturum *fornicanti Israeli*, si *pœnitentiam* agerent.

Ob. 3. Apostolus jubet uxorem *innuptam* manere, quæ rejecta fuit sine *causa*: Ergo interveniente *causâ* justâ, pars *innocens* potest ad aliud *Conjugium* transire.

Sol. Expectanda potius est reconciliationis *opportunitas*, quæ si planè *abscissa* sit per alterius partis *nuptias*, præstat *cælibatum* colere, quàm *fidem datam* & institutum *Divinum* violare.

Ob. 4. In *voluntaria* & obstinata *desertione Frater* vel *Soror* non est *subjectus*. 1. Cor. 7. 15. Ergo *vinculum* solvitur.

Sol. Non est *subjectus*, ut discedentem *revocet* aut *sequatur*, sed inde non absolvitur a vinculo *Matrimoniali*, ut vivente *conjuge*, qui deseruit, ad alias transiat *nuptias*, ut fecit *Galeatius Caracciolus*.

Ob. 5. Melius est *nubere*, quam uri, 1. Cor. 7. 9. cujus *libertatis* privilegio, durum videtur partem *innocentem* privari.

Sol. Idem eveniat per *morbum*, aut *mutilationem*, aut multis aliis *impedimentis*, ut Conjugium *fructu* destituatur, quod tamen *ferendum*, ut *judicium* pro peccatis inflictum, non sanandum *illicitis* mediis.

Ob. 6. Divortium non esset alicujus *usus*, si *vinculum Matrimoniale* non solveret, & parti *innocenti* remedium per alias nuptias non relinqueret.

Sol. Immo ita seperat *Conjuges*, ut se invicem infinitis *periculis* non impetant, & pœnitentiæ & reconciliationi *spem* & *locum* relinquit. Sic David recepit *Michal* ab alio *vitiatam*.

Ob. 7. Si *vinculum* sit *insolubile*, Ergo liberi suscepti ex aliis nuptiis *contractis*, superstite *repudiato conjuge*, sunt *illegitimi*.

Sol. Conceditur, si constet primas *nuptias*, omni ex parte fuisse *legitimas*.



CAP. SEPTIMUM.

DE NOVISSIMIS.

VERBUM & *Sacramenta* fide vivificâ percepta, excipiunt ut fructus salutares *Bona Opera*, & alia *Media*, quibus in possessionem *promissæ*, & emptæ *hæreditatis* immittimur.

Hic quæritur.

An.
1. *Bona Renatorum opera sint Salutis æternæ meritoria?*
2. *Præter Papam, ante ultimum Christi adventum expectandus sit alius Antichristus?*
3. *Futura sit Nationalis ante finem mundi Judæorum vocatio?*
4. *Christus hìc in terris ante ultimum judicium sit cum Martyribus excitatis, per mille annos regnaturus?*
5. *Animæ Mortuorum annihilentur, aut dormiant ante ultimam Resurrectionem?*
6. *Possibilis sit ejusdem numero corporis post mortem Resurrectio?*
7. *Mundus hic visibilis per ultimam conflagrationem, sit annihilandus?*

QVEST.

QVÆSTIO. I.

An bona Renatorum opera sint salutis æternæ meritoria? Neg.

QVIA.

1. NON sunt *condignæ Passiones* hujus *temporis*, ad *futuram gloriam*, quæ revelabitur in *nobis*, Rom. 8.18. ubi igitur *Meritum* de *condigno?*

2. Cum feceritis, *omnia* quæ *præcepta* sunt vobis, dicite, *Servi inutiles* sumus, quod *debuimus* facere, *fecimus*: Ergo quicquid facimus *ex debito* est, non *ex merito*, Luc. 17.10.

3. In *multis* omnes *offendimus*, *Jac.* 3. 2. Si dixerimus *quoniam peccatum non habemus*, ipsi *nos seducimus*, & *veritas non est in nobis.* 1. Jo. 1.8. & *Paulus conversus* exclamat, Infælix *ego homo*, quis me *liberabit* à corpore *mortis* hujus, Rom. 7. 24. apud tales autèm sic *affectos* non potest esse locus *meriti*.

4. Nemo potest ex justitia *mercedem* ab alio petere, nisi reddat illi *omnia*, quæ ipsi *propria* sunt, & *præterea* aliquid *addat* ex *suo indebitum*, quo gratificet *illi* à quo *mercedem* expectat. Sed conditio *Creaturæ* sic obligare non potest *Creatorem* & *Redemptorem*; Ergo *meritum* quodvis hic prorsus excluditur. Quis *prior* dedit *Domino*, & retribuetur ei, quoniam *ex ipso* & *per ipsum* & *in ipso* sunt *omnia*, ipsi gloria in secula *Amen.* Rom. 11.35 36.

5. *Gratiâ* Salvati estis per *fidem*, & hoc non est *ex vobis*, Dei enim *donum est*, non ex *operibus*, ne quis *glorietur*, Ephes. 2. 8. Ergo vitàm æternam nemo potest *mereri*.

6. *Jesus Christus* factus est nobis *sapientia* à Deo, & *Justificatio*,

ficatio,& *Sanctificatio*,& *Redemptio*, ut quemadmodum ſcriptum eſt, Qui *gloriatur* in Domino *glorietur*. 1. *Cor*. 1. 30. 31. quare contendendum eſt,ut inveniamur in *Chriſto* non *habentes propriam juſtitiam*,quæ ex *lege* eſt, ſed illam quæ *ex fide* eſt *Chriſti*,quæ ex Deo eſt *Juſtitia in fide*, Phil. 3.9. Ergo in *Chriſto conſtituti*, non merentur per *juſtitiam*,quæ eſt ex legis obſervatione; Sed conſequuntur *ſalutem*, per *Juſtitiam* quæ eſt ex fide in *Chriſtum*.

7. Deus coronat *Dona ſua*,non *merita tua*. Aug. in Pſ.70. 2. merita mea *miſeratio Domini*, Bernard. in Cant. Serm. 16. 3. propter *incertitudinem* propriæ *Juſtitiæ*, & periculum *inanis gloriæ*, *Tutiſſimum eſt fiduciam totam* in Dei *Miſericordia*, & benignitate referre. *Bellarm*. de *Juſtif*. l. 5. c. 7. Sed Chriſtianorum eſt ſequi *illud* quod,*eſt tutiſſimum*: Ergo ſequenda eſt iſta *Sententia*,quæ excludit *meritum*.

Objectiones.

Ob. 1. P*Romeretur* Deus *hoſtiis* Beneficentiæ & Communionis, Heb. 13. 16. Ergo *opera* ſunt *meritoria*.

Sol. Εὐαρεστεῖται non ſignificat *promereri*, ſed *delectari*, & *grata* habere. Sic *Interlinearis*, Beneplacet ſibi *Deus*.

Ob. 2. Qui *non inquinarunt* veſtimenta, ambulabunt cum Agno in *Veſtimentis albis*, ὅτι ἄξιοί εἰσιν, quia *digni* ſunt, Ergo *merentur* ex *condigno*. Apoc.3.4.

Sol. Digni ſunt ex *dignatione divina*, non ex operum *dignitate*, ratione *veſtis albæ*, nempe *Juſtitiæ* Chriſti,qua ſunt induti, Gal. 3.27. non *inhærente Sanctitate*, quæ in hac vita eſt imperfecta.

Ob. 3. *Merces* & *Meritum* ſunt *Relata* ſe invicem ponentia: Sed vita æterna eſt *merces*, Mat. 5. 12. quæ confertur ſecundum *proportionem* præcedentis *operis*, Mat. 16.27. Rom. 2.6.

So

Sol. *Merces* & *Meritum* sunt relata inter *nos* & *alios*, quibus nihil debemus, non inter *hominem* & *Deum*, cui *plus* debemus quàm *possumus* præstare. 2. unde remunerat *Deus secundum* opera, non *propter* opera, ex *pacto suo* gratioso, non ex *facto nostro* meritorio. 3. Quod *merces* dicatur, quia confertur post *opus peractum*, ut laboris *præmium*, non operis *pretium*.

Ob. 4. Bona opera sunt *causæ* vitæ æternæ, Possidete, quia *Esurienti* dedistis mihi *manducare*, &c. Mat. 25. 35. ὅτι, *Quia*, *causam* ingerit. 2. Venientes de tribulatione stabunt ante *thronum*, διὰ τοῦτο *propter hoc*, Apoc. 7. 15. Ergo ex *merito* ista consequuntur.

Sol. Particulæ istæ non sunt semper *Causales*, sed *consequutionis*, quæ *medium Quo*, non *meritum ob Quod* mercedem consequimur, indicant. Sic regnum recipiunt *Electi* ex gratia ipsius ab æterno *præparatum*, non in tempore *mercatum*, quia à *Patre Benedicti*, non *digni* aliàs tali *præmio* facti, & quia lavarunt *stolas* & dealbaverunt in *sanguine Agni*, hoc est, unico Christi *Sacrificio* sunt *purgati*, 1. Jo. 1. 7. non proprio operum *Sapone*, aut *Purgatorio* Pontificio digni redditi.

Ob. 5. Reposita est mihi Corona *Justitiæ*, quam reddit mihi Dominus in illo die *justus Judex*, 2. Tim. 4. 8. Ergo ex *justitia*, non ex *gratia* tantùm & *pacto*, debetur merces, & proinde ex *merito*.

Sol. Vita æterna dicitur *Corona justitiæ*, quæ datur a Christo (in *fine* cursus ut *Corona* Vincentibus) *justificatis*, & *Sanctificatis*, quibus erat *promissa*, non propter operum suorum *dignitatem*, sed Christi *satisfactionem*, cujus fidem servavit *Apostolus*. 2. ostendunt tales textus non *propter quid* salutem consequimur, sed *quales* coronantur, nec ingerunt *meritum*, propter *quod* datur vita æterna, sed indicant *per quod* eò est perveniendum.

Ob. 6. Deus non est *acceptor personarum*, Act. 10. 34. Rom. 2. 11. Gal. 2. 6. & Injustus esset si *oblivisceretur operis vestri* & *dilectionis*, quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis *Sanctis* & *ministratis*, Heb. 6. 10.

Sol. Acceptio personarum non habet locum in *gratuitis*, sed *debitis*. Deus autem nulli est *debitor*, Rom. 11. 35. Itaq; miseretur Deus *cujus vult*, Rom. 9. 18. cui licet de *suo* sic disponere, ut *primi sint ultimi*, & *ultimi primi*, Mat. 20. 15. 16. 2. Non obliviscitur Ergo Benefactorum, ex suâ *gratia*, non ob ipsorum *dignitatem*.

Ob. 7. Diversitas gloriæ confertur *sanctis resurgentibus* pro ratione *operum*, è quibus alii *fulgebunt* ut *firmamentum*, alii ut *stellæ*, Dan 12. 3. & *stella* à *stella* differt *gloria*, 1. Cor. 15. 41. Sed hoc fieri non potest, nisi propter operum diversam *dignitatem*, Ergo intervenit *meritum*.

Sol. Nil *habent* sancti, quod non *acceperunt*, non ex operum *dignitate*, sed conferentis *gratia*, 2. Quorum opera inter se *collata* obtineant *præeminentiam*, sed ad *Deum* & *Legem* relata, sic subsidunt infra *meritum*, ut *damnationem*, non effugiant.

QVÆST. II.

An præter Papam ante ultimum Christi adventum, expectandus sit alius Antichristus? Neg.

QVIA.

1. PRæcipua *Antichristi* nota videtur esse, *sedere* in templo Dei tanquam *Deus*, & efferre *seipsum* supra omne quod dicitur *Deus*, 2. Thes. 2. 4. hoc est, *Reges* vel *Magistratus*, de quibus habetur, dixi quod *Dii estis*, Ps. 82. 6. Sed hanc *tyrannidem* usurpat tantum *Papa*, Ergo *successori* alicui hanc palmam præripuit.

2. Qui

2. Qui *Dæmoniorum* introduxit *Doctrinam*, de colendis *Idolis*, de *inhibendis conjugiis*, & *cibis interdicendis*, 1. Tim. 4. 1. 3. Is præ cæteris est habendus *Antichristus*: Sed hoc facit *Pontifex* Romanus.

3. Qui post tot inflictas *plagas*, propugnat cultum *Imaginum*. 2. *Regicidia*. 3. *Veneficia*. 4. *publica lupanaria*, non expectet *Bestiam* illo tetriorem, *Apoc.* 9. 20. 21. Sed ista *fieri* & *probari* sub papatu nimis est compertum. Unde ex ungue *leonem*.

4. Qui lucrum captat ex *mortuorum animabus*, est ipse *Antichristus*, *Apoc.* 19. 13. Sed hujusmodi *merces* inveniuntur tantum in *papanis sarcinis*. Ergo liberet se, ut potest ab Antichristi *categoria*.

5. Qui venit cum *signis* & *prodigiis* mendacibus, ad *superstitiones* suas stabiliendas, is est *Antichristus*, 2. Thes. 2. 9. *Apoc.* 13. 13. At cum venit *Papisticus Antichristus*, num majora faciet *miracula?* Miracula autem inter *notas* Ecclesiæ papalis numerantur à *Bellarmino*, de *Eccles.* l. 4. c. 14.

6. Qui usurpat Dei *titulos* & negat *Jesum* esse *Christum* usurpando ipsius *titulos* & triplex *officium*, non potest habere aliquem ipso *Antichristicoteron*, sed hoc facit Papa. vid. *Vorst. Antibell.* pag. 72.

7. *Antichristus* non alibi, quam *Romæ* est expectandus, Apoc. 17. 10. Sed ista est *sedes* Papalis: Ergo aut *Papa* is erit, aut aliquis ipsi *Successor*, *Atheis*, *Magis*, *Sodomitis*, *Regicidis*, *tyrannis* omnibus istius sedis *monstris* præcedentibus *immanior*, quod vix expectandum.

Objectiones.

Ob. 1. ANtichristus erit *singularis persona*, quod indicant tituli. 1. ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας 2. ὁ ἄνομος 2. Thes. 2. Sed *talis* non est *Papa*.

Sol. Status est in *quo* unus homo obtinet *supremarum*.

*Ob.*2. Antichristus venturus est post *desolationem* Romani *Imperii*,ut colligitur ex 2. *Thes.* 2. Sed illud imperium non est adhuc *desolatum*,sed præcipuè à *Papa* sustentatur.

Sol. Occupat *Pontifex* Romæ sedem *Imperialem*,nec Germanorum se subjicit *Imperatori*, sed potius illum *subjectum* habet.

*Ob.*3. Contra Antichristum venturi sunt *Henoch* & *Elias*, qui adhuc in *vivis* sunt,& destinati ad opponendum *Antichristum* in *propriis personis*. Sed isti non adhuc contra *Papam* comparuerunt,Ergo,

Sol. *Insomnia* sunt ista de duobus *testibus*,vel *controversa*,ex quibus nil *certi* colligitur.

*Ob.*4. Ante Antichristi adventum prædicabitur *Evangelium* in orbe universo, Mat. 24. Atqui *hoc* adhuc non est *factum*.

Sol. Exivit *sonus Apostolorum* in omnem *terram*,tam *Judæorum* quàm *Gentium*,juxta Christi *promissum*,futuri estis testes mihi usq; ad *extremitatem* terræ,Mat.16. Act.1.

*Ob.*5. Omnis *spiritus* qui confitetur *Jesum* venisse in *carne* ex *Deo* est,& omnis spiritus qui *solvit Jesum* ex Deo *non est*,& hic est *Antichristus*, 1.*Jo.*4.2. Sed Papa profitetur *Jesum* venisse in carne,& persequitur *omnes* qui *Jesum* solvunt, Ergo non potest esse *Antichristus*.

Sol. *Ore* Christum *profitetur*,*re* negat,& solvit usurpando *triplex* ipsius *officium*(sub nomine *Vicarii*,ac si Christus esset *non-residens*)& quotidiè ipsum ex pane confectum in *Missa* crucifigendo.

*Ob.*6. Antichristus erit *Judæus* ex tribu *Dan*,sedens *Jerusolymis* in templo *Solomonis*,à *Judæis* pro *Messia* recipiendus, qui regnabit annis tantum *tribus* cum *dimidio*: Sed ista *Papæ* nequaquam competant,Ergo non potest esse *Antichristus*.

Sol. Antichristus iste *Judæus* est *adornata* ab *Apocryphis* fabula,ad oculos simplicium avertendos à *Romanensium* phaleris. 2. Tres autem isti *Anni* & *dimidium* non ad *literam*,sed *mysticè* sunt accipienda,ex quibus nil certi concludatur.

*Ob.*7 Antichristum *Salvator* in secundo adventu abolebit

bit *spiritu oris ipsius*, quod in fine mundi est *expectandum*: Sed Papa per aliquot *secula* obtinuit *dominatum*, Ergo non potest esse *Anti-Christus*.

Sol. Et *spiritu oris Christi*, hoc est, *purâ* Evangelji *prædicatione* gradatim *Papatus* conficitur. Quamdiu autem sit adhuc *duraturus*, & post ipsius excidium, quàm propè sit mundi *finis* dicant illi, qui non *revelata* solent prædicare. Consule de Anti-christo. Lect. nostram 11am.

QVÆSTIO. III.

An futura sit Nationalis Judæorum ante finem Mundi vocatio? Aff.

QVIA.

1. HOC disertè asseritur, ut *Mysterium* non reticendum, quod post *introductam plenitudinem Gentium* totus *Israel* servabitur, Rom. 11.25.26.

2. Hoc prædixit *Isaias*, cap.27.8. & 59.20. ut *illum* exponit *Apostolus*, Rom. 11.26.27. Huc spectat & iste *planctus*, cùm *aspexerint* eum quem *crucifixerunt*, Zach.12.10.

3. Signatæ sunt ipsorum *tribus* ad talem *vocationem*, Apoc.7.5. ubi distinguuntur à *signatis Gentibus*, & populis & *linguis* v. 9.

4. Dona Dei sunt ἀμεταμέλητα, si non permanserint in infidelitate *potens* est *Deus* rursus inferre, Rom. 11. 23. revocabit *propter Patres*, Ib. 29.

5. Manent *impermixti Judæi* inter tot *distractiones*, nec si-

nunt se avelli à *Doctrina* semel ipsis à Deo tradita ; quod argumento est *velamen* tandem illorum cordibus per infinitam Dei *misericordiam* iri detractam.

6. Obstare videtur ipsorum *Conversioni* præcipuè Romanæ Ecclesiæ *Idololatria*, quæ cum regno *Bestiæ* tandem dissipabitur.

7. Astruunt hoc inter *Patres*, *Origines*, *Chrysostomus*, *Ambrosius*, *Hieronymus*, & è *recentioribus* quam plurimi, qui aliàs inter se in nimiùm multis digladiantur.

Objectiones.

Ob. 1. CUM venerit *Filius hominis*, num *fidem* inveniet in terra ? Luc. 18. 8. Ergo accessio *Judæorum* in fine mundi ad *Ecclesiam*, non est expectanda.

Sol. Loquitur de *corruptis moribus* usq; ad finem mundi continuandis, non de *terminis* Ecclesiæ.

Ob 2. Post abominationem desolationis nil boni à *Judæis* est expectandum, Ergo non *Nationalis Conversio* : at ista præteriit in excidione *Jerusolymitana*

Sol. Non expectanda restitutio *regni terreni*, sed illud non excludit *conversionem* ad *Christianismum*.

Ob. 3. Peccatum in S. *Sanctum* nunquam est *remittendum*, sed hoc patraruut *Judæi* in Salvatoris *rejectione*, & *veritatis* per Apostolos *propagatæ* malitiosâ oppugnatione.

Sol. Factum hoc à *Judæis* istius Seculi, sed hoc non obstat quin *posteri ipsorum* possint esse *cautiores*.

Ob. 4. Non extat aliquod *certum* de hac *Nationali vocatione promissum*, nam ista apud *Prophetas* fuerunt in *Christo* impleta. *Paulus* autem per *Israelem* Ecclesiam ex omnibus gentibus *collectam* intelligit.

Sol. Immo *Judæos*, *gentibus* opponit, Rom. 11.

Ob. 5. Nationalis ista *vocatio* vel erit *junctim*, omnium *uno tempore*, vel *succedanea*. non *primùm* quia *tot* in *locis* dispersi, haud

haud verisimile est, ut quasi *turbine* quodam *simul* & *semel* conglobentur; non *secundum*, quia videmus *pauciores* ex *Judæis* Christianismum amplecti, quam *Christianos*, qui ad *Judaismum* delabuntur.

Sol. *Res* constare potest, ubi *modus* est solummodo Deo cognitus.

Ob. 6. Vocatio ista non expectanda nisi *post excidium Anti-Christi:* Sed illud non fiet ante *finem mundi*, cùm *Christus* ad Judicium *veniens* spiritu oris sui Anti-christum conficiet: Ergo nimis *sera* erit hæc *Judæorum* conversio.

Sol. Anti-christus conficietur per verbi *prædicationem*, longe antè *secundum* Christi *adventum*, cujus *abolitionem* sequatur Judæorum conversio.

Ob. 7. Conversio hæc si fiet, tum perficietur ex *prædicatione* Christianorum, vel ex *Novi Testamenti lectione*, vel à S. *Sancto* absq; mediis talem conversionem operante; At *Christianos*, & *Novum Testamentum* odio plusquam *Vatiniano* prosequuntur, nec S. *Sanctus* solet operari, nisi per media.

Sol. Media illa possint esse *certa*, licet nobis *incognita*, vid. de vocatione Judæorum Orationem nostram, 6tam.

QUÆST. IV.

An Christus hìc in terris ante ultimum Iudicium, sit cum Martyribus excitatis per mille annos regnaturus? Neg.

QUIA.

1. CHristum *Cœli recipient* usq; ad *tempora restitutionis* omnium, quæ locutus est Deus per *os Sanctorum* â seculo Prophetarum, Act. 3. 21. Ergo non regnaturus *corporaliter* hìc in terris.

2. Adventus Salvatoris *unicus* solummodo in *Symbolo* proponitur expectandus, ex *Mat.* 25. 31. 1. *Thess.* 4. 16. Ergo hic intermedius non credendus.

3. Oportet *Christum* regnare, donec *ultimus* hostis, *Mors* abolebitur. 1. Cor. 15. 26. & 54. Sed hoc non fiat ante *ultimum* judicium.

4. Scimus nos, si *terrestris* hujus domus nostræ tabernaculum *dissolutum* fuerit, *ædificium* ex Deo habituros, *Domicilium* videlicet non *manufactum*, æternum in cœlis, 2. Cor. 5. 1. quod est regnum ἐπουράνιον, 2. Tim. 4. 18. Ergo non *terrenum*.

5. Unica erit in fine mundi corporum *resurrectio*, 1. *Thess.* 4. 14. 15. merces vestra copiosa *in cœlis*, Mat. 5. 12. πολίτευμα nostrum *in cœlis*, Phil. 3. 20. Ergo *tale regnum* in terris non est expectandum.

6. Regnum Christi non est *ex hoc mundo*, Jo. 18. 36. &

cùm

cùm venerit filius hominis *fidem* non *inveniet* in terris, Luc. 18.8. Neq; talis *status* Martyrum resuscitatorum sub Christo *visibiliter* regnante, ex Scripturis habeatur. Nec de *loco* constet, ubi *salvator* thronum figet. Nec de *subditis* resuscitatis, an *uxores* ducant, *liberos* procreent, rursus *senescant*, *comedant*, *ægrotent* & sint iterum *morituri*, Ergo *delirium* hoc potiùs videtur de *Regno* Christi *terreno*, quàm *dogma* Theologicum.

7. *Chiliastarum* ista *sententia*, à *Patribus* & *conciliis* sanioribus semper fuit *explosa*, ex *illis locis*, sceptrum auferendum à Juda cum *venerit* Shilo, Gen. 49. 10. finis erit cum *desolatione* Dan. 9. 26. *Corruet* & non *resurget* regnum Judæorum, Isai, 24. 19. 20. Erit regnum illud sicut *vas figuli*, quod non potest *instaurari*, Jer. 9. 11. Ideo pervenit in eos ira usq; ad finem, 1. Thes. 2. 16.

Objectiones.

Ob. 1. REducet te *Jehovah* in eam *terram*, quam hæreditario jure possiderunt *Majores tui*: Levit. 29. Deut. 30. 5.

Sol. Loquitur de reductione à *captivitate Babylonica*, aliisq; locis ante *adventum Messiæ*, at nihil hic de *terreno* Christi *regno*.

Ob. 2. Ultimis *temporibus* constituetur *Mons Domus* Dei in *vertice* aliorum montium, ut confluant ad eum gentes, Isai, 2. 2. Et congregentur membra dispersa *Jehudæ* ex quatuor oris terræ, *Isai*, 11. 10.

Sol. Nempe ad *fidem* per *Apostolos* Lex egredietur è *Sion*.

Ob. 3. Vocabitur *Jerusalem* non amplius *terra desolata*, sed *delitiæ* & *Maritata*, Isai, c. 62. 5. & seq. ubi non erit amplius *Infantulus ætate*, aut *senex* cujus non impleat dies *Deus*, ib.

c.65.20.conſimilia occurrunt, Jer. 30.Ezech. 34. Dan.2.& 7.Joel.3.Mich.4.& 5. Zach.12.

Sol. Singula iſta *eodem* ſpectant,& *Allegoricè* ſunt intelligenda,de *primo* ſalvatoris *adventu.*

*Ob.*4. Poſt deletas quatuor *Monarchias* , aliud regnum non deſtruendum eſt *excitandum*, Dan.2.44. Hoc nullum poteſt eſſe præter *regnum* hoc Chriſti *terrenum.*

Sol. At illud eſt *Regnum* Chriſti *ſpirituale*, quod æternùm ſtabit,non *terrenum.*

*Ob.*5. Regnum hoc erit ſub *cælo*, non in *cælo*, Ergo terrenum,Dan: 7.27.quod dabitur tantùm populo *ſancto.*ib.

Sol. Iſta nulla *fide*,aut *fidiculis* poſſint ad *terrenum* Chriſti regnum trahi.

*Ob.*6. Poſt ligatum *ſatanam* per *mille annos* Chriſtus ſtatuitur *regnaturus*,cum *Martyribus* reſuſcitatis,Apoc.20.

Sol. Regnaturus eſt per *verbum* in *ſanctis*,& S.S^ti. internum ductum,non in *Hieruſalem*,ſed in *cordibus* ſuorum. 2. Nec ſomnianda eſt *alia Martyrum reſurrectio* ante *ultimum judicium*,quàm in *ſucceſſoribus* & *ſemine* ſpirituali.

*Ob.*7. Nova *Jeruſalem* eſt hujus regni *typus*,Apoc.21.22. At iſta deſcendit è *cælo* in *terram*, Ergo *Regnum* hoc in terris eſt erigendum.

Sol. At iſta erit deſtituta *Sole* & *Luna*, quæ cunctis diebus terræ ſunt *permanſura*,Gen.8.22.quare illa intelligenda ſunt de *regno cæleſti*. Nec ex *ſymbolicis* dogma cudendum. Solent in *ſcripturis ſpiritualia* per *corporalia* deſignari , ut ex his quæ *animus* novit,ſurgat ad *incognita*, quæ non *novit*, quatenùs exemplo *viſibilium* ſe ad *inviſibilia* rapiat, Greg.Hom. 11.in *Evangelia*. In *noviſſimis* intelligetis, Jer.23.20. Obſignato *librum*,Dan.12.4. Fuſius iſta habentur de mille annis Apocalypticis Lect. noſtra 13ª.

QVÆSTIO.

QUÆSTIO. V.

An animæ mortuorum annihilentur, aut dormiant usq; ad ultimam Resurrectionem? Neg.

QUIA.

1. ANimæ Sanctorum sunt *cum Christo*, & *meliori* conditione quam hic *fuerunt*, Phil. 1. 23.

2. Eadem sunt *conditione* cum animabus *Abrahami*, *Isaaci*, & *Jacobi*: At illæ sunt in cœlis, Mat. 8. 11. & *Deo vivunt*, Luc. 38. cum *Angelis*, Mat. 22. 30.

3. Corporis exutæ vinculis, *præsentes* sunt animæ cum *Domino*, 2. Cor. 5. 6. Eccles. 12. 7. Atqui tales non *dormiunt* in pulvere, ut nec anima *filii* viduæ *Sareptanæ*.

4. Christus promisit latroni *Paradysum*. Luc. 23. 43. at non *terrestrem*, quæ deleta existimatur per *diluvium*, & *animam* non potuit *delitiis* afficere, Ergo *cœlestem*, nempe cœlum *tertium*.

5. Constat ex *scopo Parabolæ*, Luc. 16. 22. Animas impiorum post mortem torqueri in *inferno*, & piorum in *sinu Abrahæ* requiescere, Ergo manent *superstites*, nec *obdormiunt* ante ultimum judicium, confer. Apoc. 6. 9. de Animabus *clamantibus* sub Altari.

6. Beati *pronuntiantur*, qui in *Domino* moriuntur, Apoc. 14. 13. At *beatitudo* omnis consistit in *actione*. Ergo animæ piorum post mortem non *tenues* evanescunt in *auras*, sed *fælici* fruuntur *conditione*, aut miserrimâ.

7. Confirmandæ sunt *Animæ separatæ* ad statum animæ

Salvatoris: Sed salvatoris anima *seperata* non *obdormivit* cum corpore in *sepulchro*, in *Instertitio* isto inter *mortem* ipsius & *resurrectionem*, non relinques *animam meam* in inferno, Act. 2. ex Ps. 16. *Mortuus* carne *vivificatus* est spiritu, 1. Pet. 3. 18. Ergo & *animæ* nostræ non dormient cum corporibus in *cœmiterio*, sed post seperationem erunt *superstites*. Quam *sententiam* de animæ *immortalitate*, ex lege *naturæ* hauserunt omnes ferè Ethnici.

Objectiones.

Ob. 1. PAtres non acceperunt *repromissionem*, ne sine nobis *consummarentur*, Heb. 11. 40. Sed hoc non *fiet* ante *ultimum* judicium, Ergo ante illud tempus est *nulla* animæ seperatæ *conditio*.

Sol. Non consummantur *beatitudine personali corporis* & *animæ simul*, animæ interim fruuntur *beatitudine* illorum *seperationi* congruâ.

Ob. Non redditur *merces* à *Patre familias* ante *vesperam*, Mat. 20. 8. At *vespera* ea denotat *resurrectionem*, ut per *denarium* vita æterna adumbratur.

Sol. Remuneratio *animæ separatæ* non excludit plenariam totius personæ *beatitudinem*, sed ad *illam* recipiendam est *arrhabo*.

Ob. 3. Charissimi nunc *filii Dei* sumus, & nondum apparuit quid *erimus*, scimus quoniam cum *apparuerit*, *similes* ei *erimus*, quoniam videbimus eum sicuti est, 1. Jo. 3. 2. Sed hoc non eveniet ante *ultimum judicium*, Ergo vel *anima* interim dormit, aut *annihilatur*, aut qualis sit ipsius *status* non constat.

Sol. Ostendit *conditionem* animæ *mundo* non apparere, *mundus* (inquit) non *novit nos*, quod non obstat quo minus animæ è *mundo migrantes* beatificâ fruantur Dei *visione*.

Ob. 4. Conditio animæ ex *servatoris exemplari* est æstimanda

manda: sed anima Christi *descendit* ad inferos, priusquam reunita fuit *corpori*, & cœlum ascendit, Ergo eadem *sors* ab anima separata est *subeunda*, & manendum est ipsis in *sepulchro* (quod per *Infernum* intelligitur) aut *dormiendum* cum corpore, usquedum *corpori* uniantur ut ascendant.

Sol. Non requiritur conformitas inter *animam* Christi & *nostram* in omnibus: sufficit ut anima *separata* salvatoris non fuerit *extincta*, sed mansit semper *beata*, sic & *animabus* nostris fiet.

*Ob.*5. Ut *corpus* sine spiritu est *cadaver*: ita *anima* sine corporis *organis* nullas exercere potest *actiones*, Ergo non est, aut ἀυτοδυμίαν patitur.

Sol. Physicas non exercet *operationes* & *sensuales*: *Intellectuales* autem liberiùs operatur, quibus corporis *Ergastulum* aliquoties erat impedimento.

*Ob.*6. Visio Dei *beatifica* absorbet vel excludit omnes ad alias creaturas *propensiones*: hâc igitur si potiantur *animæ separatæ*, resurrectionem corporis cum *Paulo* non respicerent.

Sol. Immò tanto magis expeterent, ut *perficeretur* tali extentione *gaudium*.

*Ob.*7. Dæmones non puniuntur ante *ultimum Judicium*, sed reservata est *illorum pœna* ad supremam *sententiam*, Mat. 8. 29. Luc. 8. 31. Ergo non lata est sententia de *Animabus*.

Sol. Non puniuntur *ultimo* abysli *supplicio*, quocunq; interim volitant (inquit Beda) ubiq; suam *gehennam circumferunt*, in *Jac.* 3um.

QVÆSTIO. VI.

An possibilis sit ejusdem numero corporis post mortem Resurrectio? Aff.

QVIA.

1. SCio quod *Redemptor* meus *vivit*, & in novissimo die de terra *resurrecturus sum*, & rursus circumdabor *pelle mea*, & in *carne mea videbo Deum*, ego ipse & *oculi mei* & non *alius*, Job. 19. 25. confer. *Ezech* 37. Ergo resurget corpus idem numero.

2. Probat salvator, mortui audient *vocem* filii hominis & vivent, Jo. 5. 25. non resurget autem *aliud* nisi quod *cecidit*. 2. Monumenta aperta sunt, & multa corpora *sanctorum* qui dormierant, *surrexerunt*, Mat. 27. 52. 3. *Lazare* veni foras, non *alio* proculdubio sed suo corpore vestitus, Jo. 11. 43. Sic filiis *Sareptanæ*, *Sunamitis*, viduæ de *Naim*, filiæ Jairi eadem numero restituta sunt *corpora*.

3. Confirmat *Apostolus*, resurgendum est ad exemplar christi primitiarum, 1. Cor. 15. 20. & 28. At ipsius *idem* numero *corpus* resurrexit, videte *manus meas* & *pedes*, quia *ego ipse sum*, Luc. 24. 29.

4. Obsignat *Baptismi* Sacramentum, quid faciunt qui ablutione utuntur super *mortuis*, si omnino *mortui* non suscitentur, 1. Cor. 15. 29.

5. Postulat hoc *Dei justitia*, omnes sistemur coram *tribunali* Christi, ut reportet *unusquisq;* quod in corpore fecerit, sive *bonum* sive *malum*, 2. cor. 5. 10. Ergo *eadem* numero *persona*, constans ex *corpore* & *anima* subibit hoc judicium.

6. Ex

6. Ex rationis dictamine conſentiunt. 1. *Ethnici* .1. *Zoroaſter*, animæ immortales ſunt & corporum reſurrectio eſt futura. 2. *Judæi* apud *Galatinum*, lib. 12. & *Manaſſe* Ben *Iſrael*. 3. *Turcæ* in Alcoran. vide *Mornæum* de veritate *Releg*. Chriſti c. 15.

7. Aliter *Templum* Spiritus ſancti in *nihilum* abiret. 2. inter *formam immortalem* & *materiam ingenerabilem* & incorruptibilem perpetuum eſſet *divortium*. 3. Non *perſona*, ſed tantum *pars hominis* fœlicitatem *conſequeretur*, cum multis aliis abſurdis.

Objectiones:

Ob. 1. CAro & *Sanguis* non poſſidebunt regnum Dei 1. Cor. 15. 51. 2. quia *Eſca* ventri, & *venter* eſcis, Deus autem & *hunc* & iſtas deſtruet, 1. Cor. 6. 13. 3. Ideoq; idem *eventus* eſt *homini* & *beſtiæ*, Eccleſ. 3. 19. At beſtiarum *corpora* non reſurgunt, confer. Job. 17. 7.

Sol. Textus Apoſtoli reſpiciunt tantum *carnales affectiones* corporis, non corporis *eſſentiam*. 2. *Jobus* & *Eccleſ.* oſtendunt quid apparet *ſenſibus* de cadaveribus, non quid *credendum* de corporis *reſurrectione*.

Ob. Aliquoties accidit, ut *corpus* hominis à *feris*, aut ab *Anthropophagis* devoretur, ſic ut ipſius *caro* in devorantium *ſubſtantiam* tranſeat. Ergo reſurgere non poteſt, ut *prioris individui* idem corpus numero.

Sol. Qui omnia creavit ex *nihilo* poteſt omnes *particulas*, ubicunq; diſtractas reducere, & reunire per eandem *omnipotentiam*, Mare, mors reddiderunt mortuos, *Revel.* 20. 13.

Ob. 3. A *privatione* ad *habitum* eundem numero non poteſt fieri *regreſſus:* Sed mors eſt omnium habituum corporalium *privatio*: Ergo non datur ad eandem integritatem reſtitutio.

Sol. Eſt privatio per *habituum* accidentalium *annihilationem*,

nem, de qua non controvertitur: Alia vero per partium permanentium *ſeparationem* quarum hic per *omnipotentiam divinam* aſtruitur ejuſdem individui *reſtitutio*.

Ob. 4. Apoſtolus confert *corpus mortuum* cum *grano*, quod ſeminatur, & *corpus reſuſcitandum*, cum *ſpica*, 1. Cor. 15. 37, 38. Sed *ſpica* cum *grano* non eſt idem numero, unde concludit, quod Deus dat *aliud* illi *corpus*, ut voluit.

Sol. Similitudines *illuſtrant* non *probant*, ex illis igitur urgendæ non ſunt *circumſtantiæ*, ſed *ſcopus*, qui non alius hic eſt quam quod *corpora mortua* reſurgent alia *conditione*, non quoad *individuationem*, ſed *qualitates*.

Ob. 5. Filii *Reſurrectionis futuri* ſunt ἰσαγγελοι, Mat. 22, 30. Luc. 20. 36. At *Angeli* ſunt prorſus *incorporei*. Ubi igitur corpus idem numero?

Sol. Ισαγγελοι futuri ſunt non *quoad ſubſtantiam* ſed quoad *immortalitatem*, *fœlicitatem*, & *immunitatem* à conjugio, quia nullus ibidem locus eſt *ſucceſſioni*.

Ob. Nullus erit uſus *partium organicarum* vel diverſitatis *ſexuum*, poſt hanc vitam, ſed *Deus* & *Natura* nil fruſtra faciunt. Ergo tolletur ſaltem in reſurrectione *ſexus diſcrimen*, quo fiat ut non maneat *idem* corpus *numero*.

Sol. Quis uſus poteſt eſſe *illuſtrior*, quam ut *corpus* animæ *unitum*, ad conformitatem Chriſti incarnati, perpetuum S. *Trinitati* cantent *Halleluiah*, ſive hoc ſive illo *ſexu* parùm intereſt apud illum. Cui *liber* & *ſervus*, *mas* & *fœmina*, *unum* ſunt in *Chriſto* & pari cenſu veniunt, *Gal.* 28.

Ob. 7. Diverſorum *motuum* diverſi ſunt numero *termini* ad quos: Atqui diverſi ſunt motus *Generatio* & *Reſurrectio*: Erit igitur *alius homo* per *reſurrectionem*, ab eo qui fuit per *generationem*.

Sol. Argumentum obtinebit in *terminis*, qui ſunt prorſus *diverſi*; non *ſubordinati*, *Generamur* autem ut *moriamur*, morimur ut *reſurgamus*, quæ non mutant ſubjecti *ſubſtantiam*, ſed *circumſtantias*.

QUÆ-

QUÆSTIO. VII.

An mundus hic visibilis per ultimam conflagrationem sit annihilandus? Aff.

QUIA.

1. Cœli *peribunt* & sicut *vestimentum veterascent* & sicut *opertorium* mutabuntur. Ps. 102.27.28. & quod *veterascit* prope est ad *interitum*, Heb. 8.13, sicut *fumus liquescent*, Isai, 51.6. non *erunt* in memoria *priora* ib. 65.17. Ergo penitùs erunt è medio *sublata*.

2. Cœlum & terra *præteribunt*, sermones autem mei non præteribunt, Mat. 24.35. *præterire* autem non est innovari ad *perfectionem*, sed *tolli* ad *abolitionem*.

3. Temporaria omnia *cum tempore* sunt è medio tollenda: Sed quæ cernuntur omnia sunt *temporaria*, 2. Cor. 4.18. Ergo *transeunt* ut cedant æternis

4. Vidit Apocalyptes *cœlum novum* & *terram novam*, in quo nec *Sol* neq; *Luna*, Apoc. 22.5. *primum* enim *cœlum* & *prima terra* abierant, & *mare* non amplius extabat, Apoc. 21.1. Ergo in *nihilum* erit redactum.

5. Cœli magno impetu *transibunt*, *Elementa* calore solventur, *terra* & quæ in ipsa sunt *opera* exurentur, ut cedat *civitati* quæ *æternum* habet fundamentum, 1. Pet. 3.10. Hebr. 13.14.

6. Post *hominum* translationem *Sol*, *Cœlum*, *Solum* nulli futura sunt *usui*, quæ propter hominem tantum sunt condita, illoq; remoto habent *periodum*, Gen. 8.22. terram dedit hominum

minum filiis, Ps. 115. 16. Deus & *natura* nil *frustra* faciunt.

7. Dei Sapientia ab *imperfectioribus* ad *perfectiora* progreditur, nempe ab *umbris* ad *Substantiam*, à *temporariis* ad *æterna*: Ex horum igitur *positione*, (*probabiliter*) saltèm sequitur istorum *ablatio*.

Objectiones.

Ob. 1. TErra dicitur super *bases* fundata, ne dimoveatur in *æternum*, Ps. 104. 6. & generatio *præterit*, & *generatio advenit*, terra autem in *æternum stat*, Eccles. 1. 4. Ergo nunquam abolebitur.

Sol. Æternitas hic denotat non *permanentiam absolutam*, sed *continuationem* relativam, pro ratione *rei existentis*, Sic servus serviet in *æternum*, Deut. 15. 17. id est, *toto* vitæ suæ *tempore*. Pactum Sabbathi erit *æternum*, Exod. 3. 17. nempe *durante* vetere *Testamento*. David laudabit Dominum in *æternum* hoc est, quamdiu esset in vivis.

Ob. 2. Vestimentum mutatum non *annihilatur*, sed instar *vestimenti* mundus tantùm mutabitur. Ps. 107. 27.

Sol. Ista arguunt mundum penitus tandem *periturum*, quia quod atteritur, *veteraſcit*, & tales subit *mutationes*, quæ vergunt ad interitum.

Ob. 3. Quæ *perficiuntur* ad *æternitatem* potius tendunt, quam *interitum*: Sed in *Novissimis* lux *Lunæ* erit sicut lux *Solis*, & *lux Solis* erit *Septuplo*, quam nunc est coruscantior, *Isai.* 30. 26.

Sol. Ista indicant Metaphoricè statum *illustriorem* in hac vita sub *Evangelio*, quàm fuit antea *sub lege*, non *conditionem* Systematis mundani post conflagrationem.

Ob. 4. Quæ liberabuntur in gloriosam *libertatem* Filiorum Dei *æternùm* non peribunt, sed talis futura est Conditio *Creaturarum*. Rom. 8. 14.

Sol. Hæc liberatio potest fieri per *annihilationem* ab *æ-*

rumnosa

rumnoso servitutis *jugo*, non *translatione* in meliorem conditionem. Unde *per libertatem*, non *in libertatem* gloriosam filiorum Dei, fieri intelligatur hæc liberatio, post servitutem Afflictis *præstitam*, quâ liberati tandem non indigent.

Ob. 5. Figura non est *Substantia*, sed *figura* tantum hujus mundi *transit*: Ergo *accidentalis* tantum erit *mutatio* non *Substantiæ* abolitio.

Sol. Per figuram intelligitur *vivendi ratio moralis*, non externa *forma Physica*, 2. quæ si dicatur *transire*, non excludit *abolitionem*, sed potiùs viam ad illam sternit.

Ob. 6. Haud aliter *mundus peribit igne*, quam antea periit per *aquas diluvii*, 2. Pet. 3. 6. Sed *Diluvium* non delevit *mundum*, sed potius *purgavit*, Ergo nec *ignis* illum in *Cineres* prorsus rediget.

Sol. Textus ostendit tantùm contra *illusores*, (quicquid isti garriunt) mundum tam certò per *ignem* periturum, quàm olim per *Cataclysmum* erat obrutus, nec ad *minutiora* tendit comparatio.

Ob. 7. Corpora *Cœlestia* sunt Natura *incorruptibilia*, Ergo nec possunt igne absumi.

Sol. Verum est *Physicè* ab agente *naturali*, sed non *Theologicè* ab Agente *Omnipotenti*. 2. vel *Incorruptibilia* dicantur, non *absolute*, sed respectu sublunarium *comparatè*.

Gloria in Altissimis Deo, & super Terram pax, & in hominibus Benevolentia. Luc. 2. 14.

FINIS.

INDEX SCRIPTURARVM.

Cap.	Vers.	Pag.
	Genesis.	
I.	26	60
	28	108 186
	31	107
II.	17	108
	18	181 186
III.	4.5	104
	15	22 253
	19	3
VI	5	112.119.163
	6	11
VIII	22	321
XIV	18	297
XV	6	265 278
XVII.	14	287
XVIII.	25	252
XX.	6	128
XLVIII.	16	171
XLIX.	10	313
	Exodus.	
III.	14	54
XIX.	15	183
XX.	5.6	117
XXXII.	13	171
	Leviticus.	
XVII.	11	262
XX.	26	183
	Numeri.	
III.	24	205
	32	205
VI.	23	230
X.	35	230
XXI.	5	76
XXIII.	19	54
	Deuteronomium.	
IV.	6	159
XII.	8	169
	32	45 169
XVII.	8 9	40
	15	191 222
XXVII.	12	230
	26	127
XXIX	4	120
	5	313
XXX.	15	121
XXXII.	29	121
	1. Sam.	
VIII.	10.11	222
	18	222
XIII.	13	58
XIV.	45	226
XVI.	7	145

Cap.	Vers.	Pag.
XIX.	23	42
XXI.	4	183
XXIV	6	222
XXVI.	9.10	222.224
1. Reg.		
II.	26.27	199
IV.	32	47
VIII.	39	170
XIX.	18	145
2. Reg.		
I.	10	226
X.	30	226
XXIII.	20	178
1. Chron.		
XV.	16	199
2. Chron.		
XIII.	6	226
XIX.	11	40
XXVI	18	180
XIX.	30	231
XXXI.	2	178
XXXVI.	13	223
Ezra.		
X.	4.5	218
Nehemiah.		
VIII.	8	33
Job.		
V.	1	171
IX.	11	3
XIV.	4	112.120
XIX	25	318
XXIII	8	3
XXXIV.	18	223
XXXV.	10	61
Psalmi.		
II.	7	69
XII.	6	8
XIX.	41	146
XIX	13	104
XXII.	16.17	22
XXIII.	6	270
XXXIII.	6	61
XXXIV,	15.16	11
XLV.	16	206
LI.	4	222
	5	112
	12	120
LXXII.	17	70
LXXV.	7	222
XC.	2	70
XCVII.	7	76
CII.	26	321.322
CIII	3	133
CIV.	5	322
CV.	28	237
CXV.	3	275
	16	322
CXIX	140	8
CXXXIX.	6	4
CXLIII.	2	269
CXLV.	9	57
CXLIX.	8	172.179.224

Cap.	Vers.	Pag.
Proverbia.		
VIII.	22	69
IX	2	297
XVI	18	103
XX	9	271
XXIV.	21.22	223
XXVIII.	14	272
XXX.	6	45
Ecclesiastes.		
I.	4	322
III.	19	143.319
	21	143
VII.	29	107
VIII	2.3.4	223
IX	5	142
	10	194
X.	20	223
XII.	1	61
	7	315
	11	40
Isaias.		
II.	2	146.313
V.	4	274
VI.	1	77
	3	61
VIII.	20	159
IX.	6	71
XI.	1	22
	10	313
XIV	14	106
XXIV.	19	313
XXX.	26	322
XXXV.	8	96.153
XLII.	8	255
XLIII	11	127
XLV	11	11
XLIX	23	179.224
LI	6	321
LIII	5	262
	8	71
LIV.	5	61
LVI.	4.5.	184
LIX	20	309
LXII.	5	313
LXIII	17	273
LXIV.	6	163
LXV.	17	321
Jeremias.		
I.	10	179.224
IX.	11	313
X.	23	119
XIX	5	46.169
XXIII.	5	22
	27	174
XXXI.	34	153
XXXIII.	15	263
Lament.		
IV.	20	228
Ezekiel.		
XI.	19	120
XVIII.	4	263
	20	115
XVIII	22	194
	32	132.138
XX.	25	11

Pag	Vers.	Cap.
	Daniel	
II.	37	222
	44	314
III	29	11
IV.	27	129
VI.	26.	11
VII.	13.14.	78
	27	314
IX.	22	263
	26	313
XII.	3	306
	Hosea.	
I.	4	226
V.	15	121
	Joel.	
II.	14	272
	17	230
	Mica.	
V	2	70
	Zecharias.	
VI.	12	22
XII.	10	233 309
	Malachias.	
I.	11	297
II.	7	40
	Matthæus.	
I.	16	25
	23	252
II.	6	21. 24
	15	24
	18	142
	23	21
III.	11	280
	12	175
	16.17	61 88
IV.	3	104
	10	169
V.	3	188
	12	304.312
	14	146
	16	161
	17	205
	18	19
	22	128.155
	32	300
	48	106
VI.	9	231
	13	23
VII.	16	163
	17	120
	23	174
VIII.	11	315
	14	182
	26	270
	29	317
X.	28	142
XI.	25	80
XII.	32	131
XIII.	11	273
	24	175
	30	141
		47

JNDEX SCRIPTURARVM.

Cap.	Vers.	Pag.
	47	175
XIV.	31	270
XV.	4.5.	186
	7.8	24
	9	46.169
XVI.	6	153
	18	41.20
	19	132
	24	188
	27	304
XVII.	3	142
	26	180
	27	177.223
XVIII.	17	41.147
	18	129.131
	22	132
	32.33	264
XIX.	5.6	299
	8.9	300
	12	181.184.188
	14..15	289
	21	188
	28	206
	29	184
	8	316
XX.	16	306
	26	199.211
	28	263
XXI	5	24
	13	77
	16	24
XXII.	2	175
	13	174.287
	21	177.223
	29	38
	30	315.32
XXIII.	3	42.152
	17	153
XXIV.	14	308
	15	24
	24	137
	35	321
XXV.	1.	175
	31	312
	35	305
XXVI	52	224
XXVII.	9	23
	52	318
	43	15
	46	86
XXVIII.	18	78.257
	19	61.88
	1	89.290
	20	141,200

Marcus.

III.	14	206
	29	131
V.	36	267
X.	11	299
XIII.	32	24.80
XVI	16	163

Lucas.

I.	33	141
	35	84
	36	238
	78	264
III.	23	25
	36	25
VII.	47	264
VIII.	50	267

Cap.	Vers.	Pag.
IX.	55	227
X.	59.60	219
X	16	152.223
	26	19.38
	37.38	140
XII.	14	219
	57	39
XVI	22	315
	24	171
XVII	10	189.303
	20.21	144
XVIII.	8	146.310
	38	184
XX.	36	171.320
	37.38	140
XXII.	19	294
	20	294
	32	41
XXIII, XXIV.	43	140.315
	39	318

Johannes.

Cap.	Vers.	Pag.
I.	1	77
	3	70
	12	366.269
	14	71.252
	18	3
II.	10	237
	19	174
III.	3	287
	6	113.117
	16	70
	34	85
IV	23	298
V.	22. 23	67
	24	193
	25	318
	26	71
	39	19.32.38.
VI.	44	120
	53	286
	55	293
	66	149
VII.	39	89
	49	33
VIII.	31	149
	44	105
	58	71
IX.	4	194
X.	11	263
	28	137
	30	78
XI.	41	80
	43	318
	50.51	42.153
XII.	41	77
XIII.	35	162
XIV	6	163
	11	67
	16	83
	26	82.83
XV.	26	62.82
		84
XVI.	14.15	83
	20	145
XVII	2	137.275
	3	65
	5	77
	6	137
	10	82
	11	137
	20	137
	22	172
		36

INDEX SCRIPTVRARVM.

Cap.	Vers.	Pag.
XVIII.	36	177.224.312
XIX.	11	177.224
	15	225
	30	263
XX.	21	213
	22	83
	28	75
	31	46
XXI	15	192.201
	17	41
	Acta	
I.	7	80
	20	175.206
	24	170
II.	3	88
	24	263
	27	316
	36	78
	38	291
	39	286.289
	42	158
	47	164
III.	21	293.312
IV.	12	163
V.	4	87
VI.	4	220
	39.40	142
VII.	16	25
	51	90.122
	59	77.141
VIII.	17	90.206
	22	272
	37	290
X.	2	278
	4	165
	6	165
	34	138.166.305
	48	91.96
XIII.	2	88.207.298
	39	192
XIV.	22	145
	23	207.213
XV.	9	266
	11	95
	21	32
	22.23	200
XVI.	13	151
	31	96
XVII.	11	38.150
	30	128.166
XVIII.	3	218
XIX.	2	90
	5	91.96
	39	155
XX.	28	88.146.211
		252.258
	29.30	150
XXII.	16	280
XXV.	12	178
	Ep. ad Rom.	
I.	17	266
II.	5	133
	6	304
	11	305
	14	164
	28	174
III.	2	13.18
	4	149
	24	265.266
	25	193
	28	265

Cap.	Vers.	Pag.
	5	265
	10.11	278
	21	270
V.	1	266
	12	108.112
		116.275
	18.19	108.268
	19	105.115.275
VII.	2.3	300
	7	123
	14	163
	18	126
	22.23	118
	24	303
VIII.	8	183
	8.9	82.174
	15	269
	18	303
	21	322
	24	267
	26	90
	28	138
	29.30	137
	38	270
IX.	1	89
	5	76
	11.12	136
	16	136
	18	136.306
	21	136
X.	14	170
XI.	1	141
	23	133.309
	25	309
	26	309
	29	309
	32	275
	34	15
	35.36	55.306
XIII.	1	224
XV.	4	32

1. Ep. ad Cor.

Cap.	Vers.	Pag.
I.	12	186
	30	266.304
II.	9	3
	10	90
	11	92
	14	120.163
	15	189
	20	80
III.	9	121
	15	128
IV.	7	120
	15	159
V.	9	147
VI.	13	319
	19	187
VII.	1	183
	2	181
	5	184
	9	181.284.301
	11	300
	14	286
	15	301
	25	189
	32.33	184
VIII.	6	65
IX	5	182.184
	12	189
	13	205
X.	6	201

Cap.	Vers.	Pag.
	9	76
	22	149
XI.	2	48
	13	39
	20	149
	23	295
	35.36	303
XII.	1	97
	4.5	62
	13	282
	15	175
	27	144
XIII.	1	177
	9	149
XIV.	15	33
	26	32.233
	29.30	233.247
	32	90
	16	247
	20	318
	23	142
	26	312
	28	81
	29	318
	37.38	320
	41	306
	48	108
	49	113
	50	319

2. Ep. ad Cor.

II.	16	220
III.	5	120
IV.	3	147
	4	99
	18	321
V	1	193.312
	6	315
	10	318
	21	263
VI.	14.15	174
	16	87
X.	5	98
XIII	14	62.88

Ep. ad Galat.

I.	18	42
II.	16	265
III	8	266
	10	127
	13	263
	27	176.280
IV.	4	253.264
	6	82.269
	9	12
	25	238
V.	17	124

Ep. ad Epheſ.

I.	4.5	136
	11	136
	13	280
	22.23	151
II.	1	163
	3	113.120.287
	8	120.303
	10	268
	20	159
III.	10	106
	12	170
	15	238
IV.	5	159

Cap.	Vers.	Pag.
	6	65
	24	107
	30	90
	32	264
V.	13	238
	23	151. 173
	26.27	141. 154
	32	284
	Ep. ad Phil.	
I.	23	140. 315
II.	6	76. 253
	7	264
	8	103
	9	264
	12	272
	13	120
III.	9	266. 304
	20	312
	Ep. ad Coloss.	
I.	15	70
	16	70
	16.17	77
II.	9	76. 252. 257
	11.12	282. 289
	15	264
	16	313
	17	262
	18	169
	19	173
	22	169
III.	6	124
IV.	16	47
	1. Ep. ad Thess.	
IV.	14-15	312
	16	312
V.	19	233
	2. Ep. ad Thess.	
II.	4	306
	9	307
	15	48
	1. Ep. ad Tim.	
I.	3	214
II.	1	214
	4	275
	5	170. 260
	15	284
III.	2	181
	5	218
	15	147. 151
	16	76. 151. 253
IV.	1	88. 307
	3	181. 307
	14	215
V.	12	188
	17	214
	19.20	215
	21	91
	22	207. 214
VI.	10	105
	16	23
	20	48
	2. Ep. ad Tim.	
I.	6	215
	9	136
II.	2	215. 220

INDEX SCRIPTVRARVM.

Cap.	Vers.	Pag.
	3	145
	4	184.220
	19	137.145.176
	20	175
	21	121
	26	163
III.	17	38.46.185
IV.	2	220
	8	305
	18	312

Ep. ad Tit.

I.	5	207.213.214.215
	6	181
	7	211
	11	97
	15	120
II.	12	265
III.	3	177
	5	265

Ep. ad Heb.

I.	2	70
	3	15.71.73
	6	76
II.	16	253
VI.	6	131
	10	305
VII.	12	205
	24	296
VIII.	10	275
IX.	22	262
X.	1	262
	14	296
	18	296
	26.27.	131
	29	131
XI.	1	144.269
	6	163.164
	39	143
	40	316
XII.	1	124
	14	265.268
XIII.	4	181
	8	69.73
	10	295
	16	304
	17	188

Ep. Jacobi.

I.	15	124.125
	17	54
II.	10	127
	24	1267
III.	16	104
IV.	8	58

1. Ep. Pet.

I.	2	137
	17	272
II.	1.2.3	150
	5	98.144
	11	123
	13	177.225
	14	223
	24	262
	25	266
III.	18	316

Cap.	Vers.	Pag.
	19	142
	21	291
IV.	15	200
V.	1	200
	3	200
	2. Ep. Pet.	
I.	19	38
III.	6	323
	10	321
	1. Ep. Johan.	
I.	7	193
	8	303
II.	1	83.170
III.	2	58.316
	3.4	102.123
		127
	9	137
	14	270
IV.	1	39.150
	2	308
	3	253
	12	3
V.	7	26.63.88
	16	131
	17	129
	20	76
	Ep. Jud.	
	3	95

Cap.	Vers.	Pag
	Apocalyp.	
I.	4	54.58.91
	8	73
	20	208
II.	1	207
	24	207
	27	172
III.	1	207
	4	304
	5	91
	12	151
V.	1	284
	7	78
	13	91
VII	5	309
	9	309
	15	305
IX.	20.21	306
XI.	2	145
XII.	15	145
XIII.	13	307
XIV.	13	141.193. 315
XVIII	13	307
XIX.	10	170
XX.	2	314
XXI.	1	321
	8	164.174
XXII.	4	58
	5	321
	15	174
	18.19.	45

FINIS.

INDEX RERVM.

A

AMor *Beneficentiæ* & *Complacentiæ*. 138
Anglicana *Liturgia*.
Anglicani *Cleri* vocatio 244
Animæ *separatæ* ſtatus ante Reſurrectionem. 315
Antichriſtus quis ſit. 306
Apocryphi libri quare pro *Canonicis* non ſunt habendi. 15.14
Arma contra *Magiſtratum* movere illicitum. 221
Arbitrium liberum in homine *lapſo* an ſit. 119

B

BAptiſmi *Neceſſitas*. 285

C

Cœlibatus an *Clericis* neceſſarius. 181
Canon Scripturæ *integer*. 13
Certitudo ſalutis. 269
CHRISTI,
Generatio ab *æterno*. 69
Coæternitas cum *Patre* 75
Incarnatio 252
Satisfactio. 262
CHRISTVS,
quomodo ſit αὐτόθεος. 79
quomodo fuerit *Mediator*. 258
Citatio locorum ſcript. in N.T. ex V. *multiplex*. 24
Cleri Anglicani vocatio. 244
Clerici an exempti â regimine *ſeculari*. 177
Eorum *cœlibatus* 181
Jurisdictio. 217
Communicatio Privativa & Cumulativa. 80
Concilia *errare* poſſunt. 150
Concilii Generalis *ſuprema* Deciſio. 154
Concupiſcentia in *Renatis*. 123
Controverſiarum *Judex*. 37

D

DEUS.
DEi cognitio. 52
Attributa quomodò ipſi conveniunt. 54
Potentia *eſſentialis* & *Perſonalis*. 74
Deum eſſe. 1
Diſciplina Eccleſiaſtica. 198
Diſſenſus Doctorum. 97
Duacenſis *Tranſlatio* 36

E

ECCLESIA.
Quid ſit Eccleſia. 134

Militans & Triumphans. 140
Ecclesiæ *visibilitas.* 144
Ecclesiæ *visibilis fallibilitas.* 149
Ecclesiæ *notæ.* 158
Ecclesiæ *Membra* 168
Extra Ecclesiam salus *nulla.* 163
Electio ex *Gratiâ.* 136
Episcopatus Institutio *Qualis.* 204
Ethnicorum *salus.* 163

F.

Fidelitatis *Juramentum* á quibus præstandum. 190
Fides & *Ratio* quomodò consistant. 98
Fides prævisa non causa Electionis 137
Filius in Scripturis *Quadruplex.* 70
Fœlicitas *Externa* non *Nota* Ecclesiæ 145
Fundamenta doctrinæ & *Munimenta* quomodò differunt. 96

G.

Generatio *Physica* & Hyperphysica 72
Gratia Universalis 273
Græcus *Textus* N.T. *incorruptus.* 23

H

Habitus *Naturalis* an detur. 109
Hebraicæ literæ an *mutentur.* 19.20
Hebraicus *Textus* V.T. *incorruptus.* 18
Hypostatica Vnio. 255

I.

Ideæ an sint *in Deo.* 56
Ignorantia quousq; excusat. 128
Immortalitas Homini *Naturalis.* 108
Impii Ecclesiæ *Membra* an sint. 173
Incarnatio *Christi.* 252
Infallibilitas *Papæ* nulla est. 38.39
Infidelitas an fuerit *primum* Peccatum. 104.105
Interpretum 72. *Translatio.* 21
Invidia quomodò peccatum Dæmonum. 104.105
Invocatio *Sanctorum* & *Angelorum.* 169
Judæorum vocatio. 309
Judex *controversiarum.* 37
Juramentum *Fidelitas* à quibus præstandum. 190
Justificatio per solam Fidem. 265
Justitia *Originalis* in Adamo. 170

L

Libertas à *Quo.* in *Quo.* & ad *Quod.* 122
Liberum arbitrium in homine *Lapso.* 119
Lingua ignota. 32
Literæ Heb. an mutentur. 19. 20
Lites in Ecclesiâ quomodo *dirimendæ.* 44
Liturgiæ *Statæ* probandę. 230
Liturgiæ Anglicanæ *defensio.* 235
Luxuria an fuerit Peccatum *primum.* 105

M.

Matrimonji Vinculum *insolubile.* 299
Meritum operum *nullum.* 303
Mille Anni *Apocalyptici.* 312
Missæ *Idololatria.* 295
Monachatus *illicitus.* 185
Mundi finis *qualis* futurus. 321

N.

Naturæ corruptæ *quatuor* vulnera. 125
Necessarium & Voluntarium quomodò *Deo* conveniunt. 74
Notæ *Ecclesiæ.* 158
Novissima 302

O.

Opera non meritoria. 303
Opus Operatum. 278
Originalis Peccati propagatio. 112

P.

Pædopaptismus quarè *probandus.* 289
Papæ *Infallibillitas.* 38.39
Primatus. 199
Paracletus *Mediationis* & *manuductionis.* 83
Peccati *Origo.* 100
Peccati Originalis *propagatio.* 112
Peccatum omne mortale. 127
Peccatum in S. S. *irremissibile.* 131
Perseverantia Sanctorũ. 137
Petri *Primatus* qualis fuerit. 41. 201
Presbyteratus *Episcopatui* inferior. 204
Præsumptio bona & mala. 104
Punctorum *Hebr.* usus 21
Purgatorium an sit. 193

R.

Ratio & *Fides* quomodò consistant. 98

Redemptio. 251
Regum *Potestas*. 222
Reprobatio *absoluta* an detur. 139
Reprobi Ecclesiæ *membra* an sint. 173
Resurrectio ejusdem *numero* Corporis. 318
Rhemensis Translatio. 36

S.

SAcramenta. 277
Eorum *efficacia*. 278
numerus. 281
Salutis *Certitudo*. 269
Salus extra Ecclesiam *nulla*. 163
Sanctorum *Perseverantia*. 137
Invocatio. 169
Satisfactio Christi. 262
Scientia *Media*. 56
SCRIPTURA.
Scripturæ Canon *integer*. 13
Perfectio. 45
Scripturam esse verbum *Dei* 8
SPIRITUS S.
Ejus *Processio*. 82
Deitas & *Invocatio*. 87
Sopherim qui fuerint. 20
Supererogatio est *Superarrogantia*. 186
Subditorum Officium erga *Magistratum*. 221
Superbia *Peccatum primum* Dæmonum. 102
SYBILLÆ.
de Eis *Judicium*. 98
Symbola Apostolic. &c. quomodò *immutata* manent. 98. 99

T.

THeologia quid sit. 6
Textus Heb. V. T. *incorruptus*. 18
Græcus N. T. *incorruptus*. 23
Traditionis Ecclesiæ usus. 97
Traditiones non scriptæ quare non admittendæ. 45
Translatio Vulgaris. 26
Duacensis. 36
Rhemensis. 36
72. Interpretum. 21
Transubstantiatio. 292
TRINITAS. 60
Eam credere quàm fit *necessarium*. 93

U.

VEniale Peccatum *nullum*. 128
Visibilitas Ecclesiæ. 144
Unio Hypostatica. 255
Voluntarium & *necessarium* quomodò Deo conveniant. 74
Vota *Monastica*. 186
Vulgaris Translatio quousq; æstimanda. 26

FINIS.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-230064361-11/fragment/page=359


Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-230064361-11/fragment/page=362

FASCICULUS,
CONTROVERSIARVM
...ARVM,
...RUM,

...aptum sic col-
...idei Apicibus
...ur, aut sparsim
..., faciliùs
...dant.

...AUX, haud ita
...ENSES S. T.
..., & posteà
...niensem.

...α κλάσματα
...6.12.

OXONIÆ,
Excudebat Impensis suis LEONARDUS LICHFIELD,
Academiæ Typographus. Vænęunt apud *Hen. Curteyne,*
& *Tho. Robinson* Anno Dom. 1649.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-230064361-11/fragment/page=363